

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

G
ii
1
N.C.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE
IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS I.

DE NVMIS VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

VOLVMEN IV.

CONTINENS

AEGYPTVM, ET REGIONES AFRICAE DEINCEPS
IN OCCASVM SITAS,


OBSERVATA GENERALIA AD PARTEM I. HVIVS OPERIS,

ET

INDICES IN PARTEM I.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE
SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE
MDCCCXXVIII.



Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS VOLVMINIS IV.

NVMI VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

Aegyptus . . . . . Pag. 1
Numi Alexandrini . . . . . — 26
Nomi Aegypti . . . . . — 99
Marmarica . . . . . — 116
Cyrenaica . . . . . — 117
Syrtica . . . . . — 130
Byzacene . . . . . — 133
Zeugitana . . . . . — 136
Numidia . . . . . Pag. 152
Mauretania . . . . . — 153
Numi populorum, urbiumque incertarum . . . . . — 162
Numi regum incertorum . . . . — 167
Numi barbarorum . . . . . — 170
Plagia barbarorum numismatica . . — 176

OBSERVATA GENERALIA AD PARTEM I. HVIVS OPERIS.

CAP. I. De magistratibus et titulis honorificis . . . . . Pag. 187
Sectio I. Magistratus domestici . — 188
§. I. De ordinibus civitatum . . — 189
§. II. De archontibus, praetoribus, scribis. . . . . — 192
§. III. De ephoris . . . . . — 199
§. IV. De prytanibus . . . . — 200
§. V. De quaestoribus . . . . — 202
§. VI. De pontificibus . . . . Pag. 203
§. VII. De Asiarcha . . . . — 207
§. VIII. De stephanephoris . . — 212
§. IX. De panegyriarchis, agonothetis, gymnasiarchis . . — 214
§. X. De theologo . . . . . — 217
§. XI. De hieromnemone. . . — 217
§. XII. De Amphictyonibus . . — 219
§. XIII. De curatoribus . . . — 220

Digitized by Google

§. XIV. De sophistis . . . . Pag. 221
Sectio II. Magistratus Romani. . — 224
§. I. De ordinibus Romanorum — 224
§. II. De consulibus . . . . — 228
§. III. De proconsulibus, propraetoribus, legatis, praesidibus . . . . . — 229
§. IV. De quaestoribus, proquaestoribus, quaestoribus procos., quaestoribus propr. . — 245
§. V. De procuratoribus . . . — 249
§. VI. De pontifice, VIIviro epulonum . . . . . — 252
§. VII. De parentibus, patronis — 252
CAP. II. De Magistratu eponymo . — 255
CAP. III. De urbibus autonomis, liberis, immunibus . . . . . — 262
CAP. IV. De urbibus amicis et foederatis . . . . . — 271
CAP. V. De urbibus metropolibus . — 273
CAP. VI. De urbibus primis . . . — 282
CAP. VII. De populis, et urbibus neocoris . . . . . — 288
CAP. VIII. De urbibus sacris, et asyli jure gaudentibus . . . . — 306
CAP. IX. De urbibus navarchidibus — 309
CAP. X. De mentione situs, et magnitudinis . . . . . — 310
§. I. A regionibus, populis, urbibus . . . . . — 311
§. II. A montibus . . . . . — 312
§. III. A luco . . . . . — 313
§. IV. Ab ἄνω et κατω . . . — 313
§. V. A mari . . . . . Pag. 313
§. VI. A fluviis et fontibus . . — 313
§. VII. A magnitudine . . . . — 320
CAP. XI. De urbium variis nominibus — 320
CAP. XII. De urbibus originem suam, aut communicatam cum aliis civitatem professis . . . — 323
CAP. XIII. De urbibus imperatorum nomina sibi addentibus . . . — 325
CAP. XIV. De reliquis urbium epithetis . . . . . — 330
CAP. XV. De concordia . . . . — 331
§. I. Concordia generatim sumpta . . . . . — 332
§. II. Concordia inter Augustos . — 332
§. III. Concordia civitatum exterarum cum Romanis . . . . — 332
§. IV. Concordia civitatum secum ipsis . . . . . — 333
§. V. Concordia cum civitate una, vel pluribus . . . . . — 333
CAP. XVI. De adlusione ad urbis populive nomen . . . . . — 341
CAP. XVII. De heroibus, heroidibus, conditoribus, personis illustribus . . . . . — 342
CAP. XVIII. De numis cistophoris . — 352
§. I. Eorum catalogus . . . . — 352
§. II. Patria . . . . . — 354
§. III. Typi . . . . . — 356
§. IV. Inscripta magistratuum nomina . . . . . — 359
§. V. Eorum origo, et aetas . . — 363

Digitized by Google

§. VI. Metallum, pondus, usus, copia . . . . . Pag. 364
§. VII. Cistophori improprii . — 367
CAP. XIX. De numis inscriptis: ANEΘHKE . . . . . — 368
CAP. XX. De characteribus chronologicis . . . . . — 374
Sectio I. De epocha . . . . . — 375
Sectio II. De epochis urbium, populorum, regum monetae inscriptis, earumque initio . . — 377
Sectio III. De modo, quo anni in numis scribi consuevere . . . — 381
Sectio IV. De epochis in moneta vetere latius patentibus . . . — 395
§. I. Aera Seleucidarum . . . — 396
§. II. Aera Pompejana . . . — 399
§. III. Aera Caesariana . . . — 400
§. IV. Aera Actiaca . . . . — 401
Sectio V. De variis unius ejusdemque urbis epochis . . . . . — 402
Sectio VI. De epocha duplice in uno eodemque numo . . . . — 403
Sectio VII. De anni apud veteres initio . . . . . — 404
Sectio VIII. De modo epocharum exordia eruendi . . . . . — 405
Sectio IX. De annis principatus et magistratus . . . . . — 411
Sectio X. De numis inscriptis: ETOTΣ. NEOT. IEPOT . — 413
Sectio XI. De mensibus, et diebus . . . . . — 420
CAP. XXI. De festis ac ludis . . . Pag. 421
§. I. Commune . . . . . — 428
§. II. Catalogus festorum ludorumque . . . . . — 432
CAP. XXII. De numis regum, principum etc. . . . . — 454
§. I. Catalogus regionum, et urbium, quae numos regum, principumve suorum nomine signaverunt . . . . . — 455
§. II. De nominibus principum . — 457
§. III. De mentione dignitatis in numis principum . . . . . — 459
§. IV. De variis principum titulis epithetis . . . . . — 460
§. V. De insignibus regum, et principum . . . . . — 463
CAP. XXIII. De numis coloniarum . — 464
Sectio I. Catalogus coloniarum R. et municipiorum . . . . . — 465
Sectio II. Quae coloniarum R. et municipiorum ratio . . . . . — 467
Sectio III. De inscriptionibus in numis coloniarum et municipiorum . . . . . — 470
Sectio IV. De coloniarum et municipiorum nominibus epithetis . — 471
Sectio V. De magistratibus in his — 474
§. I. IIviri . . . . . — 474
§. II. IIIviri quinquennales . . — 476
§. III. Praefecti IIviri et quinquennales . . . . . — 477
§. IV. IIIIviri . . . . . — 480

Digitized by Google

§. V. Aediles . . . . . Pag. 481
§. VI. Decuriones . . . . . — 482
§. VII. De conditione magistratuum municipalium . . . — 482
§. VIII. Caesares et reges IIviri . . . . . — 487
Sectio VI. De typis in numis coloniarum, et municipiorum . . — 488
Sectio VII. De permissu signandae in coloniis monetae . . . — 497
Sectio VIII. De metallo in coloniarum numis . . . . . Pag. 499
Sectio IX. Quando numi in coloniis feriri desierint . . . . . — 500
Sectio X. De numis heterogeneis in moneta coloniarum . . . — 500

* * *

INDICES IV. in universam partem I. . . . . — 503

Digitized by Google

AEGYPTVS.

Primam Aegypti vetustissimae ac tot laudibus celebratae epocham ad nostrum institutum non pertinere, nemo est, qui non intelligat. A regibus tum suis gubernatam, quos Pharaones sacrae literae, scriptores Graeci privatis nominibus appellant, vix credam propria moneta usam. Novi, a Diodoro Siculo ad istud aevum referri legem latam adversum eos, qui monetam adulterarent a), sed vereor, ut leges omnes, quas ibi praedicat, apud veteres Aegyptios valuisse credibile sit, aut forte moneta ea fuit minus proprie talis, nimirum quae certo tantum nobilis metalli pondere constiterit. Sunt, qui in vetere ejus aevi Aegyptiorum moneta numerent tenuissima auri folia, quae saepe sub lingua cadaverum medicatorum (*mumias* hodie dicunt) reperiuntur. Sed neque haec in nostrum censum admittimus, quorsum nos illos tantum numos vocamus, qui impressa qualiacunque publicae auctoritatis signa continent. Verisimile igitur, ea adhuc aetate apud Aegyptios aurum argentumque non numeratum fuisse, sed appensum, perinde atque tum apud alias gentes fuit constitutum. Est haec communis nunc eruditorum sententia. At non ita visum ornatissimae viragini Massiliensi Barbier de Longpré, quae luculentum, ut putabat, Pharaonis numum, et quod sequitur, omnium, qui per orbem celebrantur, antiquissimum regi Borussorum dono miserat. Eum descriptum, et quod mirere, collaudatum vide in *Nouveaux Mémoires de Berlin* 1744. *hist. p.* 26. et in *Jour. encyclop. Octob.* 1776. *p.* 218.

Regibus indigenis successere reges Persae, ex quo Cambyses Aegyptum in potestatem suam redegit, et duravere, dum Alexander eversi regni Persici provincias omnes sibi subjiceret. Habuerintne Aegyptii Persis subjecti monetam, quam Aegyptiam proprie dicere possis, non satis constat. Dubium non est, communi tum Aegyptios cum Persis moneta, Daricis scilicet usos. Enimvero signatae in Aegypto intra hanc periodum

a) L. I. §. 78.

Digitized by Google

monetae unicum exemplum apud Herodotum reperio. Narrat is [a]), Aryandem, qui pro Cambyse Persa Aegypti res procurabat, ab hujus successore Dario neci datum propter adrogatum sibi monetae jus. Nam cum Darius ex auro purissimo numos flandos curasset, similes in Aegypto Aryandes, sed ex argento item purissimo feriit. Addit, sua quoque aetate argentum omnium purissimum esse Aryandicam. Polluci quoque argentum, quod perpurgatum est, dicitur Aryandicum [b]). Hoc tamen ipsum exemplum potius probat, quod dixeram, communem fuisse tum Aegyptiis Persisque monetam. Nam quod Aryandes tentaverat, contra leges factum.

Visum tamen eruditis nonnullis, Aegypto etiam sub Persis propriam pecuniam fuisse. Sane istud verisimile censet Pellerinius propterea, quod et Phoenices et Philistaei vicini, et iisdem Persis subjecti suam habuere monetam [c]). Verum ex numis, quos edidere, alii a severiore orisi verae suae patriae subinde sunt restituti, alii dubium adhuc relinquunt, sintne revera moneta Aegyptia, aut saltem ejus certum criterium non praebent. Ita Winckelmannus Aegyptium numum dixit [d]), quem esse Crotonis verius judicavit Pellerinius [e]). Idem Pellerinius numum remotae antiquitatis edidit [f]):

Bos gibbosus jacens, cujus tergum operimento tectum est, inter ejus cornua lunae discus. ℞ Eques d. hastam, cujus caput pileo tegitur, circum literae peregrinae. AR. H.

Vir eruditus typo anticae Apin agnoscit Aegyptiis deum familiarem, et cum numus praeterea ex Aegypto sibi adlatus esset, non dubitat eum Aegypto tribuendum. Non magnopere repugnavero. Sed quod addit, credibile esse, typo equitis exhiberi Aryandem Aegypti praefectum sub Dario postremo Persiae rege, (corrige, sub Dario Hystaspis,) minus credo eruditis probabitur. Narrat Herodotus, ut paullo supra docui, Aryandem eodem modo signasse numos, quo Darium, nisi quod hujus essent aurei, illius argentei: ἀργυρεον τ'ωῦτο τετο ἐποιες (νομισμα). At numorum aureorum Darii, nempe Daricorum, longe alius est typus, ut in Persica moneta diximus, neque unquam Apin homo Persa monetae intulisset, Aegyptiorum superstitione Persis exosa. Ergo saltem, quantum ex Herodoti verbis colligi potest, Aryandis hic numus esse nequit.

Mortuo Alexandro M. cum Ptolemaeus regnum Aegypti sibi posteritatique adsereret, tum vero copiosi in Aegypto numi regio nomine feriri coepti, sed defecerunt victa ad Actium Cleopatra, et Aegypto in potestatem Romanorum redacta. Exin illustrem Augustorum Augustarumque seriem numismaticam Aegypto debemus, cujus nos merita suo loco adfatim praedicabimus. In hac singularem classem constituunt numismata illa, quae imperantibus Trajano, Hadriano, Antonino, Aurelio cum horum capite et inscriptis Aegypti nomis magno numero signata sunt.

a) L. IV. c. 166. b) L. III. c. XI. §. 87. et L. VII. c. XXIII. §. 98. c) Rec. III. p. 1. d) Hist. art. p. 68. edit. Dresd. e) Rec. I. p. 46. f) Additions p. 15.

Digitized by Google

Dempta hac nomorum moneta certos alios urbium Aegyptiarum numos, sed autonomos, seu cum imperatorum capite non habemus, et qui hactenus hujus generis prolati sunt, de horum aut fide aut vera lectione jure dubitatur. Vnde colligimus, urbibus ejus regionis permissum non fuisse propriae monetae usum. Pellerinius binos solum numos vulgavit, quos in Aegypti urbibus signatos credidit a), unum inscriptum ΘΕΟΤ. ΠΑΝΟΣ., quem Panopolin revocavit, alium typo Apis, et Ibidis. De priore agam in numis nomi Panopolitae, de altero in numis Apis, et Batrachi Marmaricae urbium. Aegypti monetae accensetur etiam sequens:

ΣΩΤΗΡΑ. (sic) *Caput muliebre turgente supra frontem diademate, pone urceus et* Β. Δ. Ϫ ΚΑΛΛΗ. ΤΥΧΗ. ΑΙΓΗΠΤΟΤ. (sic) *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. I. (Theupoli p. 1209.) AE. II. (Haym T. II. p. m. 100. Muselli T. I. Pembrock P. II. tab. 16.)

Cum, ut dixeram, autonomis careat Aegyptus, verisimile videtur, capite anticae Augustarum aliquam proponi, eamque honoris causa dici ΣΩΤΗΡΑ. Ceterum mira in utraque facie scribendi lex, in antica ΣΩΤΗΡΑ pro ΣΩΤΕΙΡΑ vel ΣΩΤΙΡΑ, in postica ΑΙΓΗΠΤΟΤ pro ΑΙΓΥΠΤΟΤ, quae bina peccata facile persuadere possent, numos similes ab adulteratoris officina prodiisse, nisi Haymii auctoritas eos suffragio suo adprobantis intercederet. Vidi serius eundem numum argenteum pondere tetradrachmum, sed qui aperta *νοθείας* indicia prae se tulit. Aeneus similis, sed idem manifeste spurius exstat etiam in museo Caesareo. Arbitretur lector.

His praelibatis universam Aegypti monetam in tres classes tribuimus, quarum I. aget de numis regum, II. de numis Augustorum, dictis Alexandrinis, III. de numis nomorum Aegypti.

a) Rec. III. p. 3.

Digitized by Google

NVMORVM AEGYPTIORVM

CLASSIS I.

DE NVMIS REGVM.

Horum numi incipiant ab auctore regni Ptolemaeo Lagi F, et desinunt cum Cleopatra postrema Aegypti regina, suntque illustres in omni metallo. Rarissimi aurei, rari argentei, obvii aenei.

Regum Ptolemaeorum historiam ac numos conscripsit celeberrimus Vaillantius in opere: *Historia Ptolemaeorum Aegypti regum ad fidem numismatum accommodata. Amstelaedami* 1701. *in folio.* Ad historiam quod attinet, ex fontibus quidem ipsis adcurate eam collegit, sed sermone illam Latino tam hiulco ac barbaro, adeo scatente mendis cum suis, tum typographicis propinavit, ut ex ejus oratione sensum saepe sanum non queas elicere. Negligentiae vero summae passim in hoc opere luculenta habes specimina, ut cum in canone chronologico Epiphanem constanter appellat, qui Evergetes est, et cum Cleopatrae postremae historiam sic finit [a]): *Romani diem, quo capta fuit Alexandria* - - - Seriem numismatum si spectemus, potuit sane vir illustris dignum aliquid hoc in opere praestare, qui et vetus erat in hac palaestra pugil, et gloriari ipse jure potuit, *plures se possidere regum Aegypti numos, quam sint in universis totius Europae cimeliis* [b]). Verum idem ab eo hoc in opere fuit hic peccatum, quod et in ejus historia regum Parthorum. Nimirum cum singulorum regum vellet repraesentare numos, maleque consultum suo putaret operi, si vel in uno hiatum proderet, necesse non raro fuit niti conjecturis, sed saepe inanibus, quarum fallaciam ex ipsis his commentariis facile perspicies. Enimvero illud in regum Aegypti numis multo est molestissimum, quod magna eorum est copia, quos nulla certa ratione, etiam cum regis effigiem habent propositam, suis possis regibus tribuere me quidem judice, quod tamen judicium aliis multo fuisse proclivius video, sed quam facultatem hactenus a me impetrare non potui. Sunt in museo Caesareo horum regum tetradrachma omnino XXVI., sed quae inter sunt XIII., quibus verisimili quapiam conjectura hactenus dare nomen non potui. In causa est, quod reges Aegypti omnes dicti sunt Ptolemaei, et non nisi

a) pag. 187. b) in praefat.

Digitized by Google

raro in numis addatur cognomen honorificum, quibus eorum nonnulli fuere insignes. Quod quidem silentium non in numis modo, sed et veteribus historicis calpandum, qui, cum Ptolemaeorum mentionem faciunt, raro quotus fuerit, adjiciunt, incertosque nos in tanto eorum numero relinquunt. Quae quidem negligentia nonnunquam et veteribus stomachum movit. Sic cum Aelianus induceret Aegyptios aliquid de Ptolemaeo narrantes, addit: ὁποσος δε ην ὁτος, ἐκεινυς ἐρεσθε, *quotus autem hic fuerit, ipsos interrogate* a). Ceterum in factis historicis, quae ennarrabo, Vaillantium plerumque secutus sum. Quare necesse visum non est indicare fontes. Numos Vaillantio ignotos, ut et recentiorum eruditorum observata locis suis inserere non neglexi.

PTOLEMAEVS I. SOTER.

Lagi Macedonis et Arsinoes filius, et Herculis abnepos, si fides Theocrito b), alii Philippi II. regis filium dixere, alii obscurae originis secundum amaram grammatici cujusdam responsum apud Plutarchum c). Vide eruditos criticos ad Curtii L. IX. cap. 8. Iam a praeclara in Philippum II. fide cognitus, mox ab Alexandro inter duces adlectus, in bellis omnibus cum virtute, tum comitate egregiam regi navavit operam. Mortuo Alexandro M. in celebri provinciarum inter duces partitione V. C. 431. A. X. 323. Aegyptum pro Philippo Aridaeo administrandam abstulit. In suam profectus provinciam non multo post Cyrenaicam quoque sibi subjicit, et Alexandri M. corpus magnifico apparatu accipit, dignumque tanti regis cineribus hospitium magnis sumptibus Alexandriae instruit. Perdiccam, qui Alexandriam invaserat, cum clade rejicit a suis mox interemptum, subinde Phoeniciam, Coelesyriam, Iudaeam occupat. Inita cum Seleuco, Lysimacho, Cassandro adversus Antigonum armorum societate Demetrium Antigoni F. ad Gazam Palaestinae vincit, et Seleuco ad praeripiendam Babyloniam intento auxilia ministrat. Verum ab eodem Demetrio V. C. 448. famigerata ad Citium Cypri navali pugna vincitur. Antigono post hanc victoriam diadema regium sumere auso ipse quoque Ptolemaeus diadema sumit. Sociis belli Lysimacho et Seleuco Antigonum V. C. 453. ad Ipsum Phrygiae internecione delet. Defectus viribus praeterito Ptolemaeo Cerauno, quem sibi uxor prima Eurydice peperit, alterum ex Berenice natum regem appellat, ipse anno post V. C. 470. A. X. 284. moritur, annos natus LXXXIV d). regni anno XL. aliis XXXIX., a laude bellica, prudentia, moderatione, et constituto regno novo immortalem gloriam consecutus.

Illustriores proles fuere ex *Eurydice* Antipatri F. *Ptolemaeus Ceraunus* a patre, ut dixi, praeteritus, subinde perfidus Seleuci percussor, et Macedoniae rex. Ex *Berenice*, de cujus genere infra in ejus numis, *Ptolemaeum II.* et *Arsinoen* Lysimacho Thraciae regi nuptam, subinde fratris Ptolemaei H. uxorem. Sed Berenice jam ex priore ma-

a) Nat. anim. L. VIII. c. 4. b) Idyll. XVII. c) de ira cohib. d) Lucian. in Macrob.

Digitized by Google

rite Philippo quodam liberos habuit *Magam*, de quo in numis Ptolemaei II., tum *Antigonen* Pyrrho Epiri regi, et *Theogonen* Agathocli Syracusano nuptas [a]).

Numi:

Caput regis diadematum. ☧ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Aquila insistens fulmini, per aream monogrammata varia, ut:* ΤΤΡ. *addita clava,* ΜΙ. *aliaque, vel initia vocabulorum, ut:* ΕΥ. ΠΗ. *etc. vel literae solitariae.* AV. I. (Pellerin, Pembrock.) AV. IV. (Mus. Caes.) AR. I. obvii.

Caput regis diadematum. ☧ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Iuppiter d. fulmen, s. clypeum in quadrigis elephantorum, inferne literae dubiae.* AV. II. (Liebe Goth. num. p. 9.)

Caput regis diadematum. ☧ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Aquila fulmini insistens, in area anni:* Λ. ΛΑ. ΛΒ. ΛΓ. ΛΔ. ΛΕ. Λϛ. *tum monogrammata varia et literae.* AR. I. (Pellerin, Mus. Caes. Pembrock, Theupoli.)

Numos inscriptos ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ. vide in moneta Ptolemaei II.

Soterem inter Ptolemaeos omnes facillime discernas. Frons illi ampla et ossea, mentum projectum, aetas in senium vergens. Etiam *Soteris* titulus, de quo infra, discrimen juvat. Pars aversa, ut in plerisque regum Lagidarum numis, aquilam fulmini insistentem offert. Hujus typi varias causas, sed arcessitas adfert Vaillantius [b]), tum Begerus [c]). Existimo, lectum hunc a Sotere typum ob majorem suum in Iovem adfectum, cujus attributa sunt aquila et fulmen. Sic placitus Seleucidis Apollo, Lysimacho et Philetaeris Pallas etc. Observandi Iovis Ptolemaeis etiam insignior causa, quod Iovem Ammonem in potestate sua habuere. Et hunc sibi signanda aquila fuisse propositum, comprobant Ptolemaeorum numi aenei, in quorum antica obvium caput Iovis Ammonis. Typus numi Gothani a communi hujus monetae lege prorsus abludit. Tamen et numus coaevi Seleuci I. adfine exemplum offert, illata Pallade, quae vetus fuit Macedonum numen, elephantorum quadrigis vecta. Soter Iovem suum maluit, etsi causam non teneamus, cur elephantos carrui junxerit. Eundem hunc numum possedit etiam Pellerinius, sed qui eum maluit tribuere Ptolemaeo III. [d]). Res omnino dubia.

ΣΩΤΗΡΟΣ, quo Ptolemaeum Lagi F. nomine compellant numi et scriptores passim. Quod nomen cum ita magnum dixisset Cicero, ut Latino uno verbo exprimi non possit, sic deinde pergit: *is est nimirum SOTER, qui salutem dedit* [e]). Salutatum eum hoc nomine a Rhodiis, adfirmat Pausanias [f]). Collatum in eos beneficium, et adeo causam collati tituli ex Diodoro habemus, nimirum quod eos a Demetrio obsidione pressos cum hoste conciliavit [g]). Alii alias ejus nominis causas, sed infirmas adferunt, quas vide apud Spanhemium [h]). Dictus etiam est ΘΕΟΣ

a) Reinecc. in regib. Cyren. b) p. 24. c) Thes. Br. T. I. p. 261. d) Rois p. 42. e) in Verr. L. II. c. 63. f) L. I. c. 8. g) L. XX. c. 99. h) Tom. I. p. 415.

Digitized by Google

testibus numis mox citatis, sed quos in filio Philadelpho explicabimus.

Annos regni exhibent numi ultimo loco positi, ad quos bina juvat observare, primum, tantum iis Ptolemaei nostri numis regni annos inscribi, in quibus ΣΩΤΗΡΟΣ titulus inscriptus legitur, deinde, quando titulus hic adest, extrudi alterum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, tanquam nimirum dignitas regia commemoratis regni annis satis esset indicata.

De literis ET. ΠΗ. etc. aliisque notis, quae per aream numorum hujus Ptolemaei, et sequentium vagantur, agemus infra post omnes regum numos.

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙ-ΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Caput reginae diadematum pendentibus retro cincinnis, infra literae variae dubiae.* AE. fere II. et III. (Mus. Caes.)

Numos similes Soteri tribuit Vaillantius, eumque secuti alii. Iidem caput aversae esse Berenices, quae fuit altera Soteris uxor, adfirmant. Verum certi Berenices numi, quos mox recitabimus, diversa oris lineamenta, diversum capitis cultum sistunt. In numis Magae Cyrenes regis probare contendam, in numis similibus exhiberi potius caput Philadelphi, eosque a Maga signatos.

AV. RR. AR. RR. AE. R.

BERENICE SOTERIS.

Si fides scholiastae Theocriti [a]) fuit Soteris et soror et conjux, cum quo videtur sentire Herodianus, qui Ptolemaeum Alexandri successorem sororiis amoribus fuisse implicatum dixit [b]). Teste Pausania [c]) primis nuptiis juncta fuit Philippo cuipiam Macedoni, sed ignobili et plebeio, ex quo liberos quoque habuit, quos memoravimus supra in uxoribus Soteris. Ceterum vocabulum Βερενικη vel Βερονικη est pro Φερονικη, scilicet Macedonum more, qui litera Β pro Φ usi sunt, ut diserte Plutarchus [d]).

Numi:

ΘΕΩΝ. *Capita jugata Soteris et Berenices etc.*

De his numis mox agetur in Ptolemaeo II.

* * *

Caput reginae diadematum. ℞ ΒΑ-ΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ. *Clava, in area monogramma et flos loti, omnia intra lauream.* AR. II. In alio: *Eadem epigraphe. Remus, in area monogramma* ΜΑΓ. *omnia intra lauream.* AE. II. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Numos hos esse hujus Berenices, Pellerinius colligit primum eo, quod vultus in his simillimus est illi, qui est in aureis inscriptis ΘΕΩΝ, de quibus mox; deinde ex monogrammate ΜΑΓ., quo indicari Magam Berenices ex priore toro filium, in proximis Ptolemaei II. numis docebimus.

AR. et AE. RRR.

a) Idyll. XVII. v. 34. b) in Commodo. c) L. I. c. 7. d) Quaest. Graeca 9.

Digitized by Google

PTOLEMAEVS II. PHILADELPHVS.

Soteris et Berenices F. Eum pater adhuc vivus Aegypti regem dixit posthabito Ptolemaeo Cerauno, quem ex priore uxore Eurydice sustulit. Cyrenen seditione Magae fratris uterini, de quo agam mox in numis, ab Aegypto avulsam, eo defuncto recipit. Romanorum ejecto Italia Pyrrho virtutem admiratus cum his amicitiam jungit. Moritur V. C. 507. A. X. 247. anno regni XXXVIII. Alii mortem longius differunt. In hoc principe maxime enituit incredibilis literarum amor, et abstrusa quaeque noscendi intelligendique cupiditas. Hac ille impulsus eruditos omnes magnis propositis praemiis ad se evocavit, monumenta vetustatis omnia, et doctorum commentarios ubicunque reconditos missis, qui investigarent, conquisivit, amplissimam Alexandriae bibliothecam instruxit, ut plantarum, lapidum, animalium indolem, et quaevis naturae arcana penitius nosceret, classes per sinum Arabicum dimisit, et elephantorum venationes primus in Aegypto instituit. Inter viros doctrina illustres, quos secum habuit Philadelphus, magnum nomen adepti sunt, qui Pleiades a numero septenario dicti sunt, quanquam in hoc sapientum collegio saepe plus valuere pravi ingenii abortus, quam prioris aevi sana veraque doctrina.

Vxores habuit *Arsinoen* Lysimachi Thracis filiam, ex qua illustriores nati Ptolemaeus III. et Berenice. Illa repudiata duxit *Arsinoen* alteram ejusdem Lysimachi viduam, suamque sororem, de qua infra in ejus numo.

Numi:

ΘΕΩΝ. *Capita jugata Soteris diadematum et Berenices.* ℞ ΑΔΕΛΦΩΝ. *Capita jugata Philadelphi diadematum genis modica barba vestitis, et Arsinoes, pone clypeolus.* AV. m. m. II. et III. (Mus. Caes.)

Sine epigraphe. Capita eadem Soteris et Berenices. ℞ ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ. *Capita eadem Philadelphi et Arsinoes.* AV. m. m. (Vaillant. p. 52.)

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens, in area anni:* L. Mς. (Mus. Caes.) L. MH. (Pellerin Additions p. 83.) L. MΘ. (Vaill.) L. N. (Haym.) L. NB. (Pellerin l. c. p. 80.) L. NΔ. (Catal. raisonn. p. 9.) L. Nς. (Pellerin l. c. p. 79.) *in area* KI. ΠΑ. Δ. *etc.* AR. I.

Caput Iovis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini, in area:* L. MA. *et flos loti.* AE. II. (Theupoli.)

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens, in area:* L. A. B. Δ. Z. IA. IΘ. K. etc. Λ. ΛΘ. AR. I.

Prioris generis aureos pridem illustravit Spanhemius [a]). Caput virile partis anticae esse Ptolemaei Soteris, ipsa lineamenta dictant. Iunctum ergo mulieris caput est uxoris Berenices. Vtrique capiti applicatur epigraphe ΘΕΩΝ, quam tuetur illustre monumen-

a) Tom. I. p. 422.

Digitized by Google

tum Adulitanum, in quo legitur: Βασιλεὺς Μέγας Πτολεμαῖος (Ptolemaeus III. Evergetes). Τοῦ Βασιλέως Πτολεμαίου (Ptolemaei II. Philadelphi) Καὶ Βασιλίσσης Ἀρσινόης ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, Τῶν Βασιλέως Πτολεμαίου (Ptolemaei I. Soteris) Καὶ Βασιλίσσης Βερενίκης ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ἀπογόνος [a]). Quo loco videmus sane, Soterem et Berenicen communi *deorum* nomine honorari. Eodemmodo Sostratus Cnidius exstructae Soteris jussu in insula Pharo turri teste Strabone inscripsit: ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ. nempe Ptolemaeo Soteri et Berenice, et utrumque consecratum canit Theocritus [b]). Pars aversa sistit caput Philadelphi juncto capite conjugis et sororis Arsinoes, quae ipsa causa fuit, additi juxta vocabuli ΑΔΕΛΦΩΝ, fratrem una et sororem notantis. Observandum denique, aureos hos numos esse trium formarum, sic ut alii sint maximae, seu I. formae, alii II., alii III. formae. Habet museum Caesareum singulos I. et III. formae, alterius inspiciendum mihi dedit Christophorus Wiesioloski nobilis Polonus, veterisque monetae impense studiosus. Eorum pondus cum ad bilancem explorarem, reperi, eos, qui sunt I. formae, aureos Hungaricos VIII., qui II., aureos IV., qui III., aureos II. planissime exaequare, quod causa adcurati apud veteres in auro ponderis monendum duxi. Simile aliud religionis in auro monetariae exemplum dabo in numis consularibus aureis inscriptis ROMA, quorum alii habent notam LX., alii XXXX., alii XX.

Numus alter utrumque vocabulum ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ Philadelphi et Arsinoes capitibus adstituit. Quoniam Vaillantio verisimile visum non est, Philadelphum, cum in vivis adhuc esset, dictum *deum*, existimat, non hunc modo numum, sed praecedentes quoque cetera simillimos, signatos esse a Ptolemaeo III. Evergete, tam patris matrisque, quam avi aviaeque charam memoriam in illustribus his tam metallo, quam pondere numis conservari cupiente, quam ego conjecturam quo aut confirmem, aut evertam, non habeo.

Numi argentei tertio, tum et aeneus quarto loco citati auctiores offerunt annos, quam ut regno cujuspiam e Ptolemaeis possint accommodari. Sanxit ergo Vaillantius, Philadelphum initio regni continuasse annos patris Soteris, et adeo hic numerandi modus veram habuerit epochae naturam; serius eundem sui annos regni numis inscribere coepisse. Sententiae hujus pars prior propter allatam causam vix videtur posse in dubium vocari, ejusque instituti alterum exemplum praebet eadem Aegyptus, cum videamus in numis Commodi, quos Alexandrinos dicimus, patris M. Aurelii annos continuatos. Tamen illi Pellerinius graves opposuit difficultates, quibus commemorandis necesse duco longius inhaerere, quo pateat, quibus laqueis regum Aegypti res numismatica impediatur.

Profert Pellerinius binos Philadelphi numos cum annis NB. et Nς. et facie jam in senium vergente [c]). At enim

a) Chishul Ant. Asiat. p. 76. b) Idyll. XVII. c) Additions p. 79.

Digitized by Google

Philadelphus, quem Vaillantius anno Lagidarum XV. natum adserit, non potuit anno ejusdem aerae NB. seu LII., quo aetatis annum XXXVIII. egerat, senili vultu proponi. Enumerat deinde numos alios Philadelphi, in quibus sunt numeri minuti Δ, E, ς, etc. scilicet annorum regni, quales postremo loco descripsimus, et facies regis apparet juvenilis, etsi horum numorum eadem aut non multum dispar sit aetas, quam sit illorum, in quibus numeri sunt auctiores; nam numus cum anno MΘ., qui est aerae Lagidarum, ejusdem est aetatis cum numo, in quo legitur IA, seu annus regni Philadelphi XI. At vero hos quoque numos cum annis minutis esse Philadelphi, ipse confidenter adserit. Audi eum sua lingua loquentem [a]): *L'on ne pourra pas dire, que ces médailles avec des basses dates ne sont pas de ce Roi: elles sont incontestablement de lui, et il seroit impossible de s'y méprendre. Les deux premiers Ptolemées sont aisés à reconnoître entre tous les autres etc.* Ergo, prosequitur, si veram putabis Vaillantii doctrinam, numeros ampliores esse annos continuatae aerae Lagidarum, duo inde sequentur absurda, in numis uno eodemque tempore signatis Philadelphum jam juvenem, jam senem proponi, deinde eodem illum tempore et aera Lagidarum et annis regni in numis usum. Hos ille nodos sibi inextricabiles dum eruditis proponit, non inficiatur tamen, utrosque tam cum numeris auctis, quam minutis numos ad Philadelphum pertinere.

Quid igitur in hoc ancipiti deprehensis consilii? Quae mea sit sententia, paucis expediam. Quantumcunque fastidiat vir praestans, tamen, ut dixi, confiteri cogitur, utriusque generis numos esse Philadelphi. At variant lineamenta in ejusdem aetatis numis. Esto: an non variant eadem in aliorum extra Aegyptum regum numis? Si haec in regum numis tam certum sunt criterium, cur ipse in definiendis Seleucidarum numis, ut vidimus, tam est inconstans? Ait, in numis suis, qui pinguiores annos exhibent, vultum esse magis senilem, quam pro Philadelphi aetate. Contra, est in museo Caesareo ejus regis numus cum anno Mς. et vultu sic juvenili, qui facile decere potest virum annos XXXII. natum. Quod si vario hoc vultus modo usque adeo movetur Pellerinius, conferat quaeso faciem Philadelphi in numis aureis, quos primo loco descripsi, cum ejusdem facie in numis praesentibus, et multo diversissima in utrisque oris lineamenta deprehendet; et tamen caput in aureis his numis, juxta quod scriptum ΑΔΕΛΦΩΝ, esse Philadelphi, neque ipse negaverit. Ex quo rursum arguere licet, non tam proclive esse numorum Philadelphi criterium, quam virum eruditum palam adseruisse mox vidimus, cum vultus in numis iis ipsis, quos ex aliis causis satis constat ejus esse regis, tantopere abludant. Eadem difficultas, quod nunc opportune monere visum, magis adhuc in discernendis sequentium Ptolemaeorum numis ingravescit, sic ut in disponendis compluribus eorum te-

a) l. c. p. 82.

Digitized by Google

tradrachmis, quae sunt in museo Caesareo, exitum nondum repererim, cogererque, ea hactenus in Ptolemaeorum incertorum catalogum conjicere. Neque enim temere lubet sequi auctoritatem aut Vaillantii, aut alterius cujuscunque, quae certa ratione non nititur. Ad praesentis argumenti numos ut redeam, quando certae aliae causae praesto sunt, quae numum Philadelpho tribuendum evincunt, parum nos moveri patiamur dissonis oris, aetatisque lineamentis, cujus causa varietatis in diversos artifices ad rem monetariam adhibitos videtur rejicienda.

Superest difficultas altera, quam adhibiti uno eodemque tempore, ut apparet, tam aerae Lagidarum, quam regni anni objiciunt. Istud si verum est, et nisi forte numi ii, in quibus minuti sunt anni, alterius potius sunt Ptolemaei, quanquam confidenter illos Philadelpho tribuit Pellerinius, ejus ego explicandi aliam viam non reperio, quam placuisse monetariis aliis, prorogare coeptos a Sotere annos, aliis annos a Philadelphi regno ordiri, atque aliquanto tempore utramque illis rationem permissam. Praeclare hanc conjecturam confirmant numi Commodi apud eandem Alexandriam signati, in quorum aliis continuantur anni patris M. Aurelii, in aliis anni minuti a solius Commodi imperio ducti. Si utrumque in Commodo obtinuit, cur absurdum dicetur in Philadelpho? Quanquam et hanc sententiam turbant anni conjugis Arsinoes numis inscripti, de quibus infra, ut magis pateat, exitum ex hoc labyrintho esse desperatum.

Ex omnibus Ptolemaei II. numis abest titulus ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ., eum tamen sistit numus uxoris Arsinoes, de quo infra.

* * *

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens.* In aliis: *Fulmen solum, utrobique in area monogramma* ΜΑΓ. AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙ. ΠΤΟΛΕ. *Dimidius equus marinus, infra monogramma* ΜΑΓ. *et pagurus.* In alio: *Navis dimidia, et idem monogramma.* AE. III. (Pellerin.)

Hos numos Pellerinius Ptolemaeo II. propter monogramma ΜΑΓ. tribuere non dubitat, quo indicari *Magam* existimat. Fuit Magas filius Berenices ex priore toro, ut diximus in uxoribus Soteris, atque adeo frater uterinus Philadelphi, et a Sotere favente matre regendae Cyrenaicae praefectus. Reliqua, quae ad hunc Magam pertinent, vide in numis regum Cyrenes. Ergo, quos hoc loco recitavi, numi signati sunt tum, cum Magas Philadelphi nomine Cyrenaicam regeret. Eruditi varii cum ad monogramma istud animum non adverterent, numum cum typo fulminis largiti sunt Ptolemaeo Cerauno Soteris ex prima uxore filio, serius per Seleuci I. caedem Macedoniae regi, nimirum fulmine ad Cerauni cognomen adludente.

AV. RR. AR. R. AE. RRRR. Magae RR.

Digitized by Google

ARSINOE PHILADELPHI.

Caput reginae diadematum velatum imminente flore loti, pone A *vel* Θ *vel* K *vel* Λ. Ϫ ΑΡΣΙΝΟΗΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Duplex cornucopiae colligatum.* AV. m. m. (Mus. Caes. Pellerin.) *In aliis adduntur anni:* L. B. *vel* ϛ. AV. m. m. (Mus. M. Ducis.) L. ΛΓ. AV. m. m. (Hard. in not. ad Plin. T. II. p. 736.)

Illustres hi numi aurei certam sistunt Philadelphi uxorem; sed cum, ut diximus, binas habuerit hoc nomine conjuges, primam Arsinoen Lysimachi F., et hac repudiata Arsinoen alteram sororem suam eodem patre ac matre natam, Lysimachi viduam, variarunt eruditorum sententiae, aliis priorem, posteriorem aliis in hoc numo agnoscentibus. Hodie tamen antiquarii in Arsinoe II. fere acquiescunt, et verisimile istud propter incredibilem et cognitum Philadelphi in sororem adfectum, quae causa fuit, cur *Philadelphus* et passim appellaretur, et in numis praesentibus scriberetur. Literas solitarias partis anticae Vaillantius more suo ἀρχαισας urbium facit, in quibus signati sunt, quam sententiam jure fastidit Pellerinius, additque, videri illis indicari annos regni Philadelphi. Verum quo pacto A notare potest annum I. Philadelphi in numo Arsinoes alterius, quae primo hoc Philadelphi anno, et aliquot consequentibus adhuc Lysimacho nupta fuit? Quidquid erit, istud certum, annos regni indicari in numis, quorum postremo loco memini, propter praefixum L., et habere nos adeo annos B. ϛ. et ΛΓ. At enim ad quod principium referendi sunt anni minuti B et ϛ? An ad regnum mariti Philadelphi? Verum anno II. ejus regnantis fuit Arsinoe adhuc uxor Lysimachi. Ab his adeo numis ingravescit difficultas, qua supra dixi laborare calculum annorum Philadelphi numis inscriptorum. Vide, quae de hoc argumento plura disserui in meis numis veteribus pag. 290., quo loco numos Arsinoes ex museo Mediceo stiti.

Numi hi Ptolemaeo II. titulum ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ jam ex historicis cognitum palam impertiunt. Nescio, quis malus genius adstiterit Vaillantio, cum scripserat, Ptolemaeum nomen Philadelphi sumpsisse, quod cum fratre Ptolemaeo Ceraune in gratiam rediverat [a]). Praeterquam quod nulla nixus veterum auctoritate istud adserit, an verisimile, Ptolemaeum II. causa fratris Cerauni, quem, etsi forte simulate amicum, tamen quod a paterno Aegypti regno sibi jure debito exclusus fuerat, inimicum sibi ἀσπαστον sperare debuit, Philadelphum se voluisse appellare, ut taceam Ceraunum propter nefariam caedem Seleuci, et liberorum Lysimachi publica infamia notatum, et paullo post ab irruentibus in Macedoniam Gallis jugulatum? Quo vero animo Arsinoe Philadelphi titulum ab amore in fratrem Ceraunum petitum numis suis inferret, quae post mariti Lysimachi caedem ab hoc Cerauno, fratre suo germano, simulato amore in matrimonium petita, cum nuptiarum dies appeteret, vidit suos ipsius ex Lysimacho natos liberos a perfido sponso in suo sinu interfici,

a) Hist. Ptol. p. 28.

Digitized by Google

seque in insulam Samothracen ejici, quo in exilio usque ad tyranni interitum detenta fuit? At causam capti hujus tituli cum cognitus fratris adversum se *sororem* et conjugem amor, tum numi praesentes liberaliter suppeditant. Nam cum Arsinoe ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ titulum in numos suos arcessit, quo tamen Ptolemaeus ipse in moneta sua constanter abstinuit, satis apparet, factum istud, ut palam jactaret, honorifici hujus tituli argumentum a se petitum.

Dixi, in parte aversa exhiberi duplex cornucopiae. Mavult Barthelemyus poculum dictum Graecis ῥυτον, quod teste Athenaeo a) habuit cornu formam, et quod jussu Ptolemaei Philadelphi insertum fuit manui sinistrae signorum Arsinoes, magis refertum omnis generis fructibus, quam fuit cornu Amaltheae b). At vero eundem typum objiciunt numi Arsinoes Ptolemaei Philopatoros, Berenices Ptolemaei X., et Cleopatrae M. Antonii, nisi et in his dicamus efficta ῥυτα, non copiae cornua. Et forte bonus conviva, qui istud apud Athenaeum enarravit, confuderit signa Arsinoes cum signis Cleinus, quae ejusdem Philadelphi amica, eique a poculis fuit, multasque habuit Alexandriae erectas statuas, quae in manibus haberent rhyton, ut refert Polybius apud eundem Athenaeum c).

AV. RRR.

PTOLEMAEVS III. EVERGETES.

Philadelphi et Arsinoes prioris, Lysimachi filiae, filius, sed ab Arsinoe altera, quod haec liberis carebat, adoptatus patri succedit V. C. 507. A. X. 247. Seleucum II. Syriae regem, quod Berenicen novercam, quae eadem sua Ptolemaei soror fuit, interfecit, bello persequitur, et occupatis fere omnibus ejus provinciis, etiam trans Euphratem positis, et corrasa ingenti praeda in Aegyptum revertitur. Multas gentes versus Aethiopiam et sinum Arabicum sitas sibi subjicit. Pacis tempore bibliothecam sibi a patre relictam magnis augere accessionibus pergit, moriturque magna relicta nominis gloria propinato, si Iustino fides, a filio veneno V. C. 533. A. X. 221, cum regnasset annos XXV., sed XXVII. eidem tribuit marmor Adulitanum, quo super dubio vide notam Chishulli d).

Vxor *Berenice* Magae Cyrenes regis et Arsinoes F. secundum Iustinum e), et Polybium f). At secundum Pausaniam filia Apames Antiochi I. Syri filiae g). Hyginus eam Ptolemaei et Arsinoes filiam et Evergetae sororem appellat h), cum quo sentit quoque Catullus in poematio Callimachi de coma Berenices a se Latine reddito. At multo certior prior sententia cum propter auctoritatem virorum gravium, quos citavi, tum maxime, quod Ptolemaeus Philadelphus filiam jam habuit dictam Berenicen, nuptam Antiocho II. Syro, neque ullo pacto verisimile, binas filias eodem fuisse nomine; denique quod eadem Berenice ex Evergete filium habuit dictum Magam, at unde istud, nisi ex

a) L. XI. p. 497. b) B. L. T. XXX. p. 510. c) p. 576. d) Ant. Asiat. p. 75.
e) L. XXVI. c. 3. f) Exc. ex L. XV. g) L. I. c. 7. h) Poet. astron. L. II. c. 24.

Digitized by Google

nomine avi materni? Quod si Callimachus auctor coaevus, et qui tum Alexandriae degebat, sed cujus poemation Graecum interiit, ejusque interpres Catullus eam dixere sororem, id forte intellectum eo sensu, quod secundum Aegyptiorum institutum sorores plerumque in fratrum connubia concessere. Si Eratostheni fides [a]), cognomen habuit Ευεργετιδος, *beneficae*; nam de ejus coma in sidera relata cum loquitur, ait: πλοκαμοι Βερενικης Ευεργετιδος, nisi forte restituendum: Βερενικης Ευεργετης, *Berenices Evergetae* uxoris, ut supra vidimus: ΑΡΣΙΝΟΗΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Fuisse mulierem animi supra sexum generosi, tum patuit, quando, Evergetae jam desponsata, sed matre Demetrium Antigoni Macedoniae regis fratrem praeferente, cum quo ipsa mater deinde turpiter consuevit, novum sponsum in matris lecto immissis percussoribus interfici jussit [b]). De ejus coma sideribus illata vide Hyginum et Catullum [c]).

Ex hac Berenice natus *Ptolemaeus Philopator*, qui successit, *Arsinoe* futura fratris Philopatoris uxor, et *Magas* a fratre interemptus.

Numi:

Caput regis diadematum. Ꝟ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Ł. Ζ. *Aquila insistens fulmini, in area duo pilei Dioscurorum.* AR. I. (Vaill.)

Dubium non videtur, nummum hunc Tripoli Phoeniciae cusum, quod suadent Dioscurorum pilei in hujus urbis moneta obvii. Phoenice Aegypti regibus inde a Sotere usque ad excessum Ptolemaei V. Epiphanis paruit. Cum ergo, inquit Vaillantius, regum aliorum, qui Aegypto imperitabant, teneamus effigiem, necesse est, eam, quam praesens numus exhibet, neque aliorum cuipiam convenit, esse Evergetae. Conjectura sane tenuis.

* * *

Caput Iovis Ammonis. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Aquila fulmini insistens, in area* Κ. ΘΕ. Φ. etc. AE. m. m. I. II. III. (Mus. Caes.)

En tibi certissimos hujus Ptolemaei numos propter additum ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ titulum, quem sibi ab Aegyptiis datum propterea, quod deos a Cambyse ex Aegypto in Persiam abstractos in bello adversum Syros suscepto recepit, restituitque, adserit Hieronymus [d]).

AR. incerti. AE. R.

PTOLEMAEVS IV. PHILOPATOR.

Evergetae et Berenices filius, ut tutius regnaret, matrem, fratremque Magam interficit, quibus amotis otio, lustris, et voluptati indulget. Tamen Antiochum M. Coelesyriae causa bellum moventem insigni ad Raphiam victoria reprimit. Moritur V. C. 550. A. X. 204. variantibus aliorum calculis. Dictus fuit *Tryphon* teste Plinio [e]), haud dubie propter libidinis intemperantiam, et *Gallus*, quod Gallorum sacerdotum more hedera caput redimiret [f]). In

a) Castaster. 12. b) Justin. l. c. c) l. c. d) in Daniel. c. XI. v. 7. e) L. VII. §. 57. f) Scaliger ad chron. Euseb.

Digitized by Google

numis unus titulus *Philopatoris* legitur, de quo infra.

Ex Arsinoe sorore et conjuge natus *Ptolemaeus V. Epiphanes*. Sed Arsinoe meretricum machinis jubente fratre occisa est.

Numi:

Caput regis diadematum. ℞ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Aquila fulmini insistens, in area monogramma* ΤΤΡ. *subjecta clava, et* ΩΣ. AR. I. (Pellerin.)

Caput Iovis diadematum. ℞ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Aquila fulmini insistens.* AE. (Vaill.)

Numus prior rarissimus regi nostro vultum admodum juvenilem tribuit, nimirum qui puer regnum adivit, primis annis sub Sosibii tutela exactis. Titulum ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ explicat Iustinus [a]: *Aegyptum patre ac matre interfectis occupaverat Ptolemaeus, cui ex facinoris crimine cognomentum* Philopatori *fuit.* Nimirum nomen istud a Ptolemaeo serio adoptatum, ut procuratae neois paternae suspicionem amoliretur, at orbis parricidii conscius ἀντιφραστικῶς cepit.

* * *

Tetradrachma reliqua, quae ab antiquariis capto ex lineamentis indicio eidem Ptolemaeo tribui video, minus certo hujus sunt regis.

AR. RRRR. AE. RRR.

ARSINOE PHILOPATORIS.

Caput Arsinoes diadematum, supra humerum baculus. ℞ ΑΡΣΙΝΟΗΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Cornucopiae, in area* NI. *in imo* A. AV. m. m. (Theupoli. Catal. d'Ennery.)

Illustres sunt hi numi, neque praeterea alibi a me reperti.

AV. RRRR.

PTOLEMAEVS V. EPIPHANES.

Mortuo patre quinquennis regnum adit, sed cum Aegypti res tutorum seu discordiis, seu cupiditate pessumirent, et Antiochus M. Aegypti provinciis inhiaret, legatos Romam misere Alexandrini, qui tutorem regi suo a senatu peterent. Missus a Romanis Aemilius Lepidus regnum tutorio nomine administrat, cujus facti memoriam servavit denarius gentis Aemiliae. Alii Epiphanis filio Philometori praestitam hanc a Lepido tutelam autumant, quod dissidium in commentariis ad citatum denarium commemorabo. Epiphanes cum principio regnum cum laude gubernasset, sensim in voluptates et inertiam declinavit, cumque ad haec vitia accederet avaritia, a conjuratis veneno tollitur V. C. 573. A. X. 181.

Ex Cleopatra Antiochi M. filia suscepit *Ptolemaeos VI. et VII.* et *Cleopatram* utriusque fratris thalamum per vices expertam.

a) L. XXIX. c. 1.

Digitized by Google

Numi:

Tetradrachma quinque solitis typis Ptolemaeo Epiphani tribuit Vaillantius, in quibus scripti sunt anni inde a L. A. cum mediis usque ad L. KB. Sitne viri praestantis criterium ejus naturae, ut fallere non possit, inquirere non lubet, nam plus ad contendendos numos habuit opis, ac praeterea in vultuum criterio ceteris acutius potuit videre. Tamen mirari subit, numum inscriptum L. A. huic tribui regi, qui primo regni anno nonnisi quadrimus aut quinquennis fuit, pictura numi, ut videre cuivis licet, virilem omnino aetatem prodente.

PTOLEMAEVS VI. PHILOMETOR. DEVS.

Quinquennis sub tutoribus regnare incipit. Recuperandae Coelesyriae intentus ab Antiocho IV. vincitur, qui victoriae fructus legens Aegyptum ipsam occupat. Restitutus ab ipso, qui pepulerat, hoste fratrem Ptolemaeum VII. in regni communionem vocat, sed ab hoc ejectus Romam fugit, mox senatus auctoritate hac lege inter dissidentes fratres pax constituitur, ut Philometor Aegyptum cum Cypro, frater Evergetes Libyam cum Cyrene obtineret. Antiocho IV. Syriae rege vita functo ipse turbarum magna pars fuit, quibus Syria aliis regibus ejectis, aliis intrusis misere differebatur. Moritur V. C. 608. A. X. 146. anno regni XXXIV.

Ex Cleopatra sorore filium habuit patrui Ptolemaei VII. Evergetae insidiis interemptum, et *Cleopatras duas*, quarum major famigerata illa trium Syriae regum uxor a filio Antiocho VIII. caesa est. Vide numos regum Syriae.

Numi:

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. ΘΕΟΥ. *Aquila fulmini insistens cum transverso palmae ramo, infra* L. Δ. AR. I. (Vaillant.)

Caput Iovis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini, in area* L. ΛΔ. *et balaustium.* AE. II. (Pellerin.)

Numum priorem esse hujus regis, titulus ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ evincit. Cepit hoc nomen in matris gratiam, in cujus tutela fuerat, alterum ΘΕΟΥ advocavit vanitas, jam nonnullis praecedentium Ptolemaeorum tributum. In marmore apud Chishull [a]) legitur: ΒΑΣΙΛΕΑ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΝ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΝ. ΤΗΝ. ΑΔΕΛΦΗΝ. ΘΕΟΥΣ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΑΣ. Aeneum alterum huic regi largitur Pellerinius propter annum ΛΔ, nam demptis duobus primis Ptolemaeis nullus successorum tot annos regnavit.

Praeter tetradrachmum citatum nullum aliud reperit Vaillantius, quod Philometori tribueret. Et tamen verisimile est, intra annos XXXIV., quibus regno praefuit, copiosos ejus nomine numos fuisse cusos. Ex quo patet iterum, hunc auctorem in distribuendis ex oris similitudine numis magis conjectu-

a) Ant. Asiat. p. 88.

Digitized by Google

ras quasdam vagas, quam certam rationem secutum, et haud dubie non paucos, quos Ptolemaeis aliis impertivit, esse Philometoris.

AR. certi RRRR. AE. RRR.

PTOLEMAEVS VII. *Evergetes, vulgo Physcon.*

Mortuo fratre Philometore ex Cyrenaica, quam ex pacto tenuerat, Alexandriam appulsus, caeso fratris filio puero Aegypti regnum invadit, et in omnes, qui obstare videbantur, implacabili crudelitate saevit. Quibus irritatum malis vulgus eum *Cacergetem* dixit, ut in ludibrium verteret nomen *Evergetae*, quod sibi, incertum qua de causa, indiderat. Apud Athenaeum [a]): Πτολεμαιῳ τῳ ἑβδομῳ βασιλεως, τῳ καὶ Ευεργετῃ κληθεντος, *Ptolemaei regis septimi, qui et Evergetes dictus est.* De titulo Κακεργετης vide apud eundem [b]). Sed et ob foedas libidines et corporis sagenam *Physconis* nomen meruit, utrumque tamen in numis reticetur. Moritur V. C. 638. A. X. 116 anno regni XXX., cum regnum legasset Cleopatrae ex fratre nepti, eidemque uxori, et filiorum uni, quem ipsa maluisset.

Vxor I. Cleopatra soror, sed qua repudiata uxor II. Cleopatra ex fratre neptis, ex qua nati *Ptolemaeus VIII.* et *Ptolemaeus IX.*, qui successere.

Ex concubina Irene natus *Ptolemaeus Apion*, futurus Cyrenes rex.

Numi:

Caput regis diadematum vultu in senium vergente. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens cum transverso palmae ramo, in area* L. Iϛ. *et* ΠΑ. AR. I. (Vaillant.)

Physconi numum hunc tribuit Vaillantius causa vultus senilis, qui nimirum fratri Philometori superstes fuit, et ipse annos XXX. regnavit. Aliud indicium petit a palma transversa, quod nimirum haec quoque in certo fratris Philometoris numo sic conspiciatur.

De numis Physconis haec Pellerinius [c]), esse omnium minime raros, et eo inter omnes regum Aegypti numos facile discerni, quod eorum omnes in area aversae loti florem exhibent, et quidem ea forma, qua is in monumentis aliis non comparet. Eam ego doctrinam neque in Vaillantii, neque aliorum commentariis reperi. Vtinam vir eruditus, dum ignotam hactenus regulam praescribit, docuisset etiam primum peculiarem ejus floris formam, deinde causam, ob quam numi, in quibus hujus formae lotus comparet, Physconi sint adjudicandi.

PTOLEMAEVS VIII. SOTER DEVS *vulgo Lathurus.*

Ptolemaei VII. Physconis et Cleopatrae F., a populo invita matre, quae filium juniorem Ptolemaeum Alexandrum malebat, quod sibi obsequentiorem speraverat, rex agnoscitur. Cum

a) L. VI. p. 252. b) L. XII. p. 549. c) Rois p. 44.

Digitized by Google

X. annos regnasset, matris artibus regno ejicitur suffecto fratre Alexandro. Tolerato complurium annorum exilio, cum matrem a fratre Alexandro caesam, ipsum vero metu regno excessisse intelligeret, in Aegyptum redit, regnumque recuperat. Haec ex Pausania [a]). Moritur circa annum V. C. 673. A. X. 81.

Vxor Cleopatra Selene, ex qua nata *Berenice*, cujus numum dabimus infra. Ex concubina nati *Ptolemaeus XI. Auletes*, et *Ptolemaeus* alter futurus Cypri rex.

Numi:

Caput Iovis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΣΩ. ΘΕ. *Duplex cornucopiae colligatum.* AE. II. (Mus. Caes., le Blond Observ. p. 7.)

Eundem numum Pellerinius olim Ptolemaeo I. Soteri tribuit, serius agnitum errorem retractavit praecone usus erudito Blondio. Additus ΣΩτηρος titulus, quo scriptores veteres Ptolemaeum VIII. compellant, laudatos hos numos huic regi vindicat. De juncto ΘΕ nomine nondum hactenus constabat. Eum quoque *Lathurum* appellant Iustinus [b]), et aliquoties Plinius, et dictum *Philometorem κατ' ἀντιφρασιν* refert Pausanias [c]), sed haec convicia numorum veterum gravitas nunquam recepit, quibus serius Goltziana sive fraus., sive oestrus liberale in thesauro suo hospitium dedit.

* * *

Vaillantius bina tetradrachma solitae formae, solo ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. notata, et cum annis A. et I. fiducia lineamentorum huic Ptolemaeo tribuit, an jure, decidant alii.

AR. incerti. AE. RRR.

PTOLEMAEVS IX. ALEXANDER I.

Ptolemaei VII. Physconis filius natu minor a matre Cleopatra pulso fratre Lathuro in regnum intrusus. Matrem, cujus se peti insidiis cognoverat, interficit quidem, sed facto populi facinus detestantis concursu in exilium pellitur, mox comparata classe ubi reditum per vim urget, maritimo praelio victus interit, fratrique iterum Lathuro hactenus exuli ad recuperandum regnum viam aperit V. C. 668. A. X. 86.

Filium habuit *Ptolemaeum X. Alexandrum.*

Numi:

Vaillantius tria tetradrachma solita item inscriptione et typo huic Alexandro impertit, addito, neminem esse tam tironem, qui in his non prima fronte Ptolemaeum Alexandrum agnoscat. Quo oraculo si tibi satisfactum putas, adi ejus iconismos, et tuo laetus Alexandro fruere.

Binos adhuc numos Ptolemaeis Alexandris video dedicari. Horum unum: *Caput juvenile elephanti exuviis tectum.* Ϟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Victoria gradiens d. lauream, s. tridentem, in area anchora.* AE. III. Pellerinius huic Ptolemaeo IX. eidemque Alexandro I. defert. Alterum: *Caput juvenile leonis exuviis*

a) L. I. c. 9. b) in proleg. L. XXXIX. c) L. I. c. 9.

Digitized by Google

tectum. ↧ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Aquila fulmini insistens et respiciens.* AR. III. Vaillantius Ptolemaeo X. Alexandro II. tribuit. At enim si hi numi vere sunt horum regum, causam cuperem attulissent, cur iidem in tetradrachmis inscribantur nomine ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ., at in praesentibus nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Ad haec video, in regum Aegypti numis rarissime omitti nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ, atque istud tum tantum, cum honorificus quidam titulus ejus vicem supplet, ut ΣΩΤΗΡΟΣ. vel ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. Videntur ergo numi similes cum propter has, tum alias causas potius Alexandris Epiri regibus tribuendi, ut in his diximus.

Alios Ptolemaei IX. numos vide continuo in numis Cleopatrae.

CLEOPATRA *mater Ptolemaeorum VIII. et IX.*

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. *Caput Iovis Ammonis.* ↧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Duae aquilae insistentes fulmini, in area cornucopiae.* AE. I. (Pellerin.)

Caput Iovis Ammonis. ↧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Duae aquilae insistentes fulmini, in area cornucopiae.* AE. I. III. II. Numi obvii.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. *Caput muliebre elephanti exuviis tectum.* ↧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. (Vaill. Pellerin.)

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. ↧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini, in area cornucopiae.* AE. II. III. Numi obvii.

Hos numos Pellerinius et Vaillantius huic Cleopatrae tribuunt, nimirum quae ipsa, et quidem ex mariti testamento regno praefuit, adscito in societatem primum priore, dein altero filio, quorum alterutrius nomen superficies aversa prodit. Conjunctum etiam duorum regnum rite arguit aquila duplex. Tamen non satis causae video, cur iidem numi non possint referri ad Cleopatram postremam, quae regia quoque potestate Aegypto praefuit sociatis per intervalla binis fratribus. Ad oris lineamenta provocabit Pellerinius multum diversa ab iis, quae Cleopatrae postremae certi ejus numi vindicant. Verum nequaquam satis liquet, capite elephanti exuviis tecto proponi Cleopatrae effigiem. Quid enim obstat, quo minus esse genium Alexandriae existimemus? Enimvero caput simillimum est in obviis numis Alexandrinis, Galbae, Othonis, Titi, adscripto insuper ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ, et simili cultu est mulier in numo Alexandrino Hadriani cum anno IE. Constat vero etiam, inclinante Aegypti regno magnam fuisse Alexandrinorum potentiam, reges pro libitu ut aut reciperent, aut amolirentur, ut adeo jure praepotentis ejus urbis genius, quem ab ipsis regibus observari decuit, regiae monetae sit insertus. At vero, judice Pellerinio, in aliis numis elephanti exuviae caput muliebre operiunt, quod est Cleopatrae, in aliis virile, quod est filii Ptolemaei. Vereor, ne praetensa id genus capita virilia antiquariorum oculis illudant, nulla sane horum culpa,

Digitized by Google

sed artificum utriusque sexus lineamenta confundentium. Cui ignotum, in obviis aureis A. Hirtii caput velatum, quod est Pietatis, sic esse fictum, ut in aliis indubitatam, quod decuit, mulierem arguat, in aliis tam ambigua praeferat lineamenta, ut essent etiam viri non pauci praestantes, qui illo caput Iulii Caesaris sisti dejerarent [a])? Verius igitur tenendum puto, quotiescunque hoc cultu caput proponitur, esse genii Alexandriae. Neque vero additum ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ Cleopatrae etiam caput comprobabit, nam tum barbatum cornutumque caput numi primi, juxta quod perinde scriptum ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, ejusdem esse Cleopatrae necesse erit statuere. Atque his praecognitis facile resolves argumenta, quibus aliene in opere utitur Pellerinius, ut Ptolemaeo IX. adsereret caput similis cultus insculptum veteri silici, addito ΑΛΕ. ΕΠ. Β. quod explicat: ΑΛΕξανδρε ΕΠΙφανης Βασιλευς [b]).

CLEOPATRA SELENE.

Ptolemaei VII. Physconis filia, uxor primum Ptolemaei Lathuri, subinde Antiochi VIII. Grypi, denique Antiochi X. Philopatoris. Ejus numos jam in regibus Syriae produximus. Horum unum, qui certo in Aegypto signatus est, restituimus.

Numus:

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΣΗΛΗΝΗΣ. (sic.) *Caput reginae.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. (Vaill.)

Vide numos regum Syriae post Antiochum VIII.

BERENICE.

Ptolemaei VIII. Lathuri et Cleopatrae Selenes filia. Patre sine haerede masculo vita functo volentibus Alexandrinis regno praeficitur, non multo post urgente Sulla regni torique consortem admittere cogitur Ptolemaeum X. consobrinum, a quo XIX. sociati regni die occiditur.

Numi:

Caput reginae velatum. ℞ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ. *Cornucopiae inter duo astra.* AV. (Patin ad Sueton. in Tito cap. 7. Panel Catal. le Bret.) AV. quinarii forma. (Catal. d'Ennery.) AR. I. (Vaill. Theup.) AE. I. (Liebe p. 128.)

Sola sine regni socio in his numis comparet Berenice, sed et diximus, solam aliquamdiu regno praefuisse. Numismatis *Berenicii* meminit Pollux [c]), sed cujus Berenices, non distinguit.

AV. AR. AE. RRR.

PTOLEMAEVS X. ALEXANDER II.

Ptolemaei IX. Alexandri I. filius. Patre ad recuperandum Aegypti regnum, quo propter matris caedem exciderat, cum classe praefecto ipse interea in Co subsistere jussus, adventanti subinde Mi-

a) Morelli Impp. T. I. p. 39. b) Caylus T. V. p. 149. c) L. IX. c. 6. §. 85.

Digitized by Google

thridati ab insulanis una cum thesauris traditus, cum hujus fortunam inclinare cerneret, ad Sullam confugit, a quo benigne acceptus in avitum Aegypti regnum data in uxorem Berenice consobrina restituitur, qua post XIX. dies caesa solus regnum retinet. Ab Alexandrinis, quibus semper invisus, et inde metuendus amplius non fuit, pulsus Tyrum fugit, ubi paullo post contracto morbo diem obit, cum antea Romanos, quo suos ulcisceretur, testamento haeredes scripsisset.

Numi:

Argenteum drachmae forma, quem Vaillantius huic regi, sed, ut videtur, perperam tribuit, descripsi supra in numis patris Ptolemaei IX.

PTOLEMAEVS XI. *nouus Dionysus, Auletes.*

Alexandrini audito, Romanos supremis tabulis a Ptolemaeo X. haeredes regni constitutos, veritique, ne hi vacuam rege provinciam occuparent, Ptolemaei VIII. Lathuri filios duos nothos advocant, et alterum Aegypti, alterum Cypri regno praeficiunt. At Aegypti rex nihil firmum ratus, nisi quod Romanis probaretur, profusis largitionibus senatus consultum extorquet, quod sua in Aegyptum jura solidaret. Paullo post Cyprus lege Clodiana in provinciam redigitur, cujus rex cum vim opponere non posset, hausto sponte veneno meritur. Quo facto in rabiem acta plebs Alexandrina, quod nullam a rege suo fratri opem latam vidit, movere seditionem non destitit, dum rex fuga salutem quaereret, qui Romam delatus, et ut in regnum suum restitueretur, supplex, dum deliberando tempus teritur, quo esset modo restituendus, ad Gabinium Syriae praesidem proficiscitur, et hoc adjuvante regnum recuperat, caesa mox filia Berenice, quae se absente regnum Aegypti obtinuit coeptate marite primum Cybiosacte quodam, qui se sanguine cum Seleucidis conjunctum ferebat, deinde Archelao, filio ejus Archelai, quem Mithridates VI. inter illustriores exercitus sui duces habuit. (Strabo L. XVII. p. 1146.) Moritur V. C. 704. A. X. 50. princeps immoderatus et voluptatibus immersus. Dictus *novus Bacchus* sive per adulationem, sive propter formae illecebras, et *Auletes*, quod choraulam potius egit, quam regem.

Proles habuit *Ptolemaeos duos*, qui successere, filias *Tryphenen*, *Berenicen*, famosam *Cleopatram*, et *Arsinoen*.

Numi:

Caput regis radiatum exstante retro tridente. Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Cornucopiae radiis circumdatum, in area* ΔΙ. *aut aliud, aut nihil.* AV. m. m. AR. I. (Vaill. Theupoli, Pembrock, Mus. Christoph. Wiesioloski nob. Poloni.)

Illustres hos numos Vaillantius aliique hujus esse Ptolemaei statuunt causa tridentis. Qui enim novum Bacchum se appellari permisit, facile etiam admiserit nomen alterum *Neptuni*, postquam ejus nomine Gabinius Archelaum maritima pugna vicit.

Alium etiam numum aeneum, eum-

Digitized by Google

que obvium: *Caput diadematum.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens*, nulla certa ratione eidem offert Vaillantius.

AV. et AR. RRR.

PTOLEMAEVS XII. *Dionysus.*

Patris testamento annos natus XIII. rex appellatur destinata uxore Cleopatra sorore, quae orto tum Romanorum bello civili Pompejum propter ejus in patrem merita commeatu copiisque palam juvat, sed quod omnia neglecto fratre per se una administraret, ab Alexandrinis in Syriam ejicitur. Pompejum ad Pharsalum victum et in Aegyptum profugum Ptolemaeus suorum suasu interfici jubet. Secutus paullo post Caesar, captusque forma Cleopatrae dum eam conciliare fratri, et restituere in Aegyptum adlaborat, difficili bello a Ptolemaeo petitur, sed in quo hic victus, mersusque Nilo perit V. C. 707. A. X. 47.

Numi:

Caput regis hedera redimitum prominente retro thyrso. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens.* AR. I. (Vaillant.)

Propter hederam et thyrsum, Bacchi certa attributa, praesentem numum huic tribuendum Ptolemaeo putant eruditi. Hedera etiam in numis redimitur Antiochus VI. Syrus, qui et ipse Dionysi nomen tulit. Ptolemaei cognomine *Dionysi* meminere etiam Lucianus, et Clemens Alexandrinus, sed quotum intellexerint, non satis certum. Lege disputantem Spanhemium [a]).

AR. RRRR.

PTOLEMAEVS XIII.

Puer undennis, Ptolemaei XII. frater, hoc undis hausto ex Caesaris victoris praescripto rex Aegypti proclamatur designata etiam uxore, tum et regni consorte sorore Cleopatra, sed hujus circumventus insidiis perimitur V. C. 712. A. X. 42.

Numi:

Tetradrachmum cum typis solitis propter faciem magis juvenilem postremo huic Ptolemaeo commodat Vaillantius, sed quod criterium magnopere sane vacillat.

CLEOPATRA M. *Antonii.*

Ptolemaei XI. filia, post cujus obitum nupta primum fratri seniori Ptolemaeo XII., et hoc, ut diximus, flumine merso, juniori fratri Ptolemaeo XIII., quo suo jussu interempto impetravit, quod intenderat, ut sola regnaret. Ingruente post Caesaris necem bello civili IIIviros pecunia navibusque juvat. Antonium in provincias transmarinas profectum, sibique varia objectantem, instituto ad eum in Ciliciam itinere sic brevi apparatus pompaeque magnificentia et nitore, ac cumprimis formae sermonisque illecebris sibi devinxit, ut in omnibus deinceps haberet obsequentem. Quae

a) T. I. p. 435.

Digitized by Google

reliqua ejus fuerit fortuna, ut suo penitus Antonio devóta cum eo consueverit, ac denique uxoris nomine cohabitaverit, ut bello ab Octaviano petita victa sit ad Actium, quoniam cum Romana haec historia connectuntur, in M. Antonii moneta exequemur. Post cladem in Aegyptum profuga, cum dilapsis regibus amicis armis jam diffideret, et Octavianum solitis artibus, quae una sibi spes reliqua fuit, flectere nequiret, verita, ne ad triumphum reservaretur, aspidis, ut creditur, morsu sibi mortem acceleravit, ac Ptolemaeorum regnum secum tumulo intulit V. C. 724. A. X. 30. Atque hunc in modum vitam finivit mulier, ut illustris formae, sic et libidinis et avaritiae insatiabilis, atque ambitionis adeo immoderatae, ut non contenta Aegypti regno fraterna caede parto Romanum etiam imperium palam adfectaret, cumque duos viros ejus aetatis maximos in retia traxisset, quod in tertio fefellerat, necem praeoptavit aetatis anno XXXVIII. Vide Plutarchum in Antonio, et Dionem.

Liberi Cleopatrae: ex Iulio Caes. *Caesario*, Octaviani jussu, ut fertur, interemptus. Ex M. Antonio: *Alexander*, et *Cleopatra* gemelli, et *Ptolemaeus* cognomine *Philadelphus*. Hi ab Octaviano in triumphum ducti, Cleopatra subinde Iubae juniori elocata, eique permissi fratres Alexander et Ptolemaeus.

Numi:

ΒΑCΙΛΙCCΑ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. ΘΕΑ. ΝΕΩΤΕΡΑ. *Caput reginae diadematum.* ℞ ΑΝΤΩΝΙΟC. ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΤΡΙΤΟΝ. ΤΡΙΩΝ. ΑΝΔΡΩΝ. *Caput M. Antonii nudum.* AR. I. (Vaill. Morelli.)

Caput margaritis ornatum prominente retro pharetra. ℞ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. *Duplex cornucopiae.* AE. (Vaill.)

Cleopatram, quam numus prior in genere *novam deam* appellat, Dio narrat suo ipsius adflatu dictam fuisse Lunam et Isidem [a]), et refert Plutarchus, eam novae Isidis nomine oracula fudisse [b]). Lunae nomen confirmat numus alter Dianae imagine. Pars aversa, qua Antonius *imperator III.* et *IIIvir* appellatur, explicabitur in ejus numis.

* * *

- ΛΕΟΠ. - - Γ. Μ. Α. Τ. *Caput Cleopatrae.* ℞ ΚΡΑΣ. *Crocodilus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numum hunc olim edidi, et latius explicavi [c]). Mancam anticae epigraphen legendam censui: ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ Γυνη Μαρκου Αντωνιου Τριτον. Nomine ΚΡΑΣ. dixi indicari P. Canidium Crassum notum M. Antonii ad varia bella legatum, et ab ipsa Cleopatra, quod gratia apud Antonium valebat, impense observatum. Obvii est exempli in moneta M. Antonii tam argentea, quam aenea memorari ejus seu legatos, seu quaestores, at horum aliquem prodi in numo solius Cleopatrae, si praesentem demas, alibi nondum reperi. Nimirum mulier impotens imperare se ipsis provinciis Romanis, et quidem, quod turpe dictu, harum praesidibus saepe non invitis, palam prae se tulit. Enimvero teste Dione [d]) non Antonium modo, sed

a) L. L. c. 5. b) in Anton p. 941. c) Num. vet. p. 292. d) L. L. §. 5.

Digitized by Google

ceteros etiam, qui apud eum gratiosi erant, praestigiis suis ita sibi obstrinxit, ut ausa esset imperium sibi in Romanos polliceri, ejusque maxime solenne esset jusjurandum, jurare per jus, quod ipsa olim in Capitolio datura esset.

* * *

ΒΑCΙΛΙCCΗC. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑC. *Caput reginae.* Ϡ ЄΤΟΤЄ. ΚΑΤΟΤ. ΚΑΙ. Ϲ. ΘЄΑC. - - - *Caput M. Antonii nudum.* AE. II. (Pellerin Suppl. I. p. 6.)

Singulare est in hoc numo epochae annus hoc, quo dictavimus, modo expressus. Recte advertit Pellerinius, legendum: ἔτους εἰκοστοῦ πρώτου καὶ διακοσιοστοῦ, id est: *anno vicesimo primo supra ducentesimum*, ad quam lectionem comprobandam aliud ibi insigne exemplum adfert ex numo regis Agrippae: ЄΤΟΤϹ. ΑΙΤΟΤ. id est: ἐνδεκάτου, *anno XI.* Auctor catalogi d'Ennery numo simili suo inscriptum praetendit: ЄΤΟΤϹ. ΚΔ. ΤΟΤ. ΚΑΙϹ. quod explicat: *anno XXIV. Caesaris* a). Concinne, si superis placet, utrumque. Interea non satis liquet, qua in urbe hi sint numi signati. Ex epochae natura verisimile putat Pellerinius, esse cusum in insula Arado.

* * *

Caput reginae diadematum. Ϡ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. *Aquila insistens fulmini, in area* L. ϛ. AR. III. (Vaill.)

Vultus et capitis cultus dubitare non sinunt, rarissimum hunc numum posteriorae esse Cleopatrae.

* * *

Omitto numos alios huic Cleopatrae tribui solitos, sed qui certa criteria non suppeditant. Omitto etiam numos Latine inscriptos seu argenteos, seu aeneos, quos recenset Vaillantius, partim quod hi opportunius in M. Antonii monetam differentur, partim quod verisimilius aliis videtur, caput muliebre in multis numis cum M. Antonii capite jugatum non esse Cleopatrae, sed Octaviae, quod curate in ejus IIIviri numis expendemus.

AR. RRR. AE. RR.

PTOLEMAEI INCERTI.

Capita jugata Sarapidis et Isidis cum loto in utriusque capite. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ. *Aquila insistens fulmini, retro duplex cornucopiae, infra* ΔΙ. AR. I. (Mus. M. Ducis.)

Numus a me olim editus b), sed nullo pacto, cujus sit Ptolemaei, colligi potest. Metallum tenue esse unius ex posterioribus Ptolemaeis persuadet. Similem editor musei Pembrock tribuit Soteri I. c).

* * *

Caput Iovis Ammonis. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ. *Aquila fulmini insistens, in area* L. ΚΖ. *vel* L. ΚΗ. *et flos loti.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numum similem jam recitavi in numis Ptolemaei II. Philadelphi, quem certum est ejus esse regis propter additum L. ΜΑ. Non vererer, praesentes quoque numos eidem largiri, sed video, numos, in quorum aversa est flos loti, a Pellerinio tribui Ptolemaeo VII. Physconi, etsi hujus legis causam non adferat, ut diximus.

a) pag. 513. b) Num. vet. p. 294. c) P. II tab. 56.

Digitized by Google

* * *

Caput regis diadematum. ℵ *Messor segetem falce amputans.* AV. IV. (Pellerin Rois p. 208.)

Ex oris lineamentis colligit Pellerinius, tribuendum numum uni ex primis Ptolemaeis. Aegyptium vero numum comprobare videtur etiam, quod idem aversae typus est etiam in Alexandrino Antonini Pii.

* * *

Superest ingens agmen numorum aeneorum, qui una parte caput Ammonis, altera ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ., et aquilam fulmini insistentem exhibent. Absunt tamen criteria omnia, quae Ptolemaeos discernant, et ipsi etiam regni anni. Sola in iis monogrammata, literae, minuta sigilla variant. Sed etsi incertae sunt stationis, eos tamen commendat non modo insignis fabrica, sed etiam eorum non paucos amplum volumen, ac cumprimis pondus, quo omnes aliorum populorum numos superant demptis Italorum assibus. Praetereo numos aeneos alios vagis typis, et vaga Ptolemaei cujuspiam inscriptione.

De initiis vocabulorum in regiis Aegypti numis.

Pars aversa regiae hujus Aegypti monetae saepe per aream sistit principia vocabulorum ΠΑ. ΚΙ. ΠΗ. ΘΕ. ΔΙ. ΜΕ. etc. Sunt haec Vaillantio, qui in explicandis omnibus omnium numorum literis solitariis facilem exitum, plerumque infelicem, reperit, literae *ἀρχαῖσαι* urbium Aegypti vel Cypri, in quibus signatos hos numos contendit, nimirum Paphi, Citii, Pelusii, Thebarum, Diopolis, Memphis etc. Verum, ut jam advertit Pellerinius [a]), sunt in numis aliis similibus literae solitariae ejus naturae, ut iis vix ideneam aliquam urbem, in qua cusi essent, possis reperire. Quare facile mihi cum eo convenit, esse eas monetariorum notas quocunque demum explicatu, nobis certe hactenus ignoto. In numo Soteris I. cum Vaillantius videre se literas AB. putaret, eas continuo in *Abydus*, quae fuit Aegypti urbs, produxit. At si cum hoc numo contendas ejusdem Soteris numos a Pellerinio vulgatos, patebit, nequaquam legendum esse AB., sed ΛΒ., quo annus regni XXXII. indicatur.

a) Additions p. 83.

Digitized by Google

NVMORVM AVGVSTORVM
CLASSIS II.
DE NVMIS AEGYPTIORVM
vulgo
ALEXANDRINIS.

Exstincto Ptolemaeorum regno, et Aegypto in Romanorum potestatem redacta, imperatorum deinceps nomine moneta feriri coepta, quam modo tractandam suscipimus. Alexandrina imperatorum dici solet, quia verisimile est, Alexandriae principe Aegypti urbe fuisse signatam.

Hanc numorum classem illustrem faciunt cum incredibilis eorum numerus, tum argumenta, quae continent, ac denique series imperatorum perpetua inde a M. Antonio IIIviro usque in imperium Diocletiani producta. Quae insignia eorum merita cum specto, mirum saepe visum, non pridem eruditorum aliquem ad universam colligendam, explicandamque animum appulisse. Enimvero simile tentamen ante annos bene multos sucepit Khellius noster spectatae vir eruditionis, ac promptae in haec nostra studia voluntatis, quod manu scriptum possideo. In eo vir praestans eum ipsum ordinem secutus est, quem sibi Frölichius in annalibus rerum regumque Syriae praescripserat; nimirum imperatorum annalibus adstituit numos per inscriptos annos eo pertinentes, quos partim in catalogis, variisque auctoribus editos reperit, partim ii, quos erudito literarum commercio sibi conjunctos habuit, secum communicavere. Opus istud in Hadriani usque tempora deductum imperfectum mansit. Ex eo viri eruditi conatu ad praesens meum institutum vix aliquem percepi fructum quod in multis idem redundat, idem deficit, deinde nihil, aut vix aliquid commemorat eorum, quae ad typos eorumque explicatum, aliasque horum numorum causas pertinent, ut praeteream, non satis purgata eum crisi aut in eorum selecta, aut epigraphes lectione usum. Quod Khellius morte praeventus exequi non potuit, cumulate praestitit Georgius Zoëga Danus, mihi, quod cum voluptate profiteor, longiore Vindobonae usu notissimus, qui cum

Digitized by Google

catalogum monetae Alexandrinae Caesarum, quae in museo Borgiano adservatur, edere pararet, eadem opera numos hujus argumenti omnes, quos in praestantissimis Europae museis aut vidit ipse, aut quos in catalogis reperit sive praelo vulgatis, sive manu scriptis, collegit et in lucem dedit vulgato opere, cui titulus: *Numi Aegyptii imperatorii prostantes in museo Borgiano Velitris, adjectis praeterea, quotquot reliqua hujus classis numismata ex variis museis atque libris colligere obtigit. Romae apud Antonium Fulgonium MDCCLXXXVII. in 4to.* Prodiit vere auspiciis Em. S. R. E. Cardinalis Stephani Borgia, cujus nomen, quod veteris aevi reliquias non modo magna cura, majoribus impensis conquirere studet, sed etiam, praestantissimorum usus virorum opera, quos undecunque oriundos sibi devinctos habet, et in amicis putat, publici fieri juris gestit, cujus, inquam, nomen jam nunc in Aeternitatis templo praefulget, et quoad philologiae honos habebitur, omnium linguis ac gratulatione celebrabitur. Opus istud si praestantissimis adnumero, quae in simili causa lucem viderunt, nemo erit eorum, qui modo aequi sint ac periti artis nostrae judices, cujus non sperem laturum suffragia. Neque enim in eo desiderabis aut copiosam multarum rerum scientiam, vastamque eruditionem, aut totius partes nitide ac ordine dispositas, aut in colligendis Aegyptiis numis industriam et adcurationem, quo quidem in conatu rem fecit omnibus nobis gratissimam, quod tandem in lucem protraxit hujus argumenti numos, quos locupletissimum regis Galliarum museum continet. Neque feliciorem impendit operam vulgandis iis, qui cogniti nondum fuere, quam ingeniose ac dextere corrigendis iis, qui aversa Lucina sunt editi, aut denique aspernando Goltzii figmenta, aliorumque cognitos abortus, quibus nulla ars fingendo potest subvenire. Eadem opera auctor clarissimus instituit inquirere in religionis Aegyptiae genesin, naturam, causas, mysteria, ejus explicare allegorias et labyrinthos multis saepe infeliciter tentatos, significationem rerum ac nominum vocata suppetias Coptorum lingua enucleare; quae quidem superflua existimarem pleraque, si mihi uni scripta putarem, et non tot aliis, quibus sane persuasissimum est, inesse certam aliquam rationem, consilium ac nexum in Aegyptiorum superstitione, quam vetustissimus stupor parturivit, conseoravit antiquitatis opinio, exornavit callidum sacerdotum ingenium, ut plebs rudis suas aliquid putaret esse nugas, quam denique historicorum et grammaticorum credulitas anilibus fabulis ac figmentis sic involvit, ut quid antiquissimo aevo creditum fuerit, discernere cum ratione non possis. Spero, ea, quae modo disputavi, nequaquam viri praeclari ingratiis esse dicta, quando in operis praefatione modestius ipse, quam verius professus est, semetipsum sibi succensere, quod Aegyptiarum rerum explicationem nonnunquam tentare ausus esset, de quibus nisi praemisso diuturno et indefesso studio nihil sani in medium adferre datur. Sed enim vatem me ausim praestare amicissimo Zoëgae,

Digitized by Google

quaecunque aliquando post impensum qualecunque studium in hac causa scripserit, aeque sibi displicitura, capturumque sero experimentum, exercitationi ac vigiliis parum respondisse fructus speratos, eumque rectissime arbitrari, qui ad investigandas Aegyptiae theologiae causas non nimiam ἀκριβειαν adferendam putat, praeclari ejus dicti Horatiani memor: *Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.* Vt enim Aegyptius Nilus suum diu caput occuluit, sic et suum Aegyptiorum dii, et quod arcana Isis de se olim praedicaverat, potest eadem in hunc diem jure praedicare: ΤΟΝ. ΕΜΟΝ. ΠΕΠΛΟΝ. ΟΥΔΕΙΣ. ΠΩ. ΘΝΗΤΟΣ. ΑΠΕΚΑΛΥΨΕΝ a).

Ad meum in hac operis parte institutum quod attinet, non est mihi animus texere catalogum omnium hujus classis numorum, cum quod istud instituti mei limites vetant, jamque abunde a cl. Zoëga est praestitum, tum quod repetita crambe lectores fatigaret; nam inde a Commodo vix alii jam illustres typi, aut saltem non jam ex prioribus cogniti occurrunt, solis annis inscriptis chronologiae causa reliquum hujus monetae meritum facientibus. Sedulo tamen cavebo, ut nihil ejus omittam, quidquid commemoratu dignum est, et quocunque pacto philologiae studia ornat juvatque, sic ut perlectis his abunde videri possit instructus lector, neque amplius quidquam ad hujus monetae intelligentiam desiderare. Ejus causa universum hoc tentamen in IV. capita dispesco, quorum I. complectetur typos in hac classe frequentiores, II. partem chronologicam, III. fabricam, metallum, modulum, IV. ipsum numorum catalogum.

Adjumentis ad perficiendum hoc opus usus sum, primum museo Caesareo, hujus classis moneta, ex quo ejus catalogum typis vulgaveram, praeclaris accessionibus aucto; deinde catalogis jam cognitis, quos inter illustriores sunt ii, qui numos musei Theupoli et Arigonii continent, quanquam in his cautione opus est, quia eorum aut dictata aut picta saepenumero fallunt, tum numi Bandurii inde a Decio, denique et lectissima laudati Zoëgae supplementa. Magno etiam usui fuit catalogus musei Philippi de Stosch ipsius possessoris manu exaratus, et petenti Khellio anno 1752 missus, in quo pretiosam horum numorum supellectilem, eamque adcurate descriptam reperi, tum et catalogus MS. musei S. Floriani Austriae superioris olim Apostoli Zeno. Auctores alios illustres, Pellerinium, Barthelemyum, Belleyum, qui, cum occasio tulit, eorum nonnullos edidere, suis locis indicatos reperies.

CAPVT I.

Typi hujus classis frequentiores.

Plerique numi Alexandrini deos aut ritus sacros, petitos sive a religione domestica, sive Graeca, sive Romana offerunt. Ex Graecorum disciplina huc

a) Plut. de Is. et Osir. p. m. 354.

Digitized by Google

fluxere Hercules varios suos labores exercens in numis Antonini, Iuno Argiva, Neptunus Isthmius etc. in numis Neronis, aliique passim dii aut heroes, quos tamen huc non voco sed tempori, quo signati sunt, reservo, quia aut rarius in his numis comparent, aut plerumque aliquid habent causae, quod eos cum imperatoribus connectit, quorum imagines in antica exhibentur. Romanum ritum olent lectisternia, Spes, Concordia, Abundantia, Providentia etc. typi prorsus Romani, at in moneta Alexandrina luculenti servitutis testes. Possum adeo hoc loco ab iis explicandis abstinere, quod istud in moneta Romana praestabitur. His ergo prolegomenis complector tantum numina Aegyptia, eaque illustriora, cum quod domestica sunt, atque adeo hujus propria tractatus, tum quod frequenter per universam hanc numorum classem recurrunt. Neque tam facile speres, reperturum te in hac classe deorum imagines eo cultu, quali eos vetustissima Aegyptiorum aut religio aut ars proposuit; inde enim ab Alexandro M., ex quo servire primum Graecis, deinde Romanis coacti sunt, ritum veterem aut cum externo miscuere, aut dedidicere.

SARAPIS.

ΣΑΡΑΠΙΣ. L. Γ. *Caput Sarapidis modio vel calatho tectum.* Vespasiani. (Stosch.)

ΖΕΤΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. ENAT. *Sarapis seminudus stans cum calatho in capite dexteram demittit versus adstans humi animal triceps, s. hastam.* Vespasiani. (Pellerin Mel. I. p. 224)

Sarapis simili cultu sedens dexteram extendit versus simile animal triceps. In numis variis.

Sarapis idem, sed adstat praeterea Mercurius d. caduceum, s. oblongum palmae ramum tenens. Trajani. (Neumann num. pop. Part. II. tab. 3.)

ETΓAMIA. L. ENAT. *Sarapis eodem cultu sedens.* Vespasiani. (Pellerin Rec. III. p. XXXI.)

ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. ΙΓ. *Sarapis stans cum calatho in capite d. extenta, s. hastam.* Domitiani. (Pellerin, Mel. I. p. 224.)

ΗΛΙΟC. L. Є. *Serpens cum capite Sarapideo arrectus insistit equo gradienti.* Veri. (Zoëga.)

Caput Sarapidis cum calatho, radiis, cornu Ammonis, prae quo cornucopiae, pone tridens illigatis serpentibus. Antonini. (Mus. Caes.)

Mulier capite radiato aut turrito stans d. caput Sarapidis, s. hastam. In numis variis.

Sarapidis cultum alii Sinope Ponti a Ptolemaeo seu Sotere seu Philadelpho advectum, alii in Aegypto jam vetustissimis temporibus cognitum adfirmant, de quo lege disputantem Spanhemium (ad Callim. in Cerer. v. 1.) Probat idem ex Plutarcho de Iside, nomen ipsum *Sarapidis* non fuisse a Ptolemaeis Alexandriam Sinope advectum, sed fuisse vernaculum Plutoni ab Aegyptiis ex longo datum. Fugit virum insignem testimonium Diogenis Laertii, quo, si modo verum is dixit, comprobatur, etiam Sarapidis nomen jam ante Ptolemaeos apud Sinopenses valuisse. Re-

Digitized by Google

fert is [a]), cum Athenienses Alexandrum Bacchum salutarent, dixisse Diogenem Cynicum: *κἀμὲ Σαραπιν ποιησατε*, *et me Sarapin facite*, adludentem nimirum ad princeps patriae suae Sinopes numen.

Istud certum, Aegyptios in Sarapide suo omnium maxime insanivisse, delata illi rerum omnium summa potestate, ejusque honores per omnem late orbem propagatos testibus monumentis innumeris, quae commemorare otium non est, et videri possunt in Aristide [b]). Quod ejus honori erectum stetit Alexandriae templum, omnibus aliis praefert Dionysius Periegetes [c]). In numis praesentibus dicitur ΖΕΤΣ. et ΗΛΙΩΣ. *Iuppiter* et *Sol*. Cum sol est, proponitur in his numis aut forma humana, aut forma serpentis arreeti super equo, cujus typi mysticum sensum, et quatenus cum sole connectatur, novit cl. Zoëga [d]). Hic numus lucem communicat aliis inde a Domitilla non infrequentibus, in quibus sistitur serpens erectus equi currentis dorso imminens. Secundum alios scriptores Plutonis, Neptuni, aliorumque numinum sortitus est potentiam, in quo argumento facundi fuere Abbas Fontenu [e]), Oiselius [f]), Brotierus [g]); collectis, quod unum poterant, scriptorum omnium de hoc Sarapide sententiis, quando sana, concors, sibique constans doctrina ex hoc superstitionis labyrintho obtineri nequit.

Iuppiter Sarapis est, qui cum reliqua Iovis gravitate cultuque, sive stet, sive sedeat, conjungit calathum, quem capite gestat, et dexteram versus adstans animal triceps demittit. Quam difficile sit, animal istud, si oculorum judicium sequaris, definire, vel inde potest colligi, quod, qui similes numos descripsere, jam Cerberum, jam aquilam, aut Sphingem, aut hircum, aut hippogryphum dixerunt. Neumanno illud in numo, quem supra loco IV. citavi, speciem praebuit hominis dimidii ex terra emergentis, cumque constet, Sarapidem cum Dite inferorum rege permixtum, et, qui juxta adstans fingitur, Mercurium, dictum inferum, quae ad manes pertinent, procurare, ingeniose conjecit, proponi Mercurium animam ab inferis evocantem. Credam, sigillum illud ex Macrobio explicandum, cujus unius verba lubet hic adferre [h]). *Alexandria*, inquit, *Sarapin atque Isin cultu paene attonitae venerationis observat, omnem tamen illam venerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti ejus infigunt, vel dum simulacro signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem; dextera parte caput canis exoritur mansueta specie blandientis, pars vero laeva cervicis rapacis lupi capite finitur, easque formas animalium draco connectit volumine suo, capite redeunte ad dei dexteram, qua compescitur monstrum.* Habes secundum haec Macrobii verba luculentam Sarapidis in

a) L. VI. §. 63. b) Orat. in Serap. c) descr. orb. v. 255. d) pag. 253. e) B. L. T. X. p. 465. f) Thes. sel. num. p. 218. g) ad Tacit. Tom. III. p. 533. h) Saturn. L. I. c. 20.

Digitized by Google

his numis effigiem, calathum, triceps animal, et ad istud compescendum dexteram dei demissam. Veniam ergo merentur ii, qui monstrum illud Cerberum dixere, nam et Cerberum Sarapidis socium ipse dixit Plutarchus [a]), et Artemidorus [b]), et Cerberum agnitum fuisse etiam a Statio, colligo ex hoc ejus versu [c]):

Cur servet Pharias Lethaeus janitor aras.

Sed etiam dabimus veniam iis, qui aliud dixere, quia in opere minuto, eoque rudi Alexandrino trina haec capita minus commode distinguuntur. At commode ea distinxeris in numis Latinis Caracallae per postremos ejus annos signatis, qui eundem Sarapidem sedentem sistunt. Constat, Sarapidem, qualis Alexandriae colebatur, a Caracalla eximie observatum. Placuit ergo, talem eum in numis Latinis proponere, qualis teste Macrobio ab Alexandrinis fingebatur. At nullo alio monumento vetere testimonium Macrobii certius confirmatur, quam antiqua illa lampade, quae exstat in Lucernis veterum sepulchralibus a Petro Sante Bartolio editis, a Petro Bellorio explicatis, novissime a Begero recusis [d]), in qua istud trium capitum animal, videlicet leonis, lupi, et canis, et tortuoso dracone obvolutum clare oculis objicitur, ut adeo de ejus natura, qualis a Macrobio describitur, dubitari nullatenus possit.

Dedimus *Iovis Sarapidis* effigiem, jam etiam ratio *Solis Sarapidis* expedienda. Missis sexcentis testimoniis, quae eum solem dicunt, audiamus ipsius dei oraculum sese apud Macrobium professi [e]):

Ομμα τε τηλαυγες, λαμπρον φαος ηελιοιο.

Oculum longe lucentem, splendidum, lumen solis.

Ejus, cum sol est, veram effigiem praebet numus ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ., qui differt a Iove Sarapide, quod abest monstrum triceps, et quod dexteram porrigit, quod idem facit etiam sol in tot numis inferioris aevi, inscriptis ORIENS. Vtrumque et Iovis et Solis nomen in Sarapide conjungit marmor, quod ex Tournefortio recitat Belleyus [f]): ΔΙΙ. ΗΛΙΩ. ΜΕΓΑΛΩ. CΑΡΑΠΙΔΙ. κ. τ. λ.

ΕΤΓΑΜΙΑ Iovi Sarapidi in numo V. adscriptum explicatus est difficilis. Ejus vocabuli, etsi ex lexicis abest, significationem tamen facile tenemus; nam si substantivum est, significat *bonas nuptias*, si adjectivum, aliquid ad bonas nuptias pertinens. Posterior modus placuit ejus numi praeconi Pellerinio existimanti, ejus vocabuli eundem esse sensum, qui est verbi ΘΕΟΓΑΜΙΑ in numis Nysae Cariae, qua certum est intelligi certamina constituta in honorem Plutonis et Proserpinae. At enim praeterquam quod veteres ludorum ΕΤΓΑΜΙΑ non meminerunt, vellicat et illud, quod in nullo hactenus numo Alexandrino videre licuit aut disertam mentionem ludorum, aut consuetum aliquem eorum typum. Forte ΕΤΓΑΜΙΑ aliud non notat, quam ipsas *bonas nuptias*, quarum fors praeses habitus fuit Sara-

a) de Is. et Osir. b) Oneirocr. L. V. eventu 92. c) Silv. L. III. carm. II. v. 112.
d) Parte II. num. 7. e) l. c. f) B. L. T. XXXVII. p. 405.

Digitized by Google

pis, quam sententiam juvare videtur idem Macrobius, secundum quem adstituta *canis blandientis effigies futuri temporis designat eventum, de quo nobis spes licet incerta blanditur*, quod sane in nuptiis ominis modum habere potest. Plus confert Aristides, qui haec de Sarapide praedicat [a]): *προεστηκε δε και παντων ζωων γενεσεως και τροφης, quin et animalium omnium praeest generationi et alimentis.* Praeest ergo et nuptiis generationis causa institutis.

Numus VII. per multiplicata attributa comprobat, quod principio dixi, in Sarapide suo Aegyptios deorum agmen vidisse. Sic radii solem, cornu arietinum Ammonem, tridens Neptunum, serpentes Aesculapium faciunt. Creditum vero quoque fuisse Aesculapium, diserte docet Tacitus [b]): *deum ipsum* (Sarapin) *multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus - - - conjectant.* Quae causa fuit, cur eum Caracalla quoque officiis demerendum duxerit, ut in ejus numis Romanis docebimus.

Quam dicendam putem mulierem numi postremi, quae caput Sarapidis dextra praefert, utrum Isidem, an genium Alexandriae, non satis liquet. Istud certum, placitum hunc typum Alexandrinis, quia frequenter in hac numorum classe redit.

In numis Vespasiani ejusque familiae saepius et majore cum ostentatione Sarapidem proponi videmus. Ejus causam ex Tacito tenemus, narrante, Vespasianum Alexandriae ejus templum ingressum, ut super rebus imperii consuleret, deum vero ipsum, quo in novum imperatorem ferretur adfectu, miraculorum etiam, quae ibi commemorat, celebritate manifestasse [c]). Idem Sarapis perfrequens deinceps in his numis typus, ac denique: DEO. SERAPIDI. vel: DEO. SANCTO. SARAPIDI. in minutis aeneis imperante Iuliano desultore signatis.

ISIS.

Caput Isidis cum loto in capite. Typus obvius.

Isis sedens, etiam intra templum, Horum lactat. Typus obvius.

Caput Isidis intra concavum lunae. Commodi et successorum.

Isis stans simul sistrum tenet, simul velum explicat, adstituta saepe turri pharo. Inde a Domitiano typus frequens.

Capita jugata Sarapidis et Isidis. Antonini. (Mus. Caes.)

Quod inter deos mares in Aegypto Sarapis, illud inter feminas Isis antiquae dea prosapiae et latae potentiae, de cujus fortuna rebusque gestis vide Plutarchum de Iside et Osiride, et mythologos passim.

Lotus perpetuum Isidis attributum, et frequens adsecla filiolus Horus, cui maternas curas impendit. In numo III. lunae cornibus ambitur, nam ut Sarapis sol, sic Isis luna Aegyptiis credita. In numo IV. tenet sistrum, velumque explicat. Est haec Isis Pharia, proposita etiam et inscripta numis Iuliani: ISIS. FARIA., in quorum explicatione dabimus causam sistri, veli, et adpositae phari. In numo V. habes Sarapi-

a) Orat. in Sarap p. m. 55. b) Hist. IV. c. 84. c) Hist. IV. c. 81. 82.

Digitized by Google

dem et Isidem conjunctos. Isis suo olim Osiridi fidelis subinde Serapidi adhaesit, sive mutatis studiis, sive, quod teste Plutarcho Osiris et Sarapis unum idemque sunt.

HARPOCRATES.

Harpocrates nudus loto insidens dextera ori admota, s. flagellum, globo capiti imminente. Antonini, Commodi, etc.

ΑΡΠΩΚΡΑΤΗϹ. L. Iϵ. *Figura stolata et velata cum triplici flore in capite stans dexteram ori admovet, s. clavam.* Aurelii. (Zoëga.)

Eadem aversa, sed sine ΑΡΠΩ-ΚΡΑΤΗϹ., non infrequens per imperia Hadriani, Antonini, Aurelii, comparet etiam in numis nomi Prosopitis.

Harpocrates dextera ori admota, s. cornucopiae in crocodilum desinit, in pluribus numis Trajani. (Zoëga.) Idem typus in numis nomi Menelaitis, et Xoitis comparet.

Harpocrates idem qui Hôrus, Osiridis et Isidis filius, ex Aegyptiorum doctrina sol. Lactatum a matre paullo supra in Iside vidimus, atque etiam alias semper infantis more proponitur. Talis, qualis in numo I. proponitur, auctore Plutarcho Aegyptiis symbolum fuit solis exorientis [a]). Digitum ori apponit, quia secundum Plutarchum est ἐχεμυθίας καὶ σιωπῆς συμβολον, *taciturnitatis et silentii symbolum*, nam et cum legumina illi offerebantur, adclamari solitum: *lingua est fortuna, lingua genius* [b]). Fuit hic gestus sic proprius Harpocrati, ut hoc solo indicato ipse satis indicatus videretur. Sic recitatis aliis Aegypti deis ita ipse memoratur ab Ovidio [c]):

Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

Vicissim indicato Harpocrate ipse etiam hic gestus, seu silentium, etsi verbo dissimulatum, indicabatur, ut apud Catullum [d]): *patruum reddidit Harpocratem*, id est, patruo silentium imposuit. Cessit ergo in proverbium, ut advertit Erasmus in Adagiis. Appqsite ad hanc ejus naturam dictus est *Sigalion*, a σιγαλεος, *tacitus*, quo eum nomine appellat Ausonius [e]):

Tu, velut Oebaliis habites tacitur-
nus Amyclis,
Aut tua SIGALION Aegyptius oscula signet,
Obnixum, Paulline, taces.

At vero jam dudum Varro dixerat [f]): *Ste* (id est: silentium) *Harpocrates digito significat*, et idem alibi teste D. Augustino [g]): *in omnibus templis, ubi colebantur Isis, et Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret.* Quanquam sunt qui putent, hunc silentii in Harpocrate explicatum esse merum Graecorum inventum, eum vero gestum ad solis potius allegoriam pertinere [h]). Et profecte verisimile mihi videtur, per unam hujus gestus causam Harpo-

a) De Pythiae orac. p. 400. A. b) de Is. et Osir. p. 378. c) Met. IX. 691. d) epigr. 74 et 100. e) Epist. XXV. v. 26. f) de L. L. lib. IV. g) de Civ. dei L. XVIII c. 5. h) Jablonski Pantheon Aeg. Part. I.

Digitized by Google

eratem a Graecis sic factum Sigalionem, ut olim Gnathaena meretrix Sigeum in Helesponto situm per solam hujus nominis causam fecit urbem silentii [a]). Tenet manu flagellum exemplo patris Osiridis. Sed nolo persequi a mythologis abunde discussa. Vide Harpocratem Cuperi, Aegyptia Com. Caylus, Iablonskium, et Pierres gravées du Duc d'Orl. T. I. p. 7.

Figura stolata stans d. ori admota, s. clavam. Vide numos supra descriptos. Similem typum ostendi olim ex numo Hadriani [b]). Dextera ori admota Harpocratis me quidem facile admonuit, verum quid ad Harpocratem stola? quid clava? Necessitate igitur compulsus circumspexi mulierem deam, quae et silentium amet, et cum qua componi clava possit, visumque est, exhiberi Angeronam, magnum Romae, et arcana religione venerandum numen. Citatus supra, et nuperrime vulgatus numus adscripto ΑΡΠΩΚΡΑΤΗC. certum nobis hoc typo Harpocratem praestat. Harpocrates androgynus, tum tributa clava illi deo, quem imaginem quandam fuisse infantiae et infirmitatis veteres nonnulli docuere, en novum aucupium, cui animum curasque intendant ii, qui enucleandis Aegyptiorum mysteriis delectantur. Hactenus fortunam propitiam non habuere. Nam testatur cl. Zoëga [c]), nihil se invenisse apud veteres, quo clavae causam explicaret; conjicit tamen, adludi ad arcendos a mysteriis profanos, tum Harpocratem a Graecis cum Hercule confusum videri. Acquiescat his, qui volet.

Quem modo virum, feminamque vidimus Harpocratem, numi extremo loco positi parte hominem, parte crocodilum praestant, nimirum ut haberent etiam Aegyptii, quod Graecorum Hippocentauris opponerent. Ejus quoque explicatum relinquo iis, qui Isidis sacris initiati sunt.

AMMON.

Caput Ammonis cum cornu arietino imminente capiti globo. Domitiani. (Stosch.)

Caput prorsus simile, infra quod aries monili ornatus, ante quem ara. Antonini, aliorumque.

Libycum hoc numen, et inter majores Aegypti deos receptum abunde cognitum. Positus infra ejus caput aries commonefacit ejus, quod refert Hyginus [d]): Bacchum, cum Libyam oppugnaret, arietis ducis beneficio puteum, cum sitis urgeret, commonstrantis exitium cum exercitu evasisse, ac propterea eo loci Iovis Ammonis templum facto cum cornibus arietinis simulacro constituisse. Globus capiti imminens Ammonem solem comprobat, nam ejus sideris potentiam perinde ac Harpocrates ex Aegyptiorum doctrina nactus est.

APIS.

Hujus dei bovis formam, insignia,

a) Aelian V. H. L. XIII. c. 13. b) Sylloge I. p. 70. c) pag. 193. d) Astron. L. II. c. 20.

Digitized by Google

et ineptam religionem describere supervacaneum, quod satis ex Herodoto, Plinio, Diodoro, et Ammiano sunt cognita. In hujus classis numis inde a Domitiano proponitur forma bovis, hoc uno a profanis fratribus diversi, quod discum inter cornua gestat, quia lunae symbolum fuit, ut testatur Ammianus [a]). Dextero lateri impressam habuit lunam crescentem adserentibus istud Plinio [b]), et Ammiano [c]). Revera eam eodem loco observari in numis Alexandrinis cum capite Hadriani, et Antonini, testatur Caylus [d]), et cl. Zoëga variis locis.

AGATHODAEMON.

NEO. AΓAΘ. ΔAIM. L. Γ. Δ. ς. *Serpens inter spicas arrectus implicatis caudae spicis et papaveribus.* Neronis (Mus. Caes.).

Sine epigraphe. Serpens similis adsurgens et cauda caduceum vel sistrum constrictum tenens; in nonnullis ex adverso exsurgit serpens alter corpore crassiore. In numis obviis. In aliis: *Serpens similis, sed cum capite Sarapidis.* (Zoëga tab. XII.)

Agathodaemon, *bonus genius*, Aegyptiae quoque superstitionis, docentibus non modo his numis, sed et Lampridio narrante, Elagabalum Aegyptios dracunculos Romae habuisse, quos illi *Agathodaemonas* vocant [e]). Sic et alveus Nili, qui τὸ Delta latus occidentale definit, dictus est Agathodaemon auctore Ptolemaeo. Serpentum allapsus boni fuisse ominis loco habitos, innumeris posset exemplis comprobari, cumprimis vero genii serpentum plerumque formam sunt ementiti. Sic cum Aeneas patri Anchisi inferias mitteret, ut refert Maro [f]), videretque anguem parentis tumulo succedentem, haesit

Incertus, geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.

In praesentibus numis dicitur NEOς AΓAΘος ΔAIMων, *novus bonus genius*, haud dubia adulatione in Neronem, cujus effigiem antica sistit. Bono huic genio ex eadem causa puto tribui spicas et papavera, ex qua eadem tribuuntur Bono Eventui in numis Romanis. Credo, spicis, papavere, caduceo notari concordiam a bono genio seu speratam, seu impetratam, ut saepe in hac numorum classe videmus eadem haec attributa a duabus junctis dexteris contineri. Ovidio in consortio numinum Aegyptiorum memoratur quoque *Plenaque somniferi serpens peregrina veneni* [g]), qua non dubito indicari nostrum Agathodaemona. Cl. Zoëga in nota ad hunc numum citat Eusebium narrantem [h]): Aegyptios et Phoenices serpentem pro boni genii symbolo habuisse, at quod ibi addit, fuisse capite accipitrino, istud non docent numi, qui eum vel cum capite serpentino vel humano exhibent. Dixi supra, cum bini proponuntur serpentes, horum alterum corpore esse crassiore. Teste Solino [i])

a) L. XXII. c. 14. b) L. VIII. §. 71. c) l. c. d) Ant. T. I. p. 43. e) in Elag. p. m. 111. f) Aen. V. 95. g) Metam. IX. 693. h) de praep. evang. L. I. 10. i) L. XL.

Digitized by Google

subtiliora sunt capita feminis, alvi tumidiores, pestis nocentior, masculus aequaliter teres est, sublimior etiam mitiorque. Conjuncti ergo in nummis mas et femina generationis symbolum videri possunt.

NILVS.

ΝΙΛΟΣ. L. Γ. *Protome barbata crinibus filo revinctis, flore loti pone humerum prominente, retro astrum.* Titi. (Mus. Caes.)

ΑΤΤΟΚΡΑ. *Caput flore loti ornatum et barbatum inter duplicatum cornucopiae, ex quorum uno prominet puellus.* Claudii, aliorumque.

Vir barbatus decumbens d. cornucopiae, s. arundinem, ex adverso puellus exultans, infra aut crocodilus, aut hippopotamus, superne plerumque scriptum Iς. In obviis Trajani etc.

Nilus capite lotum gestans d. cornucopiae, s. arundinem, circum ipsum ludit puellorum agmen, juxta crocodilus. Trajani, (Pembrock P. III. tab. 82.) M. Aurelii, (in meis num. vett. p. 301.) Alex. Sev. (Arigoni.)

Vir barbatus hippopotamo vectus d. spicas, s. cornucopiae. Mamaeae. (Pellerin Mel. I. tab. 15.)

ΩΚΕΑΝΟC. L. ς. *Vir barbatus humi considens d. arundinem, s. cornucopiae, et simul urnae innixus.* Commodi. (Pellerin Rec. III. p. 119.)

Habes illustriores hujus classis numos, qui Nili nobis imaginem sistunt. Fuisse illum tot monumentis celebratum, neque quidquam mirum, quod quo tempore alii per orbem fluvii deficiunt, ipse suis suapte ingenio late visus erat restaurare, nulla certa causa, quod fontes occultaverat. Quam variae proditae fuerint annui ejus incrementi a veteribus causae, videre potes in appendice a Iungermanno Herodoti editioni adjecta [a]), apud scholiasten Apollonii [b]), et in Aristidis oratione de Aegypto, ac praecipue apud Senecam [c]). At si is propter arcanam hanc, insolitamque virtutem miraculo fuit, idem quod stato aquarum tumore fecunditatem Aegypto incredibilem procuravit, coelestes honores obtinuit, nullo incolarum fastidio, qui suapte in superstitionem proni, quae libuit animalia, nullius, aut multo levioris comperta beneficii consecraverant. Et valuit tantum grata ejus boni recordatio, ut beneficum istud flumen eodem loco, quo Iovem, putarent veteres, quod nimirum, quae Iovis credita fuere beneficia, alimenta, et ad vitam sustendandam facultates, eadem et Nili esse propria intellexerunt. Iam pater Homerus illustre illi nomen dedit Αἰγυπτοιο διϊπετεος ποταμοιο, *Aegypti a Iove manantis fluvii* [d]), tum dictus Pindaro Νειλος Κρονιδας, *Nilus Saturnius* [e]). At multo his disertius Parmeno laudatus ab Athenaeo [f]), et scholiasta Pindari [g]): Αἰγυπτιε Ζευ Νειλε, *Aegyptie Iuppiter Nile!* scilicet praestante vorticibus suis Nilo, quod alibi Iove imbribus. Quorsum sane respexit Euripides sic fabulam Helenam inchoans:

---

a) pag. 785. b) ad L. IV. v. 269. c) Nat. quaest L. IV. d) Odyss. Δ. 477. 581. H. 284. e) Pyth. Δ. 99. f) L. V. p. m. 203. g) ad cit. vers.

Digitized by Google

Νειλε μεν αι δε καλλιπαρθενοι ῥοαι,
Ος ανθ' ὑετιος Ψεκαδος Αιγυπτε πεδον
Λευκης ταχεισης χιονος ὑγραινει γυας.
Nili quidem haec sunt formosis Nymphis habitata flumina,
Qui pro coelesti gutta Aegypti solum
Candida liquefacta nive irrigat et agros.

Sed non unum istud Nili beneficium; nam qui profusus agris, idem potus feminis fecunditatem praestitit, testante Plinio a): *praeterquam in Aegypto, ubi fetifer potu Nilus amnis*, et si fides scholiastae Aeschili b), *aqua Nili in partus masculos valet, unde se proluens Iuppiter Martem genuit.* Narrat Eustathius c), feminas ex hujus fluminis potu quatuor, quin et advocato teste Aristotele septem proles uno partu edere. Et quidem inveteratus ejus fluvii cultus diu duravit, nam et Eusebius suo illum aevo religiose ab indigenis observari scripsit d), et exstant numi parvi aenei Alexandriae signati, quos vulgo Iuliano tribuimus: DEO. SANCTO. NILO. cum sueto ejus jacentis type. At quod magis mirandum, durat hodieque vetus superstitio. Habet Nilus in Abyssinia ad ipsos fontes sacerdotem suum, qui ad Sirii exortum in frequente populi conventu fluvio vaccam nigram immolat, eumque in solenni hymno vocat summum deum, orbisque σωτηρα, teste horum laeobo Bruce in Itinerario suo, qui ante annos XXII. post alios Nili fontes ipse vidit, et copiose descripsit.

Monumenta, quae illustre hoc flumen exprimunt, copiosa sunt, et praeter citatos hujus classis numos illud efferunt etiam numi Hadriani commatis R., tam et non pauca signa marmorea. Quod humi vel sedens vel jacens ac liberaliter barbatus fingitur, innixus urnae, et arundinem vel cornucopiae gestans, istud sibi cum fluviis fratribus commune, notumque habet explicatum. At ejus propria sunt I. crocodilus, hippopotamus, lotus. II. puellus unus, aut auctiore numero, adscripto saepe Iς., quorum omniam rationem paucis dabimus.

I. Crocodilus et hippopotamus, noti Nili incolae, tum et lotus, quae in Nili paludibus habitat, flumen, cui adsuevere, neque in ipsa moneta deserunt, et suae causam societatis per se ipsi loquuntur. De Nili forma agens Lucianus sic ait e): *ει που τον Νειλον ειδες ζωγραφη μεμιμημενον, ανδρα μεν κειμενον επι κροκοδειλω τινος, ἡ ἱπποποταμω. Si aliquando vidisti Nilum pictura expressum, ipsum quidem virum stratum super crocodilo vel hippopotamo.* Reliquam hujus testimonii dabimus infra. Crocodilus tam certum erat Nili criterium, ut cum Nealces pictor eum vellet intelligi, asellum pingeret in litore bibentem, et crocodilum ei insidiantem f). Hippopotamus perrarum hodie in nilo animal, ac propterea ejus certa forma necdum satis historiae naturalis studiosis cognita. Inter eas imagines, quas monumenta vetera suppeditant, Daubentonus exactissimam putat eam g), quae habetur in

a) L. VII. § 3. b) Supplic. v. 862. c) ad Dion. Perieg. v. 22. d) in vit. Const. M. L. IV. c. 25. e) in rhet. praecept. f) Plin. L. XXXV. p. 707. g) Pierr. grav. du Duc. d'Orl. T. II. pag. ult.

Digitized by Google

numo Alexandrino Mamaeae apud Pellerinium [a]).

II. Puellus unus pluresve, pro his saepe numerus Iς. id est: XVI., quo indicatur, tot Nilum cubitis illo anno surrexisse, felicissimo fertilitatis augurio, nimirum teste Plinio [b]): *Iustum incrementum est cubitorum XVI. Minores aquae non omnia rigant, ampliores detinent tardius recedendo. Has serendi tempora absumunt solo madente, illae non dant sitiente. Vtrumque reputat provincia. In XII. cubitis famem sentit, in XIII. etiamnum esurit, XIV. cubita hilaritatem adserunt, XV. securitatem, XVI. delicias.* Ergo cum cubita XVI. excrevit Nilus, non neglexerunt Alexandrini, has suas delicias in moneta publice jactare, quia certum istud fuit ἐυετηριας augurium. De hoc Nili incremento aliquid auditu percepit ineptus auctor oraculorum Sibyllinorum; sed cum illud in fertilitatis argumentum vertere debuisset, hoc ejus XVI. cubitorum tamore cladem regioni praedixit [c]).

Cubitorum vicem saepe obeunt puelli, docente iterum Plinio [d]): *Nunquam hic* (lapis basaltes) *major repertus est, quam in templo Pacis, et imperatore Vespasiano Aug. dicatus, argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubita summi incrementi augentis se amnis intelliguntur.* Et est operae pretium, referre lepidum modum, quo exprimendum esse Nilum praecipit Philostratus [e]): περι τον Νειλον οι πηχεις ἀθυρουσι, παιδια ξυμμετρα τῳ ὀνοματι, και ὁ Νειλος ἀυτοις ὑπεργαυνυται τα τε ἀλλα, και ὁτι κηρυττουσιν ἀυτον, ὁσον Αιγυπτιοις προεχυθη. *Circa Nilum cubita ludunt, quae sunt puelli ejusdem cum nomine mensurae, et Nilus iis summopere delectatur cum ob alias causas, tum quod indicant, quantus Aegyptiis profusus sit.* Plinii et Philostrati testimonium egregie confirmant monumenta residua, ceu signum marmoris candidi vastae molis in hortis Vaticanis, aliudque exiguum marmoreum in villa Albana, repentibus ludicre quaquaversum per senis corpus puellis cubita notantibus. Idem etiam argumentum videas in numo ex citatis IV. atque etiam in aeneis Hadriani Romanis, inscriptis NILVS.

Nili capiti modium aptat Suidas. Etenim hic incertus, cujus naturae sit Sarapis, haec habet [f]): τουτον δε οι μεν Δια ἐφασαν ειναι, οι δε τον Νειλον, δια το μοδιον ἐχειν ἐν τῃ κεφαλῃ, και τον πηχυν, ὁν ἐστι το τε ὑδατος μετρον. *Hunc alii quidem esse Iovem dixerunt, at alii Nilum, quod modium haberet in capite, et cubitum, id est: aquae mensuram.* In numis Nilus modium non praefert, sed familiarem sibi lotum; verum cum Suidae verbis praeclare conspirat gemma edita a Winkelmanno [g]), in qua proponitur protome Nili, per cujus caput et humeros repunt quatuor puelli, ipse tectus modio, in pectore duplex cornucopiae in decussem positum spicis copiisque refertum praefert, adscripto: ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΟΥ. *Providentia dei.* Quod Suidas πηχυν, *cubitum*, appellat, aliud certe non est, quam puellus ex eorum genere, quales vidimus. Enimvero cum de

a) Mel. I. tab. XV. n. 7. b) L. V. §. 10. c) L. V. d) L. XXXVI. §. 11. e) in Imag. f) in Σαραπις. g) Mon. ant. p. 109.

Digitized by Google

Nilo sermo est, vox πηχυς non cubitum, sed puellum cubitalem significat. Sic paullo ante a Philostrato cubita dici vidimus puellos ejusdem cum nomine mensurae, et apertius a Luciano loco supra citato, qui cum memorasset, Nilum pingi crocodilo, aut hippopotamo incumbentem, prosequitur, adstitui praeterea *μικρα τινα παιδια παρ' αὐτον παιζοντα, πηχεις αὐτους οἱ Αιγυπτιοι καλουσι, parvos quosdam pueros juxta ludentes; cubita autem illos Aegyptii appellant.*

Reperta sunt etiam monumenta, in quibus fingitur caput barbatum porrectis e fronte cancri forficulis. Esse caput Nili, opinatus est Fabrettus [a]), propterea quod sole cancrum occupante augeri incipit. Ejus sententiam collaudavit Gorius reperto in vetere gemma simili capite [b]). Sane dixit Porphyrius [c]): Αιγυπτιοις δε ἀρχη ἐτους ὐχ ὑδροχοος, ὡς Ρωμαιοις, ἀλλα καρκινος, *Aegyptiis anni initium facit non aquarius, ut Romanis, sed cancer.* Theon, qui idem docuit, causam addit, quia τοτε ἐμβαινει ὁ Νειλος, *tum Nilus adsurgit* [d]). Verum hac forma videre Nilum in numis nondum contigit.

ΩΚЄΑΝΟC. in numo postremo. Erudite Pellerinius et Graecam hanc dictionem, et virum procumbentem Nilo applicat. Enimvero Tzetzes haec de Nilo [e]): ὁ Νειλος τρις μετωνομασθη, πρωτερον γαρ ΩΚΕΑΝΟΣ ἀν ἐκαλειτο, δευτερον ἀετος, ὁτι ὀξεως ἐπερρευσε, τριτον Αιγυπτος, το δε Νειλος νυν ἐστι. *Nilus ter nomen mutavit, primum enim OCEANVS dictus, deinde aquila, quia cum impetu fertur, tertium Aegyptus, Nili vero nomen recens est.* Eadem habes apud Diodorum [f]). Haec ut vera sunt, tamen vocabulo ΩΚΕΑΝΟΣ et typo ipsum potius Oceanum, quam Nilum indicari contra Pellerinium puto. Nam si tam certus est Nilus, cur absunt ejus certa attributa, seu crocodilus, seu hippopotamus etc. quorum aliquod Nilo semper adstituitur? At cum Nilum fastidio, facile tamen concedam, Oceanum Nili causa monetae Aegyptiae illatum, nam teste Hecataeo, quem citat scholiasta Apollonii [g]), creditum fuit, Oceanum cum Nilo aquas communicasse. Docuit etiam Democritus, quem laudat idem scholiasta [h]), Nilum annuum suum incrementum debere Oceano in meridiem posito. Quid quod refert Theophylactus Simocates [i]), ex mente sacerdotum Aegypti Nilum ortum trahere ab ipso Oceano orbem circumdante. Non ergo mirum, Oceano quoque, a quo regioni per Nilum tanta accedere beneficia creditum, in moneta Alexandrina locum permissum. Quod fluvii humi decumbentis rita fingitur, nihil obest, nam Oceani nomen omnibus passim aquis dari testatur scholiastes Euripidis [k]): παν δε ὑδωρ Ωκεανος λεγεται, ut e converso Homerus Oceanum flumen dixit [l]):

Την δε κατ' Ωκεανον ποταμον φερε κυμα ῥοιο,

a) Col. Traj. p. 304 b) Mus. Flor. T. II. tab. 19. n. 52. c) de Nymphar. antro. d) in Aratum. e) ad Lycophr. v. 119. f) L. I. c. 19. g) ad L. IV. v. 259. h) ad L. IV. v. 269. i) Hist. L. VII. c. 17. k) ad Hippol. v. 121. l) Odyss. Λ. 638.

Digitized by Google

At illam per Oceanum fluvium ferebat fluctus undarum.

et apertius a):

Ουτε τις ὐν ποταμων ἀπειη, νοσφ' Ωκεανοιο.

Neque quis fluviorum aberat, praeter Oceanum.

Denique Oceanum non absimili modo pictum offert insignis numus Tyri, scripto juxta ibi quoque ΩΚϵΑΝΟϹ., quem vide.

SPHINX.

Vetus Aegypti abortus, et religione consecratus. Vt aenigmata dictasse perhibetur, sic merum ipsa aenigma. Nam quod composita esset ex capite virginis reliquo corpore in leonem abeunte, habita est symbolum ingenii cum fortitudine conjuncti b). At teste Plutarcho c), ante templa collocabantur Sphinges, quo innueretur, rerum sacrarum doctrinam constare perplexa et sub involucris latente sapientia. Nostri aevi eruditis certum visum, juncto leonis virginisque typo ab Aegyptiis adlusum ad singulare beneficium exundantis Nili eo ipso tempore, quo sol in leone et virgine adhaeret, quam sententiam prae aliis impensius dilexit Comes Caylus d), a Kirchero, ut videtur, haustam e). Vt non inficior, esse ingeniose repertam, sic tamen esse veram spondere non ausim, primum quod haec doctrina nullo, quod norim, veterum testimonio comprobatur, nam Horus Apollo leonem tantum Nili fuisse symbolum dixit, quia, cum sol hunc subit, amplior fit Nili inundatio f), deinde quod credibile forte est, Sphingis imaginem multo esse antiquiorem Zodiaci in XII. animalia descriptione. Sane Sphingem remotissimae esse aetatis inventum, non modo certissima docent Herodoti, aliorumque oracula, sed et residua Aegyptiorum monumenta late porrectae vetustatis, velut obelisci, aliaque, insculptam Sphingem praeferentia. Quid quod ex mente eruditorum astronomi Aegyptii (Aegyptios ajo, diversos ab Alexandrinis Graecis) nequaquam usi sunt zodiaco in XII. signa diviso, sed in signa XXVII. vel XXVIII., et est verisimile, priorem illam divisionem repertam fuisse a Chaldaeis, et ad Graecos translatam. Vide haec disputata a cl. Bailly g). Ceterum quem sensum recondat compositum istud animal, nihil moramur. Istud certum, natum esse in Aegypto, ac propterea in hac quoque numorum classe frequenter comparere, sed forma in nonnullis immutata. Nam vetus illa et necdum corrupta Aegyptiorum Sphinx alis adhuc caruit, quas haud dubie addidere Graeci, ut docent obviae Chiorum drachmae, et denarii Augusti, derivato subinde in Aegyptum exemplo, jam tum a ritibus externis minus alienam. Aegyptiam etiam Sphingem carere mammis, quae in Graeca turgent, primus observavit cl. Zoëga, qui de varia Sphingis forma et significatione multa congessit h). In nonnul-

a) Il. T. v. 7. b) Clem. Alex. strom. V. Synesius de Regno pag. 7. et de Provid. p. 101. c) de Is. et Osir. p. m. 354. d) Antiq. T. I. p. 45. e) Obel. Pamph. p. 286. f) L. I. c. 21. g) Hist. de l'Astronomie moderne Tom. III. h) Numi Aeg. p. 140.

Digitized by Google

lis Alexandrinis Sphinx alata pedem anteriorem rotae imponit, incerto sensu. Insolitum Sphingis cultum videbimus in Hadriani numis.

ALEXANDRIA.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. vel: ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. (in aliis abest epigraphe.) *Caput muliebre elephanti exuviis tectum.* Inde a Claudio frequenter.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Mulier elephanti exuviis tecta et habitu succincto stans d. coronam, s. hastam.* Vespasiani. (Stosch.)

En genium Alexandriae elephanti rictu caput operientem, incertum, qua de causa. Africae genius in plerisque catalogis dicitur; at cur Alexandrini aut Africae genium numis suis inferrent, aut illato adscriberent ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. pro ΛΙΒΥΑ.? Eodem modo culta mulier in numis Hadriani anno IE. notatis ejus imperatoris manum osculatur, in qua certa agnoscenda est Alexandria, ut dicetur. In denariis gentis Aemiliae genium Alexandriae facit mulier turrita more aliarum Graeciae urbium. Ammianus memorat templum genii Alexandriae, quod in ipsa hac urbe stetit [a]).

Numum cum praetensa epigraphe ΑΛΕΞ. ΑΙΓΥΠ. vide infra in numis Augusti.

Alium cum mentione urbis Alexandriae, eumque vere antiquum dabimus infra in numis nomorum Aegypti.

Alexandriae etiam meminere aliquot concordiae numi, quos signavere Ephesii, et Samii, de quibus agam paucis post enumeratos omnes imperatorum hujus classis numos.

CAPVT II.

Pars chronologica.

Insigni ad chronologicam imperatorum historiam adjumento Alexandrinis his numis annos imperii inscriptos videmus, idque tanta religione, ut ex immenso eorum numero, qui certe ad hanc classem pertineant, unicum norim Aelii Caesaris anno suo destitutum, credo propterea, quod hic jam ex inscripto Aelii consulatu est cognitus. Verum ut, quae huc pertinent, recte intelligamus, praecipienda nonnulla sunt I. de calculo annorum Alexandrinorum, II. de modo, quo hi anni in numis notantur.

I. Aegyptiorum veterum annus una cum diebus V. epagomenis, quos exeunti anno adjecere, constabat diebus 365. Annus ipse divisus in menses XII., quorum primus fuit, qui ipsorum lingua dicebatur *Thot.* At cum usus apud eos non obtineret, singulis quatuor annis diem intercalandi, factum necessario, ut caput neomeniae Thot singulis quadriennibus in Kalendario Iulianno uno die retrocederet. Haec ratio mutari coepit mense Sextili V. C. 724., quo Alexandriam expugnavit Octavianus; nam, si fides Dioni [b]), tum constitutum, ut dies, quo capta fuit Alexandria, faustus esset, et ab hoc reliquis Alexandrinorum annis numerandis initium sumeretur. Captam Alexandriam Kalendis Sextil. ejus anni, certum cum

a) L. XX. p. m. 405. b) L. LI. §. 19.

Digitized by Google

ex Orosio [a]), tum ex Kalendario Antiate. In ejus etiam memoriam hac die annua celebrata festa, quorum meminit Dio, inde constat, quod serius Eudoxia Valentiniani III. uxor iis abolitis suffecit festum S. Petri ad vincula Kalendis Aug. celebrandum, ut post alios refert Nauzeus [b]). Verum quod subjicit Dio, ab hoc die reliquis Alexandrinorum annis numerandis initium sumptum, multum torsit chronologos, quod constet, nunquam aut Alexandrinos aut Aegyptios a Kalendis Aug. annos suos numerasse, sed a neomenia Thot, constet vero etiam, dicto anno V. C. 724. A. X. 30. Alexandrinos neomeniam Thot fixi inchoasse die XI. Sextilis, Aegyptios reliquos neomeniam Thot vagi die XXXI. Sextilis. Verum has lites chronologis relinquimus, quorum lucubrationes mox citabimus. Nos, qui annos solum numis Alexandrinis inscriptos spectamus, eorum initium nullo peccandi periculo a die XXIX. Augusti ducemus, etsi malit Nauzeus eorundem initium annorum in iis imperatoribus, qui Hadrianum praecessere, ducere a die XI. Augusti [c]). Qui plus in hac doctrina instrui cupit, praeter Petavium, Dodwellum, aliosque chronologiae magistros eruditas variorum Gallorum lucubrationes consulat, qui in illustrando hoc argumento copiosi fuere, ut Bimardi de la Bastie [d]), de la Nauze historiam Kalendarii Aegyptii [e]), Frereti canonem Astronomicum [f]). Horum ergo judiciis confectum jam est, Alexandrinorum annum, ut dixi, fixum coepisse in neomenia Thot, quae in anno communi cadit in diem XXIX. Augusti, in anno, si ita loqui fas est, bissextili, in diem XXX. ejusdem mensis.

Alexandrini sic numeravere annos imperatorum, ut, quocunque anni tempore hi imperium auspicarentur, annus eorum B. sive II. semper duceretur a proxima neomenia Thot, dies vero praecedentes conficerent annum A, seu primum, etsi plerumque incompletum, et saepe paucorum tantum dierum. Haec doctrina adeo vera est, adeo solidis argumentis et exemplis stabilita, ut jam a nemine in dubium vocetur. Sane aut hoc, aut nullo modo explicari potest in Galba annus B, in Hadriano annus KB, in Elagabalo E, in Probo H, aliique in aliis anni, quam in his numis chronologiae legem pridem agnovere Norisius [g]), Pagius [h]), Philippus de la Torre [i]), aliique. Neque vero haec annos supputandi ratio nova est, aut exemplis destituta, nam et in calculo astronomico Theonis Alexandrini anni imperatorum ad aeram Nabonassaris exacti sic numerantur, ut annus imperantis primus putetur illud temporis spatium, quantumvis modicum, quod usque ad sequentis anni exordium fluxerat [k]). Sic et in numo vicinae Cypri cum Galbae capite legas: KOINON. ΚΥΠΡΙΩΝ. ЄΤΟΥC. B. [l]) etsi hic VII. tantum menses imperavit.

a) L. VI. c. 19. b) B. L. T XVI. Mem. p. 186. c) l. c. d) B. L. T. XII. p. 136. et T. XIII. p. 437. e) Tom. XIV. Mem. p. 334. et Tom. XVI. Mem. p. 170 et 193. f) T. XXVII. Mem. p. 121. g) de numo Herod. Antipae. h) Critic. ad ann. 69. i) de annis Elag. p. 28. k) Freret B. L. T. XXVII. Mem. p. 121. l) Haym. T. II. tab. 29.

Digitized by Google

Eodem exemplo urbes quoque, cum novam epocham induxerant, primum ejus annum plerumque habuerunt incompletum, quod observatum fuit etiam ab Antiochenis in statuenda aera Caesariana, aliisque, de qua lege agetur uberius in tractatu de epochis. Praeclare vero etiam hic Alexandrinorum mos comprobatur exemplo vicinae Iudaeae, ut habetur in Talmud secundum interpretationem Buxtorfii a): *Prima dies Nisan est novus annus regum; annus ille est, a quo numerare, et supputare incipiebant annos regni regum suorum in contractibus, chirographis, et publicis omnibus instrumentis et diplomatibus, qui ad annos et menses regis regnantis componebantur, adeo ut, quamvis uno tantum mense, una hebdomada, vel uno die ante Nisan in regem electus et confirmatus fuerit, dies ille, hebdomas, vel mensis pro integro anno reputati fuerint, et secundum regni sui annum Nisan ille denuo inchoaverit.*

Augusti ad imperium evecti ab anno A, id est primo, ut consentaneum, initium duxere. Fuere tamen, qui patris annos continuarent. Sic annus K fuit M. Aurelii postremus, Commodi F. primus, et quod sequitur, KA. hujus secundus. Alterum exemplum est in numis Caracallae, continuatis patris Severi annis. Vide utriusque numos. Caesaribus dati sunt anni Augustorum suorum. Sic M. Aurelius Caesar habuit annos patris Antonini Pii, quo mortuo coepit notari M. Aurelii Augusti annus A. Tamen in Tiberio, Aelio Caesare, Constantio Chloro, et Gal. Maximiano habita ratio Caesareae dignitatis. Vide eorum infra numos. Augustae maritorum annos nactae sunt. Vnam Severinam continuasse mortui Aureliani mariti annos, ex numis probabile fit. Vide, quae notabimus ad Aureliani numos commatis Romani.

II. Annorum numeri aut notis indicati sunt, ut: A. Δ. IB. KA. etc. aut inde a Vespasiano partim notis, partim plene scripti, ut: ΔΕΥΤΕΡΟΥ. ΤΡΙΤΟΥ. ΤΕΤΑΡΤΟΥ. ΠΕΜΠΤΟΥ. ΕΚΤΟΥ. ΕΒΔΟΜΟΥ. ΕΝΑΤΟΥ. ΔΕΚΑΤΟΥ. in compositis: L. ΕΝΔΕΚΑΤΟΥ. vel: ΤΡΙC. K. Δ. id est: ΤΡΙC. Καὶ Δεκατα, vel: ΕΝΝΕΑ. K. Δ. id est; ΕΝΝΕΑ. Καὶ Δεκατα. Singularia sunt: ΤΡΙC. ΚΑΙ. tantum, suppresso plane Δεκατα in numis Hadriani, et in binis eodem tempore cusis, uno Antonini, altero Faustinae jun. (Mus. Caes.) In numo Sabinae: ΕΝΝΕΑΚ. pro ΕΝΝΕΑ. ΚΑΙ. ΔΕΚΑΤΟΥ. (Zoëga.) Numero praefigi solet litera L, nempe ἀρχαιοσα vocabuli λυκαβαντος, de cujus natura agemus in tractatu de epochis. Singulare est in numo Vespasiani scriptum plene ΑΥΤΚΑΒΑΝΤΟΣ, ΔΕΚΑΤΟΥ. Nonnisi sub Domitiano praefigi promiscue coepit vel L. vel ΕΤΟΥΣ. Idem anni notandi modus observatus est etiam in marmoribus. Sic Celestra Memnonis vocem se audivisse profitetur L. Z. ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΚΑΙCΑΡΟC. ΤΟΥ. ΚΥΡΙΟΥ. *anno VII. Hadriani Caesaris domini*, ut pedi dextero famosae Memnonis statuae inscriptum legitur b).

a) Synag. Iud. c. 17. b) Pocock descr. of east. T. I. tab. 38.

Digitized by Google

CAPVT III.

Metallum, modulus, fabrica.

Aurei hujus classis numi non exstant, solo argento et aere in hos impenso, sed et argentum raro purissimum, pauci ea conditione, ut praevaleat admixta argenti portio, in plerisque dominatur aes tantilla argenti parte adspersa, sic ut saepe in aeneorum numero habeantur, quam mixturam Galli *potin* appellant, etsi minus proprie, ut diximus in proleg. general. cap. VII. p. XXVII. Praeter argenteos sic varie mixtos reliquus numerus aheneus.

Coeperunt mixti argentei sub Tiberio, suntque deinceps frequentes usque ad Nervam, rariores deinceps, sed sub Commodo iterum obvii, sub Gallieno tandem defecerunt.

Aenei sunt inde ab Augusto usque ad exitum, sed variat modulus. Primae formae numi incipiunt sub Vespasiano, sed sub hoc filiisque adhuc parce, at ingens eorum numerus sub Trajano, Hadriano, Pio, et Aurelio, deinceps admodum rari. Hujus formae postremum Pellerinius cum capite Claudii Gothici habuit. Inde a Gallieno usque ad finem sunt fere III. formae, sed crassiusculi. Exstant etiam inde ab Augusto numi ex aere minuto et tenui usque in aevum Antonini, quorum potior typus Agathodaemon, aut corbis frugibus refertus inter duas faces. Eadem forma sunt numi plerique nomorum Aegypti.

Numos artis eximiae in hac classe frustra quaeres. Haec cum optima est, mediocritatem non excedit. Sed enim jam tum ars per imperii R. provincias defecit.

CAPVT IV.

Catalogus numorum illustriorum.

M. ANTONIVS IIIVIR.

Caput M. Antonii nudum, pendentibus e collo leonis exuviis, retro clava. Ꝟ ΡΩΜΗΣ. L. A. *Prora navis.* AE. fere II. (Mus. Caes. Patin Impp. p. 17.)

Patinus, qui numum hunc primus edidit, vocabulo ΡΩΜΗΣ. Alexandriam indicari adserit, quae vulgo *Roma Aegypti* dicebatur, cum quo sentit etiam Havercampus [a]), et Vaillantius [b]). Alexandriam ea aetate sic appellatam viri eruditi nullo quidem auctore adserunt, sed tamen ex numo praesente potest colligi, ex quo praeterea alia non aspernanda eruuntur. V. C. 720. factum, ut, quod antehac nusquam visum, M. Antonius extra Romam, nempe Alexandriae, Kalendis Ian. consul procederet; eodem anno eandem urbem de capta Armenia triumphans ingressus est, quod rursum contra instituta majorum ausus fuit. Quare cum numus hic fabricam Aegyptiam praeferat, et in Aegypti moneta obvium sit videre annos signatos, et quidem praefixo L, quin et numi cum M. Antonii imagine Aegypto probe conveniant, verisimile omnino est, eum Alexandriae cusum, et vocabulo ΡΩΜΗΣ hanc ipsam urbem notari, quam sic vocari voluerit Anto-

a) Fam. Morelli p. 30. b) Aegypt. num. p. 200.

Digitized by Google

nius, ne consulatum in hac auspicando et triumphando, quae in vetere solum Roma peragi solebant, contraire patriae legibus videretur. Ex his, quae dixi, colligi non obscure potest, τῷ L. A. notari hunc ipsum annum V. C. 720., quo nimirum primum in hac nova Roma peracta sunt, quae veteri hactenus solum permissa fuere. Herculis vero ritu proponitur, quod ab Antone Herculis F. genus duxit, et teste Plutarcho ejus vultus Herculis imaginibus similis habitus fuit, de quo abunde agetur in ejus IIIviri moneta. Etiam in contorniatorum uno, qui est in museo Caesareo, ejus capiti adstituitur clava.

AVGVSTVS.

Caput Octaviani laureatum.
L. B. KAICAPOC. ATTOKPATOPOC. *Aquila fulmini insistens, in area cornucopiae.* AE. II. (Vaill. hist. Ptol. p. 199.)

Anni mentio in hoc numo suspecta, ut dicetur.

KAI - - - *Caput Augusti laur.*
L. I. *Rana.* AE. IV. (Mus. Borgia.)

Forte potius est Claudii, ut monebimus infra.

Caput idem.
L. IΔ. *Ibis.* AE. IV. (M. Borgia.)

Si non fallit numi ectypon, est is verius Claudii, vel Hadriani.

Antica incerta.
L. Λ. ATTOKPATΩP. *Capricornus cum globo et cornucopiae.* AE. II. (Morelli Impp.)

Antica incerta.
L. Λ. *Instrumenta pontificalia.* AE. III. (Arigoni.)

Antica incertâ.
L. ΛE. *intra quernam.* AE. IV. (Arigoni.)

Antica incerta.
L. ΛH. *Capricornus*, vel: *Victoria gradiens.* AE. II. (Morelli Impp.)

Caput Augusti laur.
L. ΛΘ. *intra quernam.* AE. II. (Mus. Neumann.)

Caput idem.
L. M. *intra quernam.* AE. II. IV. (Mus. Caes. Theupoli, Borgia.)

KAIΣAP. ΣEBAΣTOΣ. *Caput laur.*
L. M. *Victoria gradiens.* AE. II. (Theupoli.)

Antica incerta.
L. M. L. MA. ETΘHNIA. *Caput muliebre spicis ornatum.* AE. II. (Zoëga ex mus. reg. Gall. Morelli.)

Caput Augusti laur.
L. M. L. MA. *intra coronam quernam*, vel: *Victoria gradiens.* AE. II. (Mus. Stosch, Theupoli, Caes.)

Caput Augusti nudum.
L. MB. *Victoria gradiens.* AE. II. (Mus. Bracciano, Arigoni.)

Caput Augusti laur.
L. Mς. (verius MΓ. ut dicetur.) *Victo-*

Digitized by Google

ria gradiens. AE. II. (Pellerin Mel. II. in fronte libri.)

* * *

ATTOTCT. *Caput nudum.*
ATTOKPATO. KAICAPOC. *Aquila fulmini insistens, in area cornucopiae, et* M. *vel* Π. AE. II. (Theupoli, Arigoni.)

* * *

Habes hic descriptos numos hactenus cognitos omnes, quos sic potes in Alexandrinorum numero putare, ut tamen evidenter probari de omnibus non possit. Certum monetae Alexandrinae aevi Augustei criterium faciunt: caput Augusti cum vel sine addita epigraphe; in aversa annus imperii praefixo L definitus, typus moris Aegyptii, denique et fabricae modus. Secundum has leges nemo dubitabit, recitatum mox numum typo Ibidis esse Aegyptium, quia haec avis Aegypti propria semper est habita, aut numum inscriptum ETΘHNIA, quia vocabulum istud in sequentium imperatorum numis, et in Aegyptiis tantum, obvium est. Haec si absint, aut palam moneta Alexandrina non sunt, aut certe ratio evidens non est, cur numi similes Aegypto potius, quam regioni alteri vicinae sint adsignandi. Sic manifeste peccaverunt Patinus, Morellius, aliique, qui in hanc classem contulerunt numos varios Augusti quidem nomine, sed non effigie insignes, quos potius, quia hominis, aut animalis effigiem nunquam continent, in Iudaea signatos communis jam est sententia. Contra cur numi cum typo capricorni, coronae quernae, Victoriae etc. tam certi Alexandrini sint putandi, causam idoneam non reperio. Non sane hanc praebent anni imperii praefixo L, nam eodem modo numi quoque Iudaici, quos modo citavi, inscriptos Augusti annos praeferunt. Neque certam rationem sufficit fabrica; nam ut haec monetam regionum longe dissitarum facile distinguit, ita minus tuto monetam regionum vicinarum aequaevam. Sic commode discernimus inter monetam Siculam et Thraciam, at non aeque inter Siculam, et alteram vicinae Graeciae M. Certe spectata fabrica difficile est discrimen inter numos Aegyptios, et numos vicinae Palaestinae, Phoeniciae, Syriae. Quemadmodum ergo urbes Iudaeae numos signaverunt Alexandrinis plane similes, nisi quod Augusti caput exclusere, sic nihil est, quod repugnet, numos complures praesentis catalogi posse opinari cusos in urbibus Graecis Palaestinae, Phoeniciae, Syriae, Cypri etc. Interim proponere hos numos hoc loco idoneum visum, cum quod certae causae non sunt, quae eos esse Alexandrinos inficientur, tum quia hic locus iis recensendis opportunissimus videtur, cum certe aliquo loco sint recensendi.

At nescio, utrum aliqua sit verisimilis ratio, quae Alexandrinam esse monetam suadeat v. g. numos inscriptos ΠATHP. ΠATPIΔOΣ. typo fasciculi spicarum, aliosque, quos cl. Zoëga p. 8 et 9. repraesentat, quibus in numis ipsi etiam imperii anni desiderantur, qui certus quidam sunt numorum Alexandrinorum character. Habet major pars Caesarum, ac praecipue Augusti et Trajani, numos commatis peregrini, quorum patriam nulla possis conjectura adsequi, et quos ego in disponendis museis, adornandisque catalogis soleo

Digitized by Google

subjicere cujusque imperatoris numis commatis Romani. Atque haec de adlatis numis generatim. Persequamur reliqua.

Numum ex citatis primum cum L. B. jure cl. Zoëga falso a Vaillantio descriptum suspicatur, eumque non esse diversum ab eo, quem ultimo loco proposui, id est: nulla anni nota insignem, conjicit. Tuto tamen inter Alexandrinos referendum putat, quia aquila sic fulmini insistens, addito cornucopiae, et litera solitaria obvius est in regia Aegypti moneta typus. Conjecturae justae; verum non parum me absterret sigma lunatum C, quod in hujus generis numis non tantum apud Vaillantium, sed et Arigonium et Theupoli hoc modo formatum comparet; atqui sigma hujus formae numi Alexandriai ante Domitianum non offerunt. Quos proximos vir eruditus sistit cum annis Γ, E, S, id est: 3, 5, 6, jure inter spurios ablegandos, dicemus infra. Qui sequitur, Arigonianus, inscriptus L. ENAτη, genuinum quidem existimo, sed vereor, ut numus sit Augusti, et non inferioris cujusdam Caesaris, quia in hac moneta anni imperii usque ad Vespasianum, aut saltem Neronem, semper notari, nunquam perscribi sunt soliti. Numum cum L. I. et typo ranae, quem secundo loco proposui, mallem Claudio tribuere; est enim in museo Caesareo simillimus alter, sed inscriptus: TIB. KΛΑT., atque idem plane cum illo, quem cl. Zoëga eadem tabula I. operis sui postremum dedit. Similes numulos alios ranae typo insignes vide infra in Batracho Marmaricae, cui eos non nulli tribuendos putant. Neque satis Augustum refert numus cum L. IΔ., ut in ipso catalogo monui. Qui sequuntur, inde a L. Λ. sine dubio hujus sunt imperantis. Annus ultimus teste citato Pellerinii numo est Mς, 46, qui quidem praeconi ipsi inexplicabilem objecit difficultatem, neque istud injuria; nam si annus primus Augusti ducatur ab initio mensis Thot anni V. C. 724., quo nempe labente, mense Augusto, constat captam Aegyptum, annus numi Mς incipiet in Thot anni V. C. 769, at certum est, Augustum jam biennio ante diem obiisse. Coactum ergo se vidit Pellerinius, numum hunc ex catalogo monetae Alexandrinae eximere, et tribuere alteri cuipiam urbi, v. g. Syriae, quae annos suos ab aera anteriore, qualis fuit Actiaca, duceret. At enim fatente Zoëga, qui numum ipsum Lutetiae inspexit, annus ibi potius MΓ. 43, legitur, qui quidem facile sese annis Augusti adcommodat; nam inciperet in Thot V. C. 766., quo labente mortuus est Augustus XIX. Augusti anni Iuliani V. C. 767. Eundem etiam annorum numerum collegit Philo, cum narrat Augustum ἐν τρισι και τεσσαρακοντα ἐνιαυτοις ἐπικρατησαι Αιγυπτου [a]).

Ex typis memorandus unus is, qui juxta scriptum ETΘHNIA offert, et qui occurret mox iterum in numis Liviae, et deinceps in aliis frequenter. Vocabulum istud idem significat, quod in numis Latinis *Abundantia*, quae Aegyptum cumprimis nobilitavit. Videtur iis annis monetae fuisse inscriptum, qui-

a) Legat. ad Caium p. 567.

Digitized by Google

bus altius restagnans Nilus cognitam provinciae fertilitatem auxit, cujus vice epigraphes saepius subinde usurpatus numerus cubitorum Iς. Haec Ευθηνια idem fuit, quod Ευετηρια, id est: *felix annus*, et quo nomine usus est Iosephus, cum abundantiam Aegypti indicaret, ἐν τοις της ἐυετηριας καιροις [a]), cujus quoque tanquam deae stetit templum Corinthi teste marmore Sponii: TOTC. NAOTC. ЄTЄTHPIAC. KAI. KOPHC. [b]).

Numi Augusti suspecti, aut prave vulgati.

DIVI. IVLI. *Caput Iulii Caes. laur.* L. Γ. S. C. *Augustus in quadrigis elephantorum.* (Goltz.)

Alius, sed L. E. AR. max. mod. (Mus. Vatic.)

Alius, sed L. E. *sine* S. C. (Harduin ex mus. Baudelot.)

Numos hos intactos reliquissem, nisi Zoëgam patronum nacti essent. Professus est ipse, sibi numum ex citatis primum principio in cognitis Goltzii figmentis habitum fuisse, atque istud tanto certius, quod testatur Erizzo, id genus sese numos a Parmensi falsario percussos vidisse; verum cum postea in museo Vaticano similem alium, sed argenteum max. mod. vidisset, judice se, alioque viro egregio genuinum, in gratiam cum Goltzio redivisse. Meum de singulari hoc cimelio judicium sic habeto: si Vaticanus hic numus vere antiquus est visus, istud aliud non probat, quam esse eum tanto artificio ad veterem modum fabrefactum, ut, quod saepe alias factum, etiam viris praestantissimis possit illudere. Ceterum numi hi tam continent insolentia et paradoxa, ut nulla auctoritate contrarium docente impetrare a me possim, quo minus spurios existimem, et vel numum priorem, reliquorum antesignanum, a Goltzio confictum, et reliquos ad hujus exemplar elaboratos, vel etiam ipsum Goltzii numum fuisse ex spuriis unum, atque illi genuinum creditum. Accedit ad elevandam numi Vaticani fidem etiam illud, Zoëgae, quod video, non observatum, quod argenteus est, cum tamen Alexandrinus probae fidei argenteus per totum Augusti imperium nondum sese obtulerit.

* * *

KAIΣAPOΣ. *Fasciculus spicarum, vel instrumenta pontificalia.* Ϟ ΑΛΕΞ. ΑΙΓΤΠ. *Palma.*

Similes numos edidere Goltzius, Tristanus, Erizzo, Camelus, Spanhemius [c]), et praecipiente aversae epigraphe tribuerunt *Alexandriae Aegypti*, nimirum Goltzio more suo, ut libuit, numorum inscriptiones dictante. Numi similes genuini aversae epigraphen habent L. Λ. — L. ΛΓ. — L. ΛΕ. suntque numuli Iudaici sub Augusto percussi, quales supra in imperatoria Iudaeae moneta dedimus.

LIVIA.

Caput Liviae. Ϟ L. ΛΘ. M. MA. MB. *Typi: Corona querna.— Canistrum spicis*

a) Ant. L. II. c. 5. §. 7. b) Misc. p. 363. c) T. I. p. 343

Digitized by Google

refertum, utrinque fax serpentibus implexa. — Pallas stans. AE. II. (Mus. Caes. Morelli Impp. Stosch.)

Caput Liviae. ℞ ETΘHNIA. L. ΛΘ. MA. *Protome muliebris capite spicis ornato, et spicis ex sinu promicantibus.* AE. II. (Mus. Cqm. Vitzai, Morelli Impp.)

Hos numos certum est imperante Augusto signatos, quia auctiores offerunt annos, quam ut alteri principi possint adcommodari. Ergo jure caput anticae tribuimus Liviae Augusti conjugi. De horum nonnullis dubitari rursum potest, utrum Alexandrini sint putandi ex causis, quas in moneta Augusti mox commemoravimus. Alexandrini tamen certi sunt ii, in quorum aversa videmus canistrum frugibus refertum, positumque inter duas faces, quibus serpentes obvolvuntur. Nam primum hic typus obvius est in certis Alexandrinis sequentium imperatorum. Deinde quia typus hic ad Cererem utique refertur, cujus proprius est calathus frugifer, tum et faces et serpentes. At constat ex scholiaste ad Callimachi hymni in Cererem versum I., Ptolemaeum Philadelphum in Cereris honorem Thesmophoria eodem ritu, quo Athenis peragi solebant, Alexandriae constituisse, inter quorum caerimonias fuit etiam solennis calathi processus, de quo agam pluribus in numis Trajani, quorum unus ipsam calathi pompam sistit. Constat vero etiam, Liviam in frequentibus numis imagine Cereris donatam, eique ejus deae attributa commodata, ut docebimus in ejus numis, et patet etiam ex postremo hic citato cum typo Εὐθηνίας, *Abundantiae*, qui certus etiam est Alexandrinus, et de quo mox in numis Augusti egimus.

* * *

Numos Liviae tres, inscriptos: IOΥΛIA. ΣEBAΣTOΥ. inter Alexandrinos retulit Zoëga. Cum neque addantur anni imperii, et typi cornucopiae et aquilae certam Aegypti monetam non arguant, mallem eos inter incertae regionis numos referre. Accedit, numos hos causa nominis *Iuliae* imperante Tiberio signatos. At enim per totum hujus imperium, ex quo nimirum is Augustus dictus est, alios Alexandriae cusos non novimus, quam argenteos, et cum constante aversa ΘEOΣ. ΣEBAΣTOΣ. Mirum ergo foret, si in Iulia typos variarunt Alexandrini, cur istud non facerent etiam in Tiberio.

CAIVS CAESAR *Agrippae F.*

ΓAIOΣ. KAIΣAP. *Caput Caii nudum.* ℞ ΣEBAΣTOΣ. *Caput Augusti nudum.* AE. II.

Numum hunc in catalogo musei Caesarei inter Alexandrinos locavi, quia fabricam habet ex ingenio monetae Aegyptiae. Verum cum criterium istud, ut supra monui, fallax sit, non ausim negare, in quapiam Phoeniciae, vel Palaestinae urbe potuisse signari.

DRVSVS *Tiberii F.*

Caput perquam juvenile. ℞ L. ΛΘ. *intra coronam quernam.* AE. III. (Mus. Caes.) AE. II. (Mus. Neumann.)

Numum hunc patris Tiberii numis praeponere libuit, quia Augusto impe-

Digitized by Google

rante signatus, docente istud anno ΛΘ. Eum primum edidit Frölichius [a]), et Druso Tiberii F. tribuit, quia imperantis Augusti anno XXXIX., qui ex calculo horum annorum, ut docuimus supra in Augusto, ducitur ab autumno V. C. 760., nullus alius fuit idoneus juvenis Caesar, cujus honori urbs extera numos dedicasset. At tum Drusus noster annum circiter XX. agebat, per patrem Tiberium in spem imperii succrescens, idoneus adeo, cujus jam nunc benevolentiam sibi provinciae demererentur.

TIBERIVS.

Ejus habemus numos nomine primum CAESARIS, deinde AVGVSTI.

Nomine CAESARIS.

Caput Tiberii nudum. ℞ TIBEPIOT. L. Γ. Δ. E. I. *typis hippopotami, crocodili, aquilae, coronae.* AE. III. IV.

Numi hi Tiberium neque Augustum appellant, neque laurea cingunt. Quare dubitari nequit, Augusto vivo, et cum Caesar tantum adhuc esset, fuisse signatos. Alexandrinos annum Tiberii I. numerasse ab anno V. C. 757., quo adoptatus ab Augusto, Caesaris titulo, et tribunicia potestate iterum donatus est, jam haud dubius in imperio successor, mihi plane persuadeo. Exegit in hoc statu annos X., donec mortuo V. C. 767. Augusto Augusti titulum ipse suscepit, atque istud praeclare comprobant numi, qui Tiberio tantum Caesari X. annos largiuntur, accedente in numis proximis et Augusti titulo et laurea.

Nomine AVGVSTI.

TIBEPIOΣ. KAIΣAP. ΣEBAΣTOΣ. L. IΔ. IH. K. *Caput laur.* ℞ ΘEOΣ. ΣEBAΣTOΣ. *Caput Augusti radiatum.* AR. vel AE. II. (Morelli, Stosch, Zoëga.)

Alios typos numi Tiberii Augusti, qui certi Alexandrini sint, non offerunt, ut neque in ejusdem imperatoris numis aureis, et argenteis commatis R. typos videmus variantes.

Quos alios praeterea numos Cl. Zoëga ex variis auctoribus addidit, characterem certum monetae Aegyptiae non suppeditant.

CAIVS *Caligula.*

Hujus unius numi Alexandrini desunt, sed verisimile est, jam sub Tiberio, incertum, qua de causa, feriri desitos, nam hactenus videre non licuit numum, postremis XIII. ejus imperantis annis signatum.

TI. CLAVDIVS.

A Claudio moneta Alexandrina immensum augeri incipit. Deinceps ergo eos tantum numos recensebo, qui dignum aliquid nostris studiis objicient.

* * *

ATTOKPA. cum variis annis, typis etiam variis: *Victoriae, manipuli spica-*

a) Adpendic. II. novae.

Digitized by Google

rum, hippopotami, bovis cornupetae, genii Alexandriae, dexterarum junctarum, aquilae, Nili etc. AR. AE. II.

Vocabulum ΑΤΤΟΚΡΑτωρ, *imperator*, in Claudii numis hujus classis ad fastidium recurrens, nequaquam in iis est nomen summi imperii, quo Claudium constanter abstinuisse in numis ejus Latinis docebimus, sed nomen captum ex victoriis. Quod si eam alia quaepiam epigraphe a parte aversa exeludit, tum constanter in anticam migrat, et inter Claudii nomina ac titulos postremam sedem occupat. Idem factum quoque in numis privigni Neronis.

* * *

ΑΤΤΟΚΡΑ. L. Γ. *Caput puerile nudum inter capita duo puellarin Amaltheae cornu imposita.* AR. (Mus. Caes.)

Illustris hic numus sistit caput Britannici, tum sororum Antoniae et Octaviae, Claudii prolium, sed ex duabus uxoribus. Similem typum habes in numo coloniae Patrensis, et alio coloniae incertae, quos vide descriptos in numis Claudii commatis R. De praeclaro hoc numo plura disserui in mea Sylloge I. p. 67.

* * *

ΔΙΚΑΙΟΣΤΝΗ. L. Γ. *Mulier stans d. bilancem.* AE. II. (Morelli Impp.)

Habes hic aversam numorum Latinorum, qui inscribuntur AEQVITAS eodem typo. Similis aversa in sequentium quoque imperatorum numis occurrit.

* * *

ΕΙΡΗΝΗ. vel, ut in numo musei Caes. ΙΡΗΝΗ. *Mulier stans d. caduceum, s. galeam.* AR.

ΕΙΡΗΝΗ. Latinis *Pax*, quam et frequenter crepant numi Claudii commatis R. Eadem haec ΕΙΡΗΝΗ. mutatis paullo typis saepe et in sequentium imperatorum numis recurrit.

* * *

L. I. *Crocodilus*, in aliis: *Rana.* AE. IV. (Theup. Mus. Caes.)

Crocodili rationem in numis Aegypti tenemus, non item ranae, etsi animali hoc amphibio abundare debuit regio per annuum Nili egressum palustris. An vero illud religione consecratum fuerit, mihi ignotum. Id genus numos adcuratius describam in numis Marmaricae Aegypto adjacentis; nam sunt, qui eos Batracho ejus regionis oppido tribui volunt.

* * *

Claudii numum editum video a Begero [a]), in cujus aversa: ΕΤΤΟΚΙΑ. *Fecunditas, quae d. spicas tenet.* Advertit me epigraphes insolentia, sed facile vidi etiam, male lectum ΕΤΤΟΚΙΑ pro ΑΤΤΟΚΡΑ., numumque cetera similem esse illi, quem in museo Theupoli eodem typo cum L. I. descriptum habemus.

* * *

Annos in Claudii numis habemus a L. A. usque L. ΙΔ. cum plerisque mediis. Exivit postremus hic ΙΔ. die XXIX. Augusti V. C. 807., cumque Claudius diem obiverit die XIII. Octobris ejusdem anni, et longiore tempore opus fuerit, ut ejus mors in Aegypto innote-

a) Thes. Br. T. III. p. 95.

Digitized by Google

sceret, dubitari nequit, intra hoc duorum saltem mensium spatium signatos numos cum L. IE., sed hactenus numus hoc notatus, quod norim, non comparuit.

MESSALINA

Claudii, sed imperantis, uxor I.

ΤΙ. ΚΛΑΤΔΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΓΕΡΜΑΝΙ. ΑΤΤΟΚΡ. L. A. B. Γ. Δ. E. ς. *Caput Claudii laur.*
ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ. ΚΑΙΣ*αρος*. ΣΕΒΑΣ*τυ*. *Messalina stans d. extenta duos infantes, s. spicas, et simul columnae innixa.* AR. (Beger Thes. Br. T. II. p. 619. Mus. Caes. Stosch, Theup.)

Anni numis his inscripti sunt anni Claudii, quorum postremus ς exivit XXIX. Augusti V. C. 799. Cum Messalina caesa sit V. C. 801., possunt adhuc exstare numi cum annis Z. et H. Quae alia ad annos inscriptos, titulum Messalinae et typum pertinent, vide tractata in hujus Augustae moneta commatis Romani.

AGRIPPINA *junior.*

Claudii uxor II.

Numi imperante CLAVDIO signati:

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Hujus caput.*
ΕΙΡΗΝΗ. L. IB. *Protome Pacis promicantibus tum ex capite, tum pectore spicis.* AE. II. (Morelli Impp.)

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Hujus caput spicis ornatum.*
ΕΤΘΗΝΙΑ. L. IA. IB. IΓ. *Caput muliebre spicis redimitum.* AE. II. (Mus. Caes.)

* * *

Numi imperante NERONE signati:

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. L. Γ. *Hujus caput.*
ΝΕΡ. ΚΛΑΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΑΤΤΟ. *Caput Neronis laur.* AR. (Mus. Caes. Stosch.)

Alius cum L. E. AR. (Stosch.)

Sine epigraphe. Caput Agrippinae. L. Δ. *Duae spicae inter totidem papavera.* AE. III. (Morelli.)

Addidit Morellius similem alium cum L. H. sed qui annus haud dubie ex numo male est exceptus; nam cum Agrippinae historia, seu Claudii, seu Neronis imperium spectes, componi nequit.

Numum ex Neronianis primum ex museo Ariostiano, in quo olim fuit, edidit Khellius [a]), sed geminato sphalmate; nam in iconismo legitur: IΓ., in explicatione: L. I. At in numo ipso, qui nunc est in museo Caesareo, certissima scriptura legitur L. Γ., et sic legitur etiam in catalogo MS. musei Stosch, in quo etiam reperio alium hujus Augu-

a) Suppl. ad num. Impp. p. 21.

Digitized by Google

stae numum cum L. E., ut indicavi. Vtrique hi numi ignoti fuere Cl. Zoëgae.

De ΕΤΘΗΝΙΑ egimus in numis Augusti.

ANTONIA.

Drusi senioris uxor, Claudii mater.

ΑΝΤΩΝΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Ejus caput.*

ΤΙ. ΚΛΑΤΔΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΓΕΡΜΑΝΙ. ΑΤΤ. L. A. B. *Caput Claudii laur.* AR. (Stosch. Theup. Mus. Caes.)

NERO.

Varii generis numi hoc imperante Alexandriae cusi sunt, quos juvat in aliquot classes tribuere.

Numi variorum numinum.

ΑΠΟΛΛΩΝ. ΑΚΤΙΟΣ. *Protome Apollinis laureata, pharetra pone humeros eminente, in area astrum, juxta Neronis caput:* L. ΙΓ. ΙΔ. (Stosch, Morelli.)

ΑΠΟΛΛΩΝ. ΠΤΘΙΟΣ. *Typus similis. Iuxta Neronis caput:* L. ΙΔ. (Ibid.)

ΔΙΟΣ. ΟΛΤΜΠΙΟΤ. *Caput Iovis laur. in area astrum. Iuxta Neronis caput:* L. ΙΓ. (Morelli, Arigoni.) Similis est in Theupoli, sed lecto perperam ... ΗΠΙΟΤ.

ΖΕΤΣ. ΝΕΜΕΙΟΣ. *Caput Iovis laur. Iuxta Neronis caput:* L. ΙΔ. (Mus. Caes. Morelli, Zoëga.)

ΗΡΑ. ΑΡΓΕΙΑ. *Caput Iunonis velatum diadematum, prae quo in nonnullis astrum. Iuxta Neronis caput:* L. ΙΓ. ΙΔ. (Mus. Caes. Stosch.)

ΠΟΣΕΙΔΩΝ. ΙΣΘΜΙΟΣ. *Caput Neptuni diadematum cum tridente, prae quo astrum. Iuxta Neronis caput:* L. ΙΔ. (Mus. Caes.)

Omnes hi numi adludunt ad Neronis in Graeciam profectionem ludorum causa susceptam. Certamina Actia, Pythia, Olympia, Nemea, Argiva, Isthmia cui non cognita? Propudiosum illud iter suscepit V. C. 819. et tote fere anno sequente in Graecia abfuit. In utrumque hunc annum eadunt anni ΙΓ. et ΙΔ. numis his inscripti. Sed vide de iisdem his numis, quae in ipsa Neronis moneta R. disseram.

* * *

ΔΗΜΗΤΗΡ. in alio: ΔΗΜΗΤΕΡ. *Ceres velata stans d. spicas, s. hastam, in area:* L. Γ. Δ. E. AR. (Stosch, Harduin Hist. Aug.)

ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. L. Γ. Δ. E. *Serpens arrectus etc.* Vide hos numos descriptos supra in prolegomenis cap. I.

Numi in Romanos officiosi.

ΡΩΜΗ. L. Γ. E. *Roma sedens d. Victoriolam, s. parazonium, altero pede proram, altero saxum, sive monticulum premit.* AR. (Zoëga, Stosch.)

Typo navis et saxi, quae pedibus Roma premit, indicatur συμβολικως ejus in terram et mare imperium. Qua imagine praeclare confirmantur ea, quae olim latius exposui, Augustos terrae marisque dominos passim vocatos, et tanquam tales in monumentis veteribus propositos, ac praeterea typo pedis rei cuipiam impositi indicari a ve-

Digitized by Google

teribus solitum jus, quod quis in eam rem habet a).

ΔΗΜΟΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. L. Δ. E. *Vir togatus stans d. hastam, s. cornucopiae,* AR. (Mus. Caes. Theup. Arig.)

Hujus numi cum meminit Vaillantius, existimat, Alexandrinos fuisse dictos Romanos inde a M. Antonio, atque hos inscripto: *populus Romanorum* notari b). Verum nullatenus credibile, Alexandrinos uti voluisse appellatione sibi per nefas atque invitis Romanis indita a IIIviro legum patriarum contemptore. Alexandrini igitur proposito in moneta sua *populi R.* genio aliud nihil intendere visi, quam sese ita observare populum R., ut aliae urbes proposita senatus R. icone hunc sibi observandum duxere.

* * *

ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Augusti radiatum. Iuxta caput Neronis:* L. IΓ. AR. (Mus. Caes.)

ΠΡΟΝ. ΝΕΟΤ. ΣΕΒΑΣΤΟΤ. L. Γ. *vel* E. *Imperator sedens capite radiato, s. hastam.* AR. (Zoëga ex mus. reg. Gall. et d'Ennery. Theupoli.)

Quem Neronem in numis mox supra citatis νεον Αγαθοδαιμονα vidimus, in posteriore hoc habemus νεον Σεβαστον, qui velut alter Augustus jam pridem in deos relatus ΠΡΟΝοια sua id est: *providentia*, quam veteres nonnisi diis vere convenire dixerunt, terrarum orbem complectitur. Notus Graeculorum mos, illustribus personis novi Bacchi, Apollinis, Osiridis, Isidis etc. nomina imponentium, veteribus illis sive jam situ et inertia victis, sive in has quadam metamorphosi transfusis. Hujus amentiae exempla copiosa dedimus, dabimusque in moneta Mithridatis Ponti regis, Antonii IIIviri, Cleopatrae, Antinoi, Commodi, Caracallae etc. tum et hujus ipsius Neronis, sed in moneta commatis R. citata. In catalogo MS. musei Stosch numi hujus epigraphe sic refertur: ΠΡΟΝ. ΘΕΟΤ. ΣΕΒΑΣΤΟΤ.

* * *

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Tiberii laur. Iuxta caput Neronis:* L. IΓ. AR. (Mus. Caes.)

Numi variis argumenti.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. De numis cum hac epigraphe vide supra in prolegomenis cap. I. sub finem.

ΑΤΤΟΚΡΑ. vum variis annis et typis, sed his obviis, ut in numis Claudii.

ΟΜΟΝΟΙΑ. L. Γ. *Mulier sedens d. pateram.* (Zoëga).

Haud dubie in hoc numo praedicatur Neronis cum matre concordia.

ΣΕΒΑΣΤΟΦΟΡΟΣ. L. IΓ. *Navis.* (Morelli, Theupoli, Arigoni, Pembrock.)

Typus ad Neronis in Graeciam trajectum pertinet, quem V. C. 819., Alexandrinorum IΓ. eo profectum supra diximus. Hunc numum latius explicabo in numis Neronis Latinis.

* * *

Anni in his Neronis numis ab A. usque IΔ. cum omnibus mediis. Annus postremus IΔ ducitur a die XXIX. Augusti V. C. 820. Proximo Iunio Ne-

a) Choix de pierr. grav. ad Gemm. I. b) Num. Graec. p. 14. et 204.

Digitized by Google

ro sui ipsius carnifex annum IE. non attigit.

OCTAVIA.

Claudii et Messalinae F. Neronis uxor I.

ΟΚΤΑΟΥΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. L. A. Γ. Δ. E. *Ejus caput.* Ɪ ΝΕΡ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΑΥΤ. *Caput Neronis laur.* AE. II. (Harduin hist. Aug. Stosch. Mus. Caes.)

Annus postremus E. coepit die XXIX. Augusti V. C. 811. Quadriennio post Neronis jussu ipsa caesa.

POPPAEA.

Neronis uxor II.

ΠΟΠΠΑΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. L. Θ. I. IA. IB. *Ejus caput.* Ɪ ΝΕΡΩ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΑΥ. *Caput radiatum, in aliis laureatum.* AR. (Harduin Hist. Aug. Mus. Caes. Stosch. Theup. Zoëga.)

Annus Θ. ducitur a die XXIX. Augusti V. C. 815., quo ipso anno Nero repudiata Octavia Poppaeam duxit addito Augustae nomine. Sed in ejus numis reperio etiam L. Δ. (Theupoli.) et L. E. (Harduin Hist. Aug.) certo adversus historiam certam peccato, quando intra hos annos Nero adhuc Octaviae convixit, ejusque Alexandriae numi cum utroque hoc anno cusi sunt, ut vidimus. Verum ut citati hi numi defectu peccant, sic alius cum L. IΔ. excessu, quem annum nonnulli obtrudunt, cum certum sit, Poppaeam prius obiisse, quam dictus annus iniret, qui ducitur ab Augusto V. C. 820. Verius igitur in hoc legendum IA.

GALBA.

Singularis in nonnullis capitis epigraphe: ΛΟΥΚ. ΛΙΒ. ΣΟΥΛΠ. ΓΑΛΒΑ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. propter praefixa nomina *Lucii Livii*, de quibus vide, quae monebo in numis Romanis Galbae articulo: *de nominibus Galbae.*

* * *

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. *Mulier stans d. extenta, s. hastam, et simul columnae innixa.* AR. (Mus. Caes.)

Libertas a Galba per Neronis exitium restituta exemplo numorum Latinorum in Alexandrinis quoque jactatur.

* * *

ΚΡΑΤΗΣΙΣ. *Mulier stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Nova epigraphe, eaque in unis Alexandrinis, quo vocabulo intelligendam Romanorum *Virtutem* facile mihi convenit cum Spanhemio [a]). Sunt, qui typum hunc adludere existiment ad id, quod refert Suetonius [b]), felicis ominis instar Galbae fuisse, quod in munitione oppidi cujuspiam Hispaniensis repertus est anulus opere antiquo, sculptura gemmae Victoriam cum tropaeo exprimente. Vt ingeniosum istud, sic propterea minus solidum, quod eadem aversa occurrit quoque in numis sequentium imperatorum, quibus simile omen oblatum non est.

* * *

Numi Galbae reliqui, sed jam co-

a) T. I. p. 146. b) in Galba c. 10.

Digitized by Google

gniti: ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. ΕΙΡΗΝΗ. ΡΩΜΗ etc.

* * *

Non reperiuntur anni alii, praeterquam A et B, neque reperiri numerus auctior potest, nam coepit annus B die XXIX. Augusti V. C. 821., quo anno Alexandrino labente caesus est Galba Ianuario proximo.

OTHO.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. ΕΙΡΗΝΗ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. ΚΡΑΤΗΣΙΣ. ΡΩΜΗ. cum suis typis jam cognitis. AR. AE. II. In aliis: *aquila*, *caput Serapidis*, *Canopi*. AE. II. III.

Vultus lineamenta, et cultus capitis in his numis multum differunt ab iis, quae in ejus moneta Romana observamus, cujus rationem in hac dabimus.

* * *

Annum in his unicum habemus, nempe L. A. Scilicet imperium arripuit medio Ianuario V. C. 822. illudque medio Aprilis cum vita amisit.

VITELLIVS.

Capitis epigraphe solita: ΑΥΛΟΥ. ΟΥΙΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΥΤ. Verum in numo Pellerinii (Mel. I. tab. XIII.) pro ΑΥΛΟΥ legitur ΩΛΟΥ, praeeuntibus nimirum Romanis AV ut O efferentibus, cujus exempla vide plura apud Giovenazzium [a]). Quod proxime huc pertinet, in marmore bilingui Naniano A. COSSINIVS Graece redditur: ΩΛΟΣ. ΚΟΣΣΙΝΙΟΣ [b]). Titulus ΚΑΙΣαρος perperam ab Alexandrinis Vitellio tribuitur, ut docebimus in ejus numis commatis R.

Typi in ejus numis obvii: *Victoria*, *Isis*, *Sarapis*, *Canopus*. AR. AE. II. III.

* * *

L. A. unicus in illis annus. Iure istud, nam die XXIX. Augusti V. C. 822., quo annus B inire debuerat, Vitellius in Aegypto agnitus imperator amplius non fuit. Ejus numi Alexandrini rari, et raros esse oportet. Nonnisi per mortem Othonis, quae contigit in Italia die XVI. Aprilis ejusdem anni, agnitus est imperator. Serius istud propter distantiam scitum in Aegypto, et Kal. Iuliis jam defecit Aegyptus studiis in Vespasianum conversis.

VESPASIANVS.

ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. L. B. *Caput laur.* ✠ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Mulier elephanti exuviis tecta et succincto habitu stans d. coronam, s. hastam.* AR. (Stosch.)

Iure in hoc numo genius Alexandriae coronam porrigit, velut eam imperatori oblaturus, quem ipsa omnium urbium prima imperatorem agnovit, ut docebimus in ejus numis Romanis.

* * *

ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. *Caput laur.* ✠ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. H. *vel:* L. ENAT. *Caput Alexandriae proboscide ornatum.* AE. II. (Mus. Caes.)

a) Dissert. della città di Aveja. b) Biagi Monum. Graec. Lat. p. 121.

Digitized by Google

Vocabulum ΣΕΒΑΣΤΟΥ tituloe Vespasiani finit in antica coeptos. In simili auctor catalogi Theupoli legit ΣΕΝΑΤ. ΣΕΒΑΣΤΟΤ., quod Latine reddit: *Senatus Augusti*, parum circumspecte.

* * *

ΣΑΡΑΠΙΣ. — ΖΕΤΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. — ΕΤΓΑΜΙΑ. De numis Vespasiani sic inscriptis egi supra in prolegomenis cap. I. sub *Sarapis*.

* * *

ΑΤΚΑΒΑΝΤΟΣ. ΔΕΚΑΤΟΤ. *Aequitas stans.* AE. III. (Belley B. L. T. XIX. p. 475.)

L. IA. *Avis, cujus caput muliebre loto insignitur.* AE. III. (Belley l. c.)

Vt obvii sunt Vespasiani numi cum annis ab A usque Θ, sic rarissimi, qui annos binos proxime sequentes I et IA sistunt. Numus prior singularis est propter scriptum plene ΑΤΚΑΒΑΝΤΟΣ.

* * *

Annos in Vespasiani numis habemus ab A usque IA cum omnibus mediis. Secundum Alexandrinorum calculum Vespasiano adhuc annus IA. competiit. Annus nimirum A coepit ipsis Kal. Iul. V. C. 822., quo die Ti. Alexander Aegypti praefectus Alexandriae legiones in Vespasiani verba adegit, tam certo hoc ejus imperii principio, ut Vespasiano ipso volente primus is principatus dies deinceps haberetur a). Proximo deinde XXIX. Augusti inivit annus B. Secundum hanc legem progrediendo annus IA coepit eodem die Augusti V. C. 831., quo labente mortuus est mense Iunio V. C. 832.

FL. DOMITILLA.

Fuit hoc nomen Vespasiani et uxori et filiae. Domitillae nomine Alexandrinos duos edites reperio:

ΦΛΑΟΤΙΑ. ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. *Hujus caput.* ☧ L. 5. *Serpens erectus super equi currentis dorso.* AE. III. (Patin, Morelli Impp. Spanheim T. I. p. 290.)

ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. CЄΒΑCΤΗ. *Hujus caput.* ☧ L. ΔΩΔЄΚΑΤΟΤ. *Aequitas sedens.* AE. III. (Gessner ex Museo Pfau tab. LIX. n. 21.)

Vtrum numus prior sit Domitillae Vespasiani uxoris, an filiae, decidere difficile, ut advertam ad ejus numos commatis Romani. Alter certo est uxoris, nam haec tantum Augusteo titulo insignis fuit.

Typus serpentis super equo novus, at saepe deinceps repetitus. Ad solem referri debere, patet ex iis, quae in prolegomenis capite I. sub *Sarapis* diximus.

TITVS.

Numorum Titi hujus classis statum propter praeconiorum incertam fidem valde experimur luxatum. Conabor, ut potero, restituere sanitati, et legibus chronologicis subjicere pro variis dignitatibus, quas per intervalla collegit Titus.

---

a) Tacit. hist. II. c. 79. Sueton. c. 6.

Digitized by Google

Titi Caesaris.

TI. ΦΛΑΒΙ. ΟΤΕΣΠΑΣΙΑΝΟΤ. ΚΑΙΣ. *Caput laureatum.*
ΑΤΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. -- ΕΣΠΑ -- L. B. *Caput Vespasiani.* AR. (Stosch.)

Epigraphe vera, quae numo huic primatum in Titi moneta Alexandrina constituit. Etenim anno II. Alexandrino Vespasiani Titus nonnisi Caesar adhuc fuit, nondum conlega imperator. Iure ergo omissum nomen Αυτοκρατορος deinceps perpetuo adjectum. Praeclare conspirat numus ΕΤΟΤΣ. ΝΕΟΤ. ΙΕΡΟΤ. B., in cujus una facie est caput Vespasiani, in altera Titi, juxta epigraphe simplex: T. ΦΛΑΤΙ. ΟΤΕΣΠ. ΚΑΙΣ., quem numum vulgavit Pellerinius [a]), qui et simillimum alium addidit, nisi quod in hoc legitur ΕΤΟΤΣ. ΝΕΟΤ. ΙΕΡΟΤ. Δ., qui annus IV. respondet anno V. C. Iuliano 824, quo labente Titus imperatoris titulum a patre demum abstulit.

Titi Caesaris imperatoris.

ΑΤΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΤΙΤΟΤ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Caput laureatum.*
ΑΤΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΟΤΕΣΠΑΣΙΑΝΟΤ. L. B. *Caput Vespasiani laureatum.* AR. (Zoëga in num. Vespas. n. 13.)

Ex numis, qui Titum αὐτοκράτορα appellant, hic haud dubie primum sibi locum postulat. At quoniam Titus anno II. Alexandrino Vespasiani nondum habuit titulum imperatoris tanquam imperii conlegae, intelligendus certe est titulus imperatoris ex victoria, quem ipsi intra hoc tempus ex captis Hierosolymis delatum tradit historia, quae omnia copiose persequemur in moneta Titi.

* * *

Ad sequentes numos praemonendum, in aliis annum imperii in antica juxta caput videri exaratum, in aliis in parte aversa.

ΑΤΤ. ΤΙΤ. ΦΛΑΟΤΙ. ΟΤΕΣΠΑΣΙΑΝ. ΚΑΙΣ. L. A. *Caput laureatum.* Ꝟ ΕΙΡΗΝΗ. *Pax stans d. spicas, s. caduceum.* In alio: *Victoria stans.* In alio: ΡΩΜΗ. *Roma stans d. hastam, s. clypeum.* In alio: ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Mulier stans d. coronam, s. hastam.* In alio: ΕΤΘΗΝΙΑ. *Caput Abundantiae.* AR. (Stosch, Morelli, Theupoli.)

Insta quaestio, quis sit hic annus L notis L. A. indicatus. Primus patris Vespasiani annus, seu V. C. 822, intelligi nequit, quia illo Titus Αυτοκρατορος titulum nondum habuit, eo nonnisi V. C. 824 donatus. Neque intelligi potest annus primus Titi Augusti, seu post patris excessum imperantis, quia in his omnibus, quos modo descripsi, deest vocabulum ΣΕΒΑΣΤΟΤ, quod in certis Titi Augusti numis abesse non solet. Ergo notae L. A. verisimiliter indicant annum, quo a patre ad imperii conlegium adscitus est.

* * *

ΑΤΤ. ΤΙΤ. ΦΛΑΤΙ. ΟΤΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. L. Δ. *Caput laureatum.* Ꝟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. *Genius urbis stans.* In alio, sed sine epigraphe: *Victoria.* (Theupoli.)

a) Mel. I. tab. VII.

Digitized by Google

Hic quoque annus IV. verisimiliter ducitur ab adscito imperatoris titulo. Cl. Zoëga ex numis, quos edidere alii, collegit adhuc annos E, ς, H, sed addit, nescire se, quae fides tribuenda numis Titi annum quarto majorem proferentibus, nimirum quia tempus, quo solus imperium tenuit, in IV. tantum annos Aegyptios incidit. Atqui, subjicit, *numos Alexandrinos non trib. potestatem a patre cum eo communicatam epocham facere, sed Augusti dignitatem post patris obitum in eum devolutam, inde evincitur, quod Augustum appellant addito anno, quo, si trib. potestatem respiceret, tantum Caesar fuisset.* In ejus catalogo unicum reperio numum, qui eam possit difficultatem objicere, nimirum qui est in numis Titi n. 26: ΑΥΤΟΚ. ΤΙΤΟΣ. ΚΑΙ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒΑ., in aversa: ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. ENAT. *Caput Alexandriae.* Numum citat ex Morellio, sed quem ego in omnibus hujus operibus non reperi. Ex quo sequitur, virum praeclarum memoriae lapsu alienum fontem indicasse. Sed quisquis is fuit, certe suas ipse aquas turbavit. Est enim idem hic numus plane integer in museo Caesareo, sed in cujus antica manifesta est epigraphe non Titi, sed Vespasiani. Ceterum jure hoc loco queritur Zoëga de mala catalogorum fide, quam jure possumus suspicari, non tamen corrigere. Vnde factum necessario, ut Zoëgana haec numorum Titi sylloge perpetua sit chronologiae confusio, et dissidiorum causa. Enimvero minus irascar homini numum male explicanti, quam praeconi verum numi statum male describenti. Potest illius errata sanare scientia et eruditio, hujus non potest.

Exstant et alii numi, in quibus Titus imp. jungitur cum Vespasiano patre addito L. H. vel ENAT. vel L. I., quos vide apud Zoëga in numis Vespasiani, sed anni his inscripti sunt patris.

Videmus in his numis vocabulum Αυτοκράτορος instar praenominis constanter praeponi contra certam titulorum legem in moneta Romana observatam, in qua, quamdiu Titus nonnisi Caesar fuit, nunquam legitur IMP. TITVS, sed semper TITVS. IMP., quo in ordine non temere a Romanis constituto peccant etiam in Tito numi non pauci inscripti ETOTΣ. NEOT. IEPOT. Verum et supra vidimus, Vitellium dici *Caesarem*, plane contra legem monetae Romanae.

Titi Augusti.

ΑΥΤΟΚ. ΤΙΤΟΥ. ΚΑΙΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. ΣΕΒ. *Caput laur.* Ɪ ΣΑΡΑΠΙΣ. L. B. *Caput Sarapidis.* AR. (Stosch.)

Eadem adversa. Ɪ ΟΜΟΝΟΙΑ. L. Γ. *Mulier sedens d. protenta spicas.* AR. (Mus. Caes.)

ΑΥΤΟΚ. ΤΙΤΟΣ. ΚΑΙΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. *Caput laur.* Ɪ ΝΙΛΟΣ. L. Γ. *Protome Nili barbata cum flore loti supra humerum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Titus mortuo patre imperium adivit mense Iunio V. C. 832. Coepit ergo annus B exeunte Augusto ejusdem anni, et annus Δ anno V. C. 834., qui fuit Titi postremus, nam proximis idib. Sept. funus fuit. Cum postremo hoc anno nu-

Digitized by Google

mum Titi Augusti non reperi, quos sane raros esse oportet, quod parum temporis inter ejus anni initium, et principis mortem intercessit.

DOMITIANVS.

Ejus numos Alexandrinos, quamdiu Caesar tantum fuit, et signatos adeo sub Vespasiano et Tito, certos nondum comperi. In Zoëgae compilatione reperio numos quinque, in quorum antica: ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ. *Caput laur. cum* L. Δ. In aliis: ΚΑΙCΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. *Caput laur. cum* L. Z. I. IA. qui numi Domitiano adhuc Caesare videri possent signati, cum quod Augusti mentione abstinent, tum quod anni hi omnes cum annis patris Vespasiani possunt componi. Neque obesset caput in his laureatum, nam Domitianus jam anno Vespasiani imperantis IV. laureatus in ipsa Romanorum moneta sistitur. Quae quidem argumenta commode probarent, esse hos numos Domitiani Caesaris. At enim repugnare videtur sigma in horum compluribus lunatum, quod Vespasiano et Tito imperantibus nondum Alexandriae valuisse ex ipsis eorum numis intelligo, at denique inductum sub Domitiano. Praeterea cum videam, numos hos tam parce inscriptos esse omnes formae III. vel IV., apparet, monetarios nonnunquam arti spatii causa titulorum partem resecuisse, atque adeo hos inter etiam titulum ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Non igitur videntur in Aegypto numi Domitiani adhuc Caesaris signati, nisi in consortio cum patre Vespasiano, quorum unum vulgavit Harduinus [a]): *Epigraphe, et caput patris.* Ϟ ΔΟΜΕΤΙΑΝΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒ. ΤΡΟΣ. ΕΤ. Θ. *Ipse togatus stans.*

In Domitiani Augusti numis typi alii ex moneta R. petuntur. Sic:

ΑΘΗΝΑ. ΣΕΒΑΣΤ. L. I. *Pallas stans.* (Theup.)

Cognito nimirum Domitiani in Palladem suam adfectu, quorsum etiam adluditur typo basis, cui insistit noctua inter duos serpentes. (Mus. Caes.)

ΔΙΚΑΙΟΣΤΝΗ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. IA. *Aequitas Augusti.* (Mus. Parm.)

ΕΛΠΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΗ. L. I. IA. *Spes Augusta.* (Mus. Caes. et Parm.)

ΝΕΙΚΗ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Victoria Augusta* cum variis annis.

ΤΥΧΗ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. L. IA. *Fortuna Augusta.* (Patin.)

* * *

Typi alii sunt mere Aegyptii, sic:

ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. IΓ. de quo vide prolegomena cap. I. sub *Sarapis.*

Capita Isidis, Sarapidis, Agathodaemon etiam portatus equo, Apis, Ammon, pharus etc.

Hippogryphus pedem rotae imponens, typus et in sequentium imperatorum numis obvius. Is in numis urbium Graecarum Nemesi vel Fortunae sociatur, ut diximus in numis Smyrnae; sed in Alexandrinis forte aliud ex mysteriis Aegyptiis petitum indicat, nam in his etiam Sphinx saepe comparet rotae pedem imponens.

* * *

Nomen ΓΕΡΜ*ανικη* Domitiani titulis addi incipit in numis ΕΤΟΤΣ. ΤΡΙ-

a) Hist. Aug. p. 754.

Digitized by Google

TOT. notatis, praeclara cum numis Romanis concordia. Adsero istud ex numis musei Caesarei probe inspectis, non ex praeconio catalogorum, quorum auctores ejuscemodi indicia velut otiosa fere negligunt, neque in iis examinandis adcurati videri cupiunt, cum tamen magni sint ad historiam criticam emolumenti. Adcuratissimus quidem Zoëga numum unum protulit, qui το ΓΕΡΜ. cum L. A. sociat, sed malim credere, in eo legendum L. Δ. vel IA. Vide, quae de hoc titulo in Domitiani numis commatis R. disputabo.

* * *

Ad annos inscriptos progredimur. L. A. a solis Arigonio et Patino recitari video. Alium indicatum reperio in numis musei S. Floriani. At frequentiores numi annorum sequentium, quorum postremus est Iς. XVI., qui unicus est in museo Arigoni. Quoniam annus B. coepit XXIX. Augusti V. C. 835., annus IB exivit eodem die V. C. 849. Cum Domitianus caesus sit die XVIII. sequentis Septembris, et delibaverit adeo annum Alexandrinum Iς, signati etiam haud dubie sunt numi cum hoc anno, sed quos esse perraros necesse est. Hoc imperante in his numis pro anni nota L. saepe scribi solet ETOTΣ, utroque hoc deinceps promiscue usurpato.

DOMITIA.

ΔOMITIA. ΣEBAΣTH. *Ejus caput.* ℞ ATT. KAIΣAP. ΔOMITIANOΣ. ΣEB. ΓEPM. L. E. *Caput laur.* AE. III. (Stosch, Zoëga.)

L. IA. *Domitia sedens d. spicas, s. hastam.* (Mus. Christinae inter AE. II.)

NERVA.

L. A. KPATHΣIΣ. ut in numis Galbae. (Harduin hist. Aug.) vel: *Serpens Agathodaemon erectus inter spicam et caduceum.* (Mus. Caes.) AE. II.

L. B. KPATHΣIΣ. AR. (Mus. S. Floriani.) Alium cum hoc anno citatum non reperio.

* * *

Nerva XVIII. Septembris V. C. 849. ad imperium vocatus, et exeunte Ianuario V. C. 851. mortuus auctiorem annum non admisit. Numus cum L. Γ., qui cum Nervae imperio componi nequit, Goltzianus est.

TRAIANVS.

In nonnullas classes Trajani quoque numos tribuere placet.

Numi mythologiae Aegyptiae.

Parum novi haec classis suppeditat, vetera: *Isidem cum Harpocrate, Canopos etc.* De numis cum imagine Harpocratis et Nili vide prolegomena cap. I.

Numi mythologiae Graecae.

L. IΓ. *Pluto in quadrigis raptam agens Proserpinam, inferne calathus effusus.* AE. I. (Arigoni.)

L. IB. *Triptolemus in bigis serpentum.* AE. I. (Arigoni.)

Digitized by Google

L. IΓ. *Quadrigae equorum lente incedentes aurigante muliere, quibus vehitur calathus frugibus refertus, quem insistens pone mulier manu sustentat.* AE. I. (Haym. T. II. p. m. 265.)

In aliis: *Idem calathus in bigis boum vel serpentum.* AE. I. (Theupoli.)

Omnes hi numi argumentum continent ad Cererem ejusque sacra pertinens. In numo I. Proserpina Cereris F. a Plutone rapitur, typus obvius in numis Graecis, praecipue Asiae minoris. Mater amissam filiam omnibus terris investigat, ipsa in Attica benigne excepta Triptolemum frugum sationem docet, suosque illi serpentes cedit, quod exhibet numus II. Triptolemus Thesmophoria Athenis constituit in memoriam traditae sibi disciplinae agrestis, cujus festi ritum, nempe calathi pompam, numus III. proponit. Calathum solum, refertum frugibus, positumque inter duos serpentes daduchos jam vidimus supra in numis Liviae, quo loco monui, eo typo indicari Thesmophoria ab altero Ptolemaeo Atheniensium exemplo Alexandriae constituta, atque is non in Liviae modo numis citatis, sed et insequentium imperatorum perfrequens typus. At is in praesente numo solenni pompa vectus proponitur ad eum modum, quo festum illud Alexandriae celebratum describit autopta Callimachus [a]). Habes equorum quadrigas, indicante eodem poeta [b]):

Χ' ὡς ἁι τον καλαθον λευκοτριχες ἱπποι ἀγοντι
Τεσσαρες.
Vtque calathum candidi vehunt equi Quatuor.

Mulier una currum regit, altera pone calatho providet. Scilicet Thesmophoria a mulieribus peragi solita non liquet modo ex Aristophanis fabula, quae Θεσμοφοριαζουσαι inscribitur, sed et vel ex primo Callimachi versu:

Τω καλαθω κατιοντος ἐπιφθεγξασθε γυναικες,
Calatho descendente adclamate mulieres,

Sic et Catanae Cereris sacra ab unis mulieribus confecta tradit Cicero [c]). In Eleusiniis quoque Cereris sacris mulieres curru vectas indicat Aristophanes [d]). Ad eadem Thesmophoria pertinent etiam numi postremi, etsi pro equis currum subeant boves, vel serpentes, quae varietas placuit monetariis, quod utrumque animal Cereri sacrum noverant, etsi eorum usus in hoc festo non valuerit. Sic in iisdem his numis Alexandrinis propositos videas imperatores vectos jam equis, quod moris soliti, jam elephantis, quod rarius, jam Centauris, quod nunquam. Philadelphus Thesmophoria non constituisse in Aegypto, sed revocasse videri poterat, nam inde a Danai filiabus in Graeciam traducta tradit Herodotus [e]).

* * *

L. IΓ. *Prometheus rupi adligatus, adstat aquila ultrix.* AE. I. (Arigoni.)

Elegans typus, neque alias ex regno numismatico cognitus.

---

a) Hymn. in Cerer. b) l. c. v. 121. c) in Verr. L. IV. c. 45. d) in Pluto v. 1015. e) L. II. c. 171.

Digitized by Google

Numi cum typis Romanis.

EIPHNH. KAI. OMONOIA. L. IF. *Pax et Concordia cum suis attributis stantes dexteras jungunt.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numos alios similes jam cogniti argumenti commemorare non attinet.

* * *

DACICI titulus praedicari incipit in numis cum L. H., neque tamen repugnaret annus Z. Quod vero hactenus posterior hic annus visus non est cum Dacici titulo junctus, in causa erit paucitas numorum, qui annum Z inscriptum offerunt. Cl. Zoëga tres tantum editos reperit, quorum unus ea parte, quae titulum hunc capere debuerat, vitium fecit, alter anepigraphus, de tertii epigraphe non constat. Titulus PARTHICI cum L. IΘ. jungi incipit. Vide de his titulis numos Trajani commatis Romani.

* * *

Anni Trajani habentur ab A usque K cum mediis omnibus, numi tamen cum annis minoribus sunt rariores. Coepit Trajani annus A mense Ianuario V. C. 851., quo mortuus est Nerva. Quo minus annum KA adsequeretur, qui coepisset fine Augusti V. C. 870., morte prohibitus est, ejusdem mensis initio in Cilicia e regione Alexandriae vita functus. Reperio annum KA in thesauro Mauroceno, sed cujus auctoritate non magnopere moveor, neque etiam Zoëga duobus aliis, quos cum eodem anno editos vidit, fidem habet, putatque Hadriano restituendos.

HADRIANVS.

Illustre agmen numorum hujus imperantis in plures pro more classes tribuimus.

Numi mythologiae Aegyptiae.

L. IH. *Sphinx sine alis, cujus caput loto ornatum est, et tectum velo ad medios pedes descendente; ex pectoris medio exstat caput crocodili, ipsa serpenti insistit caput erigenti, super dorso gryphus pedem rotae imponens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numum hunc edidi in mea Sylloge I., iterum cl. Zoëga, qui eum paullo aliter describit, et amplo commentario de Sphingis varia forma, et recondita significatione illustrat. (Mus. Borg. p. 140.)

* * *

Ammon, Sarapis, Harpocrates, Apis etc. aut obvii sunt in his numis, aut jam in prolegomenis ad hanc classem cap. I. explicati.

Numi cum typis Romanis.

ΕΛΠΙC. CΕΒΑCΤΗ. L. IF. *Spes gradiens.* AE. I. (Mus. Caes.)

ΠΡΟΝΟΙΑ. L. KB. *Providentia stolata stans d. Ibin, s. hastam transversam.* AR. (Mus. Caes.)

L. K. *Tiberis decumbens sinistro brachio innititur lupae geminos lactanti, infra aquila expansis alis.* AE. I. (Stosch.)

Argumentum ex historia R. decantatum, sed mallem pro aquila dici picum, notum in eadem fabula actorem.

Digitized by Google

Numi cum typis ad Hadrianum pertinentibus.

L. Γ. *Templum distylum, in quo Hadrianus stans d. aediculam pro pedibus positam contingit, s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

L. Z. vel IZ. *Templum distylum, in quo Sarapis stans s. hastam, et dextera elata protegit Hadrianum adstantem, qui dextera aediculam pro pedibus positam contingit, cui inscriptum:* ΑΔΡΙΑΝΟΝ., *s. hastam tenet.* AE. I. (Mus. Caes.)

Docent hi numi, Hadrianum adhuc vivum ab Alexandrinis pro deo cultum, templumque ejus honori erectum. Hujus templi meminit quoque Epiphanius [a]), cujus testimonio numi hujus typus praeclare illustratur. Perhibet is, fuisse Alexandriae templum Hadriani honori consecratum, versum postea in gymnasium Licinianum, tandem a Constantino M. aedem sacram ibi positam, appellatam de nomine Gregorii Meletiani.

* * *

ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟC. L. IB. IΓ. *Duae dexterae junctae.* AR. (Mus. Caes.)

Illustres hi numi plurimum valent ad definiendum tempus, quo Hadrianus *Patris Patriae* titulum suscepit, de quo consule, quae in ejus principis numis Romanis disputabo.

* * *

L. IE. *Genius muliebris Alexandriae capite elephanti exuviis tecto et veste succincta stans, s. demissa spicas tenens adprehensam dextera adstantis imperatoris togati dexteram osculatur, qui s. hastam tenet.* AE. I. (Mus. Caes.)

L. IC. *Idem genius s. vexillum tenens, dexteram, qua simul spicas tenet, cum adstante eodem cultu imperatore jungit.* AR. (Mus. Caes.)

L. IC. *Idem genius oleae ramum protendens occurrit imperatori quadrigis advecto.* AE. I. (Arigoni.)

Ad hos tres numos provoco, ut comprobem, Hadrianum anno Alexandrinorum IC seu XV. Alexandriam venisse, de quo vide numos Hadriani Romanos. Elegans in numo I. imago urbis imperatoris manum osculantis, jam apud veteres observantiae et reverentiae argumentum. Sic Priamus, cum Achillis domum intrasset, Hectoris cadaver exoraturus, continuo docente Homero [b]):

Χερσὶ Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας.
Manibus Achillis apprehendit genua, et osculatus est manus.

Et sic Alexandrum moriturum militibus dexteram osculandam porrexisse tradit Iustinus [c]).

* * *

Hadriani annus A longaevus non fuit; coepit enim die XI. Augusti V. C. 870. quo apud Antiochiam imperium suscepit, et exivit ejusdem mensis die XXIX., quae causa est, cur rarissimi sint numi anno A insignes. Annus postremus reperitur KB, qui coepit exeunte Augusto V. C. 890., quo labente diem obiit X. Iulii V. C. 891.

a) contra Ebion. b) Il. Ω. v. 478. c) L. XII. c. 15.

Digitized by Google

SABINA.

CABЄINA. CЄBACTH. *Ejus caput.* ℞ L. IΓ. *Sabina sub Cereris specie sedens d. spicas, s. hastam.* AR. (Stosch.)

In aliis: *Caput Sabinae.* ℞ *Caput Hadriani.* AR. et AE. I.

* * *

Anni sunt: L. IΓ. (Stosch.) L. IЄ. (Stosch. Theup.) L. Iϛ. (Stosch.) L. IZ. (Stosch.) L. KA. (Theup.) Annum ergo primum Sabinae Augustae habemus IΓ. et forte emerget alius cum L. IB., sed hoc nullus anterior, nam exeunte isto Sabina Augustae titulum adepta est. Satis igitur causae, cur praetensum in solo museo Theupoli L. ϛ. in L. Iϛ. ausim corrigere, tanto majore istud fiducia, quod similis Stoschianus cum L. Iϛ. eundem etiam habet Victoriae gradientis typum, quem Theupolianus. Viderit ergo cl. Zoëga, an non in numo, quem praeterea solum cum L. ϛ. ex museo M. Ducis citat, legendum quoque sit L. Iϛ. Sed haec copiose disputabuntur in Sabinae numis Romanis.

AELIVS CAESAR.

Λ. AIΛIOC. KAICAP. *Caput nudum.* ℞ ΔHM. ЄΞO. TΠATOC. *Mulier stans s. cornucopiae ad aram sacrificat.* AR. (Stosch.)

Si rite lecta est aversae epigraphe, maturius in Aegypto Aelius honores monetarios obtinuit, quam Romae. Nam ejus cum consulatu I. numi Romani non exstant.

* * *

Eadem adversa. ℞ ΔHM. ЄΞOTC. TΠAT. B. *infra* OMONOIA. *Concordia sedens d. pateram, s. cornucopiae nixa.* (Mus. Caes.) In alio: *Mulier stans d. pateram, s. spicas.* AE. II. (Mus. Caes. Theup.)

* * *

Alius in museo Theupoli citatur inscriptus: ΔHM. ЄΞOTC. TΠAT. Γ. quae epigraphe si vera est, haec ad Hadrianum pertinebit, nam Aelius consul III. non processit.

* * *

Recitati hactenus Aelii numi praeter aliorum Alexandrinorum morem annum inscriptum non habent, in horum tamen classem esse tribuendos, fabrica invicte arguit. Omissorum annorum causa verisimilis est, quod hi mentione consulatus satis videbantur definiti.

* * *

Eadem adversa. ℞ ЄIPHNH. L. Γ. *Mulier stans d. pateram super ara, s. caduceum.* AE. I. (Zoëga.)

Singularis est hic numus, non modo quod unicus hactenus est compertus ex universa Aelii moneta Alexandrina, qui annum addat, sed etiam, quod doceat, Alexandrinos Aelii numis non annos Hadriani, sed ejus Caesaris inscripsisse, cum tamen inde a principio Aegyptiae hujus monetae numis Caesarum et Augustarum, si Tiberianos demas, imperantium Augustorum anni inscribi sint soliti, et qui mos deinceps quoque valuit usque ad Diocletianum, quo imperante factum iterum, ut collega Maximianus, et Caesares adsciti annos suos, non Diocletiani, numera-

Digitized by Google

rent. Novicio hoc instituto confirmari putat cl. Zoëga, quod de Aelio refert Spartianus, eum peculiari quadam ratione ab Hadriano fuisse adoptatum, non ut Trajanum a Nerva, sed fere ut a Diocletiano Constantium et Galerium, atque haud dubie Hadrianum Aelio Pannoniam sic regendam dedisse, ut alias imperii provincias Diocletianum adscitis Caesaribus. Quo factum, ut utrique, velut *διτοκρατορες*, a die collati Caesarei tituli, potestatis suae annos ducerent. Sed enim jam vidimus in Tiberio, hujus quoque numis Alexandrinis, cum Caesar tantum adhuc esset, non annos Augusti, sed annos, ex quo Caesaris nomen Tiberius ipse obtinuit, fuisse insertos. Quae ad Aelii historiam pertinentia inscriptus hic annus doceat, vide in hujus Caesaris moneta commatis Romani.

ANTINOVS.

Hujus numos Alexandrinos recensebo, et explicabo in numis Augustorum commatis Romani.

ANTONINVS PIVS.

Nullo alio imperante numi magis copiosi, et magis variantibus typis signati. Eos rursum aliquot classibus comprehendo.

Numi mythologiae Aegyptiae.

Paucos hujus generis reperio, qui aliquid nondum scitum, dignumque offerant. En tibi paucos hos:

L. KA. *Mulier sedens in dorso lupi currentis d. cornucopiae, s. baculum.* AE. I. (Theupoli, Stosch.)

Est haec indubitata Isis, quem praegrandi cane vectam, saepe offerunt aenei minuti Alexandriae imperante Iuliano signati et Latine inscripti. Idem argumentum est etiam in numis aeneis Hadriani et Faustinae sen. commatis item peregrini, quos omnes recensebo in numis Iuliani Latinis. Catalogi fere dicunt lupum, quod ego canem, exiguo discrimine, nam lupus aliud non est, quam canis ferus et silvestris. At oportebat parare canem mole conspicuum, qui Isidem dorso gestaret.

* * *

L. Γ. *Caput Sarapidis humano pedi velut basi impositum.* AE. I. (Zoëga.)

Idem typus in Aurelii quoque et Commodi numis recurrit. In eo explicando nondum satisfecerunt eruditi, neque cl. Zoëga de eo non pauca disserens desideratam lucem attulit a).

Numi mythologiae Graecae.

HERCVLES. Plerosque ejus labores in aeneis I. formae propositos reperias.

L. Δ. *Hercules nudus decurrens d. tenet cornibus juga boum, s. clavam et spolia leonis.* AE. I. (Theup.)

En abactos Geryonis boves.

a) pag. 224.

Digitized by Google

L. TЄTAPTOT. *Hercules aprum humero gestat; Eurystheus ad ejus pedes sub terram se abscondere conatur.* AE. I. (Zoëga.)

Fabulam hanc ex numis similibus jam explicavimus in numis Perinthi Thraciae.

L. TЄTAPTOT. *Hercules aves Stymphalidas sagittis enecans.* AE. I. (Mus. S. Floriani.)

L. Є. *Hercules Antaeum alte sublatum elidit.* AE. I. (Theup.)

L. Є. *Hercules sedens in basi pelle obducta, s. tenens lyram, d. amice prehendens dexteram Centauri sinistro brachio clavae innixi, pone servus operculum vasis sublevat.* AE. I. (Zoëga.)

Novum hunc typum vir hic eruditus praeclare ex Apollodoro explicat narrante [a]), Herculem a Pholo Centauro convivio exceptum petiisse vinum, atque hunc quidem hospiti satisfecisse aperto dolio, quod communem Centaurorum potum continuerat. Lyrae causam ex vetere more inter convivia canendi eleganter repetit.

L. Є. *Hercules nudus s. clavam super humero, d. fune Cerberum ex antro educit.* AE. I. (Erizzo.)

L. Є. et L. ЄNATOT. *Hercules nudus utramque manum porrigit versus fontem ex rupe profluentem, inferne vas, cui illigata harpa bidens.* AE. I. (Mus. Caes. et M. Ducis.)

Numum hunc olim edidi, ejusque argumentum propter furcam bidentem et vas revocavi ad laborem ab Hercule Augiae stabulis impensum, quo turpi labore peracto ad fontem properat, ut contractam illuviem deponeret [b]).

L. ΔЄKATOT. *Hercules clava Echidnam impetit in binos serpentes desinentem.* AE. I. (Zoëga.)

Vide similem typum in numis Perinthi Thraciae.

L. ΔЄ. *Hercules taurum Cretensem domans.* AE. I. (Arigoni.)

L. ΔЄKATOT. *Hercules Hesperidum poma ex arbore decerpit, cui obvolutus serpens.* AE. I. (Erizzo.)

L. ΔЄKATOT. *Hercules prehensum cornibus cervum Maenalium retinet.* AE. I. (Mus. reg. Christinae.)

L. ΔЄKATOT. *Hercules Diomedem crinibus prehensum et humi prostratum clava ferit, utrinque equus.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 228.)

Intuli Herculem mythologiae Graecae, quia hi ejus labores in his numis secundum Graecorum figmenta proponuntur. Ceterum constat, Herculem ab Aegyptiis inter deos indigenas habitum [c]).

* * *

L. ЄNATOT. *Apollo nudus d. cervulum, s. arcum, stans inter duas Nemeses, pro pedibus tripus, qui in alio simili abest.* AE. I. (Zoëga.)

Arguit ex hoc typo Cl. Zoëga, geminas Nemeses non a Smyrnaeis modo, sed et Alexandrinis observatas; copiose deinde explicat harum cum Apolline, id est, sole sive Mithra nexum, hunc, ceu mundi rectorem, comitantium. Ait, Apollinem versus Nemesin unam protendere cervulum ju-

a) Bibl. L. II. c. 4. §. 4. b) Num. vet. p. 501. c) Diod. Sic. L. I. c. 24.

Digitized by Google

ventutis et renovationis symbolum, versus alteram arcum, mortis vastitatisque instrumenta, adstitutum vero tripodem innuere leges Adrasteae etc. At enim praesentis numi explicatum suppeditant causae obviae ac parabiles, modo has prae mysteriis ames. Habes in hoc Apollinem Milesium inter duas Smyrnaeorum Nemeses stantem. Horum imaginem numinum, qualia in praesente numo proponuntur, dabunt tibi sexcenti Smyrnae, Mileti, et passim cogniti concordiae numi. Verum quid Alexandrinis cum his Smyrnae numinibus? Ajo, idem, quod Ephesiis cum Iove Laodiceae, quod Phrygibus cum Diana Ephesia etc. Dii in moneta domestica peregrini aut communionem sacrorum, aut initam cum una pluribusve urbibus concordiam indicant. Foedus Alexandrinis cum Asiae urbibus intercessisse, docent sane Ephesiorum et Samiorum numi, quorum illi Caracallae aetate signati inscribuntur KOINON. ЄΦЄCIΩN. KAI. ΑΛΕΞΑΝΔΡЄΩN. sueto ludorum typo: hi Gordiano imperante signati: CAMIΩN. KAI. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΩN. OMONOIA. typo Isidis cum velo stantis. Quorum exemplo numorum si fingas, huic, de quo agimus, inscriptum: ΑΛΕΞΑΝΔΡЄΩN. ΜΙΛΗCIΩN. CMTPNAIΩN. OMONOIA., habes concordiam inter urbes tres hac aetate in urbium numis obviam.

* * *

L. H. *Mercurius stans in templo distylo d. caduceum, s. ramum oblongum, pro pedibus utrinque canis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Mercurii sueta attributa gallus, testudo, aries, hircus, aut canis rarius, tamen et hujus sociati causam tenemus. Teste Plutarcho [a]) canis Mercurio sacer, quia hic deus astutissimus, idemque vigilantissimus est. Caninam etiam faciem adsumpsit Mercurius, ut refert Lucianus [b]), dissimulata tamen ejus causa, ne sacra revelaret. Secundum Aegyptiam hujus aevi theologiam latrator Anubis idem fuit cum Mercurio, qua de causa Anubis in monumentis sequioribus caduceum plerumque gestat. Causam dat Servius cum Plutarcho fere idem sentiens [c]), *quia*, inquit, *capite canino pingitur, hunc volunt esse Mercurium, ideo, quia nihil est cane sagacius.* At cur Alexandrini sinistram Mercurii manum ramo oblongo instruxerint non in hoc modo numo, sed et in frequentibus sequentium imperatorum, non aeque mihi compertum.

* * *

L. KΔ. *Perseus chlamydatus cum galea recurva d. tenens falcem humero applicatam, sinistram porrigit Andromedae de rupe descendenti.* AE. I. (Zoëga.)

L. Z. *Orpheus sedens cithara canit, circumstat animantium multitudo.* AE. I. (Zoëga.)

Refert Pausanias [d]), stetisse in Helicone Orphei signum in ferarum medio canentis, adstitutam praeterea fuisse imaginem Τελετης, *Initiationis*, cujus nempe auctor creditus Orpheus. Est vero etiam Orpheo cum Aegypto ne-

a) De Is. et Osir. b) dial. mar. 7. c) ad Aen. VIII. 698. d) L. IX. c. 30.

Digitized by Google

xus; nam adivisse eam regionem, et ejus mysteriis initiatum refert Diodorus [a]). Adde, Alexandrinos cantus et citharae studia immoderatius sectatos, quem furorem severa oratione castigavit Dio Chrysostomus [b]) lepida etiam Phrygis cujuspiam enarrata fabula, Orpheum canentem praeter feras alias impensius secutas aves ovesque. Eum vita functum cum pertinacius plangerent, impetrasse a Iove Orphei matrem Calliopen, ut in homines mutarentur, sic tamen, ut veterem animum et studia retinerent. Ex his Macedonum quoddam genus ortum, qui subinde cum Alexandro mare transgressi Alexandriae denique consedere. Quocirca prae aliis Alexandrinos cantu delectari, et cum citharam audiunt, propter Orphei memoriam mentis fere impotes fieri, esse autem moribus leves et stolidos, quippe ex tali prognatos semine.

* * *

L. Z. *Iudicium Paridis eleganti imagine propositum.* AE. I. (Morelli Spec. tab. XI.)

L. - *Apollo citharoedus rupi insidens, Marsyas ex arbore pendulus, Scytha genu flexo cultrum in cote acuens.* AE. I. (Pellerin Rec. III. p. 188.)

Vtrumque argumentum, quod saepenumero veterum artem exercuit, explicare supervacaneum.

Numi cum typis Romanis.

AIΩN. L B. vel ς. *Phoenix globo insistens.* AE. II. (Mus. S. Floriani.)

Quod AIΩN in his numis, hoc in Romanis AETERNITAS addito etiam in his saepe phoenice aeternitatis symbolo. Varro [c]): *Aevum ab aetate omnium annorum; hinc aeviternum, quod factum est aeternum. Id ait Chrysippus esse ἀιωνα.*

* * *

ETΘHNIA. aliaque similia jam ex praecedentibus cognita.

Numi in Augustos et Romam officiosi.

L. IE. *Capita jugata Antonini cum corona radiata, et Faustinae, prae qua luna bicornis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Antoninus et Faustina, etsi haec quidem dudum defuncta, solis et lunae imagine proponantur, qua indicari Aeternitatem, quam vetus adulatio principibus propriam statuit, abunde in numis commatis R. comprobabo.

* * *

TIBЄPIC. OMONOIA. L. Z. *Tiberinus barbatus stans s. arundinem, dexteram jungit cum adstante Nilo s. cornucopiae tenente, in cujus dextero brachio exultat puellus, altero pro pedibus stante.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numi hujus imaginem jam alias pictam stiti [d]). Offert concordiam Romanos inter et Aegyptios, quorum vice flumina Tiberis et Nilus funguntur, quod et poetis familiare canente Propertio de Cleopatra [e]):

Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas.

a) L. I. c. 23. b) Orat. XXXII. c) de L. L. lib. V. d) Sylloge I. e) L. III. El. 11.

Digitized by Google

Numi astrologici.

1) L. H. *Caput Sarapidis modio insigne, quod in circulo interiore ambiunt capita VII. planetarum, in exteriore XII. signa zodiaci.* AE. I.

2) L. H. *Caput* Lunae, *prae quo astrum, infra* Cancer. AE. I.

3) L. H. *Caput* Solis *radiatum, prae quo astrum, infra* Leo *currens.* AE. I.

4) L. H. *Caput* Mercurii *imminente globo, prae quo astrum, infra* Virgo *stans d. hastam, s. spicas.* AE. I.

5) L. H. *Caput* Veneris, *prae quo astrum, infra virgo volans d.* Libram *tenens.* AE. I.

6) L. H. *Caput* Martis, *prae quo astrum, infra* Scorpius. AE. I.

7) L. H. *Caput* Iovis *laureatum, prae quo astrum, pone sceptrum, infra* Sagittarius *specie Centauri arcum tendens.* AE. I.

8) L. H. *Caput* Saturni *velatum imminente globo, prae quo astrum, pone harpa, infra* Capricornus. AE. I.

9) L. H. *Caput* Saturni *simile, infra* Aquarius *volans utraque manu amphoram tenet.* AE. I.

10) L. H. *Caput* Iovis *laureatum cum sceptro, prae quo astrum, infra duo* Pisces. AE. I.

11) L. H. *Caput* Veneris *prae quo astrum, infra* Taurus *cornupeta.* AE. I.

Omnes hos numos ejusdem argumenti, et eodem anno editos ex museo regis Galliarum aeri incisos stitit, et insigni dissertatione illustravit vir meis laudibus major Barthelemyus [a]). Sed jam multo ante eruditus Panelius in catalogo musei le Bret ad Alexandrinos hujus anni numos advertit, in iis varia zodiaci signa, quae enumerat, contineri, sed obiter tantum istud, neque ultra progressus est [b]). Horum nunc naturam ut explicaret Barthelemyus, usus est opera Iulii Firmici Materni, qui imperante Constantino astrologiae praecepta secundum Aegyptiorum et Chaldaeorum placita tradidit. Eorum, quae huc pertinent, summa est: quodlibet zodiaci signum ab uno quopiam planetarum pendere, planetas singulos in signo aliquo suum nactos domicilium, et inde exercere imperium. Ex hac lege Solem habitare in Leone, (num. 3.) Lunam in Cancro, (num. 2.) Saturnum in Capricorno, (num. 8.) et Aquario, (num. 9.) Iovem in Sagittario, (num. 7.) et Piscibus, num. 10.) Martem in Ariete, (deest.) et Scorpio, (num. 6.) Venerem in Libra, (num. 5.) et Tauro, (num. 11.) Mercurium in Geminis, (deest.) et Virgine, (num. 4.) Haec Firmicus, cujus traditam legem, ut ipse vides, religiose sequuntur nu-

a) B. L. T. XLI. p. 501. b) Mem. Trevoux Octob. 1737.

Digitized by Google

mi. Idem docent auctores duo illustres alii, Macrobius [a]), et Porphyrius [b]). Adde auctorem incertum, olim Censorinum creditum [c]), Proclum Diadochi [d]), Sextum Empiricum [e]), et Servium [f]). Desunt Mars in Ariete, et Mercurius in Geminis, sed et hi forte in quopiam museo latent, et emergent aliquando in lucem. Arietem certe in suo vidit Panelius, sed planetam addere neglexit [g]). Quae fuerit Alexandrinis causa, astrologicos hos numos, et quidem anno Antonini VIII. feriundi, causam idoneam non reperit Barthelemyus. Aliquid tamen videor posse colligere ex scholiasta Apollonii Rhodii, qui verbis Apollonii docentis, Aegyptios prius exstitisse, quam omnia sidera, quae coelo volvuntur, essent cognita, haec subdit [h]): καθο την τε φυσιν καταυοησαι ἀυτων δοκυσι και τα ὀνομαται θειναι, και τα μεν δωδεκα ζωδια θεους βυλαιυς προσηγορευσαν, τυς δε πλανητας ῥαβδοφορυς. *Quapropter videntur Aegyptii primi eorum naturam perspexisse, et iis nomina dedisse. Et duodecim quidem zodiaci signa appellaverunt deos consiliarios, planetas vero lictores.* Hac ergo fiducia verisimile est Alexandrinos vetera artis suae praecepta in his numis ostentasse, et istud illis sic visum anno Antonini VIII., forte quia annis VII. imperii exactis planetarum numerum aequavit. Quae ibidem alia Barthelemyus de monumentis veterum astrologicam superstitionem redolentibus erudite disserit, quod instituti mei artos limites excedant, dissimulo.

Arigonius id genus numum, qualem loco VII. proposuimus, nempe cum Iove et Sagittario, vulgavit, sed cum anno KΔ. Istud indicium si non fallit, non solo Antonini anno VIII., sed aliis quoque similis rationis numi Alexandriae sunt signati.

* * *

L. I. *Leo astrum respiciens.* AE. III. (Arigoni.)

Idem typus obvius est in numis Mileti. In Milesiis verisimilem ejus typi causam non habemus. At cum sol leonem ingreditur, magna istud universae Aegypto bene sperandi causa, quod tum altius adsurgens Nilus fecunditatem procurat.

* * *

Annos in Antonini numis habemus usque KΔ. cum omnibus mediis, sed annum A in unico Patiniano reperit Zoëga, atque etiam in hoc legendum L. H., jure conjicit, quia numus est astrologicus typo Lunae et cancri. Neque mirum, non exstare numos cum anno primo, nam is nonnisi X. Iulii V. C. 891. coepit, exiturus sequentis Augusti die XXIX. Annus postremus KΔ. inivit exeunte Augusto V. C. 913., quo labente mortuus est Pius imperator VII. Martii V. C. 914.

Isthaec commode hactenus. At enim nodum nuper objecit Cl. Zoëga, quem Gordium vere dicere possis, binos promulgando numos ex museo regis Galliarum cum L. KЄ. et typis jam cognitis. Annus hic XXV. quo pacto cum

a) in Somn. Scip. L. I. c. 21. et Saturn. L. I. c. 12. b) de antro Nymph. c) cap. III. d) in Paraphr. ad Ptol. Tetrabibl. L. I. c. 20. e) adversus astrologos §. 34. f) ad Georg. I. v. 33. g) l. c. h) ad L. IV. v. 262.

Digitized by Google

chronologia Pii componi possit, non video. Non moror auctorum veterum testimonia, quae in edendis Antonini annis nimium discrepant, et cum in hoc, tum aliis raro cum certis monumentis conspirant. Ad numos nostri argumenti quod attinet, certum est, Antonini annum B coepisse XXIX. Augusti V. C. 891., ergo annus KΔ coepit eodem die V. C. 913. exiturus eodem mense V. C. 914., in cujus deinde locum successisset annus KЄ, si tum adhuc in vivis fuisset Antoninus. At enim certa exstant monumenta eum in vivis esse desivisse labente Martio V. C. 914.

Legitur apud Gruterum [a]):

M. AELIO. AVRELIO. VERO. CAESARE. III.
L. AELIO. AVRELIO. COMMODO II. COS.
COOPT.
L. PETRONIVS. SEVERVS. - - - - -
P. R. C. ANN. DCCCCXIII.

Ambo hi consules in hoc marmore secundum vetera sua nomina exarantur, quae adhuc obtinebant Kalendis Ian. V. C. 914., quo die consules processere, mox ea adscitis novis permutaturi, ille M. Aurelii Antonini Aug., hic L. Aurelii Veri Aug., nimirum posteaquam mortuo Pio imperium uterque una adivit. Quo circiter tempore istud factum docebit marmor aliud Gruteri [b]):

P. CORNELIVS. FAVSTVS.
SILVANVM.
CVM. BASE. DEDICAVIT.
IDIBVS. APRILIB.
IMP. CAES. M. AVRELIO.
ANTONINO. III. IMP. VERO.
AVGVSTO. COS. II.

Ergo Idib. April. V. C. 914. Antoninus diem jam obiverat, quia Aurelius et Verus jam Augusti appellantur, quo honore vivo Pio gavisi non sunt. Accedit monumentum aliud multo illustrius, quia auctoritatis publicae, nimirum positum ab universo ordine ac populo Puteolano. Intelligo basin perelegantem marmoream, quae praeter alia scitu digna, quae videri possunt apud Vignolium, qui insigne hoc monumentum vulgavit [c]), hoc continet:

X. KAL. APRIL.
IMP. CAESARE. M. AVRELIO.
ANTONINO. AVG. III.
ET IMP. CAESARE. L. AVRELIO. VERO. AVG. II. COS.

Ergo saltem X. Kal. April. id est: die XXIV. Martii Pius superstes amplius non fuit. Quorsum igitur annus XXV., cujus initium duci non potest, nisi a XXIX. Augusti V. C. 914., Antonino jam inde a sex fere mensibus vita functo? Tentavit nodum solvere Cl. Zoëga. Ait primum: Antoninum mortuum videri non mense Februario secundum communiorem sententiam, sed circiter mense Septembri, nempe aliquamdiu post diem XXIX. Augusti, quo Pii annus XXV. coepit. Verum quo pacto citata is monumenta contrarium docen-

a) pag. 300. b) pag. 63. 3. c) de columna Anton. p. 323.

Digitized by Google

tia explicabit? At cum sic nimium videatur ademptum annis successoris M. Aurelii, subjicit continuo: Aurelium anno, quam vulgo creditur, tardius mortuum fuisse, nimirum XVII. Martii V. C. 934. At enim in omni re chronologica cautio est, ne, cum temporis partem largimur uni, istud inique detrahamus alteri. Facile in hac sententia expedimus Antonini annum XXV., verum statuendo, Aurelium integro anno serius decessisse, omnis Aurelii et Commodi chronologia pervertetur, cum certa monumenta doceant, Aurelium V. C. 933. obivisse, quae in hujus, filiique Commodi moneta commatis R. proferentur. Revera etiam Cl. Zoëga Commodi mortem uno anno differt, quod quidem etiam cum certis scriptorum et monumentorum testimoniis pugnat. Praestabit igitur, binos hos numos in refractariis putare, quos cognita artis nostrae praecepta domare non possunt, cujus generis sunt, ut vicini temporis exemplis utar, tetradrachma Antiochena memorantia Trajani trib. potestatem XXI., (KA.) tum numi commatis R. memorantes Commodi trib. potestatem XVIII., ut suis locis adcurate indicabitur.

FAVSTINA SENIOR.

Hujus Augustae numi non ita pridem innotuerunt. Pellerinianus hactenus unicus creditus a). Cl. Zoëga binos ex regis Galliarum museo addidit.

ΦΑΤCΤЄΙΝΑ. CЄΒΑCΤΗ. L. Є. *Faustina stans ad aram sacrificat.* ✠ *Caput et epigraphe Ant. Pii.* AR.

ΦΑΤCΤЄΙΝΑ. ΘЄΑ. L. Є. *Mulier stans d. pateram super ara, s. hastam.* In alio: *Caput Faustinae velatum.* ✠ *Caput et epigraphe Ant. Pii.* AR.

His addi potest numus musei Caesarei, quem descripsi in moneta Antonini sub numis in Augustos officiosis.

Omnes ergo hi numi annum V. mariti offerunt. Numus I. Faustinam anno V. Alexandrino adhuc fuisse in vivis praedicat, at Capitolinus tertio anno imperantis mariti mortuam perhibuit. Vide ejus monetam commatis R. Tametsi si spectes Alexandrinorum annos computandi modum, tum et Alexandriae ab urbe distantiam, annus hic V. cum tertio Pii anno, sed exeunte, possit componi.

M. AVRELIVS.

M. Aurelii numi alii sunt ejus *Caesaris*, alii ejus *Augusti*.

Aurelius Caesar.

Anni in numis Aurelii Caesaris ad imperium Antonini Pii pertinent.

M. ATPHΛIOC. KAICAP. *Caput imberbe nudum.* Annos reperio: L. Z. ЄNΔЄKATOT. ΔΩΔЄKATOT. IΔ. IЄ. IH. IΘ. K. KA. KB. KΓ. (Mus. Caes. Theup.) In omnibus his numis typi obvii sunt et triti, dempto uno cum epigraphe APΠΩKPATHC., de quo vide prolegomena cap. I. sub *Harpocrate*.

a) Mel. I. tab. XIII.

Digitized by Google

In numis illaesis, quales sex varii sunt in museo Caesareo, epigraphe capitis talis est, qualem proposui. Quo dubitare licet, sitne epigraphe: M. ATPHΛIOC. ANTΩNINOC., quam in quatuor Aurelii Caesaris numis vidit auctor musei Theupoli, rite promulgata. Aurelium, quamdiu Caesar tantum erat, nondum dictum Antoninum, in numis Latinis disseremus. Forte in Theupolianis scriptum est: ANTΩNINOT. TIOC.

Aurelius Augustus.

In hujus moneta Alexandrina typi novi vix reperiuntur.

L. Δ. *Orpheus lyra canens in medio ferarum alitumque omnis generis.* AE. I. (Morelli Spec. tab. XI.)

Vide, quae de simili typo diximus in Antonino.

* * *

L. Є. *Nilus jacens inter agmen colludentium puellorum XVI.* AE. I.

Vide de hoc numo prolegomena cap. I. sub *Nilus*.

* * *

CHMACIA. L. ς. *Figura juvenilis veste succincta et cothurnis instructa celeri equo vehitur volitantibus capillis et palliolo, d. elata efferens palmae ramum, s. frenum.* AE. I. (Zoëga.)

Eandem aversam, sed in numo L. Veri, vidit Pellerinius, sed quem is sic describit [a]): CHMAΛIA. L. ς. *Vir capite radiato et imberbis citato equo irruens d. fulmen intentat*, quo vocabulo invitante figuram equo vectam putavit esse Σημαλεον Δια, *Prodigialem Iovem* memoratum Pausaniae. Ante annos non multos intuli museo Caesareo numum similem, sic vitiatum, ut nonnisi ope numi Pelleriniani typum licuerit adsequi, sic integrum, ut distincte, videremque epigraphen -HMACIA, plene adeo CHMACIA pro Pellerinii CHMAΛIA. Eam vocem ex Suida explicandam putavi, cui Σημασια est φανερωσις δια σαλπιγγος, signum, *quod tuba datur*, figuram vero equo vectam, sequendo nimirum Pellerinii ectypon, esse solem classicum efferentem, adludendo ad bellum, quod anno VI. Aurelii in oriente, cujus symbolum sol habitus, gerebatur. Vide de hoc plura in mea Sylloge I., quo in opere numum hunc vulgavi [b]). Nuper cl. Zoëga id genus binos edidit, quos vidit ipse, unum Aurelii, alterum L. Veri, utrumque musei Borgiani, utrumque meo, et Pelleriniano magis integrum. Ab his numis mea quidem sententia stabilitur, qua legendum CHMACIA censueram, verum difficile est, vocabulum istud cum typi descriptione, qualem jam sinceram ex Borgiano habemus, componere. Mavult Zoëga in hoc numo videre Διος ΣHMAΣIAΣ, *Iovis omina*, ex Diodori Sic. narratione [c]), et typo fingi boni ominis genium, velut aliquam Iridem ὠκειαν Διος και νικηφορον ἀγγελον, *celerem Iovis nunciam et victoriae praeconem.* Verum et haec explicatio non plene satisfacit, cum quod

a) Rec. III. p. 142. b) pag. 72. c) L. II. c. 19.

Digitized by Google

verba Diodori non satis sese hujus numi causis adcommodant, ut legenti patebit, tum quod in verbi σημασιας lectione variant codices.

* * *

De annis inscriptis adcuratius agendum. Annus A. M. Aurelii coepit currere a VII. Martii V. C. 914. exiturus XXIX. Augusti ejusdem anni, quo coepit annus B. Ejus annus postremus fuit K, qui coepit exeunte Augusto V. C. 932., quo labente mortuus est XVII. Martii V. C. 933. Si in ejus numis reperias L. KA. KB. KΓ. KΔ., ne dubita, eos ad Aurelium adhuc *Caesarem*, non Aurelium *Augustum* pertinere, nam ut supra dixeram, Aurelius *Caesar* in numis suis signavit annos Pii, cujus postremus fuit annus KΔ. Liberalior Arigonius Aurelio nostro tribuit numos cum annis KZ. KΘ. Λ. ΛB. Facile dedero, annos hos rite lectos, at non rite lectam epigraphen anticae, quam si quis volet in examen revocare, mox deprehendet, esse Commodi, non Aurelii, facili peccato, nam cum intra primos Commodi imperantis annos valuerit epigraphe: M. ATPH. KOMM. ANTΩNINOC. CЄ., si forte, quod saepe factum, το KOMM. vitium fecit, cum reliqua nomina aeque ad Aurelium pertineant, facile incautior aliquis Aurelio tribuet numum, qui est Commodi.

Adverte etiam, numos Aurelii Augusti cum annis prioribus esse parabiles, cum annis posterioribus esse rarissimos, aliquorum, ut: L. IA. IΔ. IH. K. nullos haberi. Postremum, eumque unicum Zoëga vidit cum L. IZ., unum cum L. IΘ. ex Harduino citavit. Causa ejus sive parsimoniae, sive defectus non satis expedita. Continuo numi Commodi cum anno ejus primo, seu K, obvii.

FAVSTINA IVNIOR.

Typis, qui in ejus moneta occurrunt, explicandis, quoniam nihil novi offerunt, non immorabor.

Epigraphe obvia: ΦATCTINA. CЄBACTH., rarius: ΦATCTINA. CЄB. CЄB. ЄTCЄB. ΘTΓ. *Faustina Augusta Augusti Pii filia*, quae inscriptionis lex capta est ex numis Romanis.

* * *

Annos habemus inde a L. B. usque L. KB. cum omnibus fere mediis. Si cui mirum videbitur, qua ratione in ejus numis haberi possit annus KB., quando mariti Aurelii postremus fuit annus K, ac multo magis, quod constet, eam quinquennio ante maritum mortuam, is velim intelligat, non modo imperante marito, sed et patre Pio Faustinae nomine in Aegypto numos signatos. Ergo cum Faustina diem obiverit V. C. 928., cui respondent secundum Alexandrinos anni Aurelii IЄ. et Iς., indubitatum, numos Faustinae omnes cum posteriore quopiam anno per Pii imperium cusos. Ignoravit istud Harduinus, quando recitato ejusdem Faustinae numo cum L. IΘ. haec continuo subjicit: *hi numi fabulas Capitolini refellunt de morte Faustinae, ubi, quot verba, tot*

Digitized by Google

mendacia sunt [a]). At si vir eruditus vidisset numum integerrimum musei Caesarei, quem describere operae pretium puto, ipsi etiam Zoëgae ignotum:

M. ATPHΛ. KAICAP. *Caput Aurelii Caesaris nudum.* ℞ ΦAVCTINA. CЄBACTH. L. KB. *Caput Faustinae jun.* AR. si, inquam, hunc vidisset numum, quem propter omissum in marito CЄBACTOT titulum, et caput nudum, certum est imperante Pio cusum, vidisset etiam, Alexandriae numos cum Faustinae imagine etiam sub Pio signatos, et saltem ex his numis Capitolinum mendacii nequaquam posse argui, tanquam inique Faustinae mortem anticipasset.

Cui imperio tribuendi sint numi cum annis minoribus, ut incertum sane, sic in illud anxie inquirere nullius emolumenti. In Antonini Pii aevum haud dubie pertinent, in quibus Faustina sese profitetur *Augusti Pii filiam*. Est in museo Caesareo numus Pii, in cujus aversa L. TPICKAI. typo Nili decumbentis addito cubitorum numero Iς, et simillimus alter, sed Faustinae jun. Quoniam singularis haec epigraphe, de qua egi in prolegomenis, in Aurelii moneta non habetur, dubium non est, hunc Faustinae numum in Pii imperium removendum.

L. VERVS.

Habent nonnulli hujus Augusti numi argumenta nondum ex prioribus cognita, et commemoratu digna.

* * *

APMENIA. L. E. *Mulier moesta humi sedens juxta tropaeum manibus retro ligatis.* AR. (Stosch.)

Typus captus ex numis Veri Romanis, quibus subacta duce Vero Armenia significatur, ut notum.

* * *

L. Є. *Mulier stans d. extenta galeam, s. clypeum, cui inscriptum.* AP. ΠA. MH. Ex AR. (Zoëga.)

Nimirum: APμενιακος, ΠAρθικος, MHδικος, de quibus titulis vide, quae dicentur in moneta M. Aurelii commatis R.

* * *

CHMACIA. etc. Vide supra in M. Aurelio.

* * *

HΩ. L. Δ. *Mulier sinuato per caput peplo d. facem tenet, s. equum currentem freno retrahit.* AE. I. (Mus. Caes.)

Praeclarus hic numus Auroram exhibet ipso etiam vocabulo HΩ. designatam; nam ἠως Graecis Aurora est. Haec in Veri numis adludit ad hujus Augusti bellum anno ejus IV. in oriente gestum, cujus tractus symbolum Aurora quoque fuit habita. Plura de hoc numo, tum et de Aurora, ejusque figura egi in mea Sylloge I., quo in opere rarum istud cimelium edidi [b]).

* * *

Certos annos L. Veri habemus L. A. usque L. ЄNATOT. An etiam exstent numi L. I. vel ΔЄKATOT., justum dubium. Vnum cum L. ΔЄKATOT. citavit Philippus a Turre ex museo Theupoliano [c]). Verum testatur Mazzolenus, numum a se visum, at in eo legi L. ЄNATOT. et sic etiam a Petro Fun-

a) Hist. Aug. p. 787. b) pag. 72. c) de annis Elag. p. 37.

Digitized by Google

di catalogi Theupoliani auctore descriptum a). Sed in eodem adhuc catalogo citatur alter cum L. I., de qua lectione dubitandi tanto justior causa, quod numum sic inscriptum alia musea locupletissima non habent. Est gravis ratio, cur Veri annus X. negligendus non sit. Nam si eum revera praeferunt numi Alexandrini, dubitari amplius non poterit, Verum nequaquam principio anni V. C. 922., sed exeunte hoc anno mortuum, de quo vide, quae notabo ad Veri trib. potestatem. Iobertus in Alexandrino Veri legit L. IΘ. b) sed quem potius credam esse collegae M. Aurelii.

LVCILLA.

M. Aurelii filia, L. Veri uxor. Appellatur in his numis: ΛΟΥΚΙΛΛΑ. CЄΒ. ΑΝΤ. CЄ. ΘΥ. vel: ΘΥΓ. *Lucilla Augusta Antonini Augusti filia.* Typi jam cogniti.

* * *

Anni hactenus promulgati sunt: L. Z. (Mus. Caes.) L. H. I. ΔΩΔЄΚΑΤΟΥ. (Theup.) Mortuus maritus Verus labente anno Alexandrino I. seu decimo, at constat, etiam hoc mortuo Lucillae omnes Augustae honores continuatos.

COMMODVS.

Ejus numi Alexandrini frequentes: omnes argento imparo, vel aenei II. formae; nam deinceps aenei I. formae, inde a Domitiano obvii, perrari sunt. En hujus imperii numos illustriores:

ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘЄΩΝ. L. K. *Imperator togatus stans d. pateram supra aram; coram eo miles hastatus, pone imperatorem duo milites alii.* (Theup.)

Providentia deorum obvia in Romanis Commodi numis epigraphe.

* * *

ΡΩΜΑΙΟΝ. ΗΡΑΚΛЄΑ. L. ΛΓ. *Hercules stans d. poma Hesperidum, s. clavam coronatur ab adstante Victoria.* (Pellerin Mel. I. p. 230.)

Numus hic signatus extremo Commodi anno, quo is se *Herculem Romanum* in moneta R. palam professus est, unde et ab Alexandrinis hujus numi aversa petita. De Commodo Hercule vide numos Romanos.

* * *

ΩΚЄΑΝΟC. L. ς. *Fluvius decumbens d. arundinem, s. cornucopiae, et simul urnae innixus.* AE. II. (Pellerin Rec. III. p. 119.)

Hunc numum explicatum vide in prolegomenis cap. I. sub *Nilo.*

* * *

ΜΟΝΗΤΑ. L. - - *Moneta stolata stans d. bilancem, s. sceptrum, ante pedes acervus aeris.* AE. I. (Zoëga.)

Numus prepter epigraphes insolentiam memorandus, ceterum explicatione non eget.

* * *

Ad annos Commodi numis inscriptos progredimur, in cujus examine argumenti est operae pretium esse copiosiorem.

Anni illis contenti duplicis sunt generis, I. alii sunt auctiores, II. minuti alii.

---

a) De trib. pot. p. 121. b) Science des méd. T. II. p. 296.

Digitized by Google

I. Anni auctiores sunt inde a L. K. usque L. ΛΓ. cum omnibus mediis non magnopere raris, quorum omnes sunt in museo Caesareo, demptis L. ΛΓ. qui rarissimi, et quorum bini tantum mihi cogniti, alter ex museo Arigoni, alter ex museo Gravier indice Belleyo. Alium Pellerinianum eodem modo inscriptum testatur Zoëga. Cum ex historicis liquido constet, Commodi imperium nequaquam in annum K, nedum ΛΓ porrectum, cujus postremam trib. potestatem tam numi, quam marmora memorant XVIII., mirum jure visum antiquariis, in solis Aegypti numis Commodi imperium in hunc annorum numerum dilatari. Prodigium istud ut interpretarentur eruditi, procurarentque, omnes disciplinae suae artes in consilium adhibuere. Horum unus Toinardus sanxit, his annis non indicari annos imperii Commodi, sed vitae sibi succedentes. Harduini sententia fuit, constitutam in Aegypto aeram Aureliorum, cujus initium duceretur ab anno, quo M. Aurelius imperium adivit, continuatam postea in filio Commodo, cujus adeo aerae annus A esset primus M. Aurelii, et annus K primus Commodi. Baro Bimardus ad novam etiam aeram animum applicuit ductam ab eo anno, quo primum orbis duos simul Augustos vidit, Aurelium et Verum. Praetereo sententias alias, quae parum a prioribus discrepant.

Haec virorum praestantium judicia erudite, ut semper, impugnavit Belleyus in praeclara sua dissertatione, qua propter hanc eandem causam Alexandrinos Commodi numos in examen vocavit a). Argumentis veris solidisque, quibus adversas partes prostravit, ne longior sim, commemorandis abstineo. Suam continuo sententiam expedit, cujus summa est: consuevisse Aegyptios, cum imperator aliquis filium in imperii et Augustei nominis communionem vocavit, mortuo subinde patre nequaquam novam in filio annorum seriem inchoare, sed coeptos in patre annos, tanquam unum esset imperium, continuare. Ejus primum exemplum datum fuisse in Commodo, repetitumque subinde in Caracalla, Gallieno, Carino, Numeriano. Neque morem hunc Alexandriae solis monetariis placitum, nam et Theonem Alexandrinum in canone astronomico Aurelii et Commodi imperium junxisse, cum utrique tribueret annos XXXII. Μαρκ. και Κομοδ. λβ, tum et S. Clementem, hunc quoque Alexandrinum, scripsisse: Αντωνινος και Κομμοδος ἐτη λβ. Haec Belleyus et his plura. Et sane continuatos sub Commodo patris Aurelii annos nullo potest pacto in dubium vocari, et si quis dubitare velet, is diagramma chronologicum, quod infra subjiciam, consulat, quo patebit, annos in his numis sic esse digestos, ut tantum in hac sententia cum temporibus et factis Commodi possint convenire. Idem etiam dicendum de annis Caracallae, at non aeque necesse ad eandem legem recurrere ad explicandos annos Gallieni, tum Numeriani et Carini, ut in singulis patebit.

II. Praeter grandiores hos numeros

a) B. L. T. XXI. Mem. p. 465.

Digitized by Google

minutiores quoque alios in Commodi Aug. moneta reperias. Id genus habes cum L. A. B. Δ. Є. ς. Z. H. Θ. IA. IΓ. apud Arigonium, aliosque paucos. Novi, in Arigonii picturis saepe fidem et adcurationem desiderari, et forte in horum nonnullis peccatum scripto facile A pro Λ, vel Z pro KZ et similiter, at omnium fidem in tanto numero in dubium vocare iniquum foret. Ad haec in citato supra numo Pellerinii, auctoris sane gravis ac fidelis legitur: ΩKЄANOC. L. ς. Sed et Belleyus in laudata sua dissertatione citat numos similes cum L. A. Γ. Δ. H. ЄNATOT. Vt ergo certum est, exstare numos macris his annis notatos, ita mirum profecto, eorum nullum exstare in museis Caesareo, Theupoliano, Stoschiano, ac praeterea nullum horum visum oculatissimo Zoëgae, nam quos hujus generis descripsit, omnes ex aliorum fide recitavit.

His alterius naturae numeris indicari annos imperii Commodi solius, et a primo ejus anno post patris obitum ductos, indubitatum. Enimvero luce clarius istud demonstrat numus Arigonii quantivis pretii, qui unus utriusque naturae annos continet, superne L. KB. inferne L. Γ. typo Romae sedentis a). Vt ergo uterque hic numerus possit stare simul, necesse est, annum A duci a die XVII. Martii V. C. 933., quo obiit Aureliüs. Duravit is una cum anno K conjuncti imperii usque ad diem XXIX. Augusti ejusdem anni, quo coepit sociari L. B. cum L. KA. et circumacto Alexandrino hoc anno L. Γ. cum L. KB., quos ipsos praestantissimus hic numus sistit. Et vero non unicum istud exemplum est annorum, qui a duplice principio pendent, uni eidemque numo illatorum, nam idem alibi quoque fuisse in usu, vidimus in numis Ascalonis, Gazae, ac praecipue Antiochenis Syriae. Quae fuerit causa, cur in aliis Commodi numis notarentur anni imperii conjuncti, in aliis divulsi, ut difficile est adsequi, sic reperio, nequaquam istud nunc primum in Aegypto fuisse constitutum, nam ejusdem naturae exemplum offerunt numi Ptolemaei Philadelphi, in quorum aliis continuantur anni patris Soteris, in aliis etsi eadem aetate cusis solius Philadelphi anni exprimuntur.

Operae pretium visum, exhibere hoc loco diagramma chronologicum ex Commodi numis ductum, in nonnullis auctius illo, quod eodem consilio instruxit insignis Belleyus, ex que apparebit, non modo inscriptos Commodi annos utriusque calculi tam singulos, quam inter se collatos rite procedere, sed etiam, quae in iis ad historiam spectantia notantur, cum temporibus praeclare et immote connecti.

a) Tab. XV.

Digitized by Google

V. C.	P. X.	Numi Alexandrini a *Kal. Ian.*	a *Thot.*	
933.	180.	L. K. L. A.	L. KA. L. B.	M. Aurelius moritur XVII. Martii. Commodus solus imperat.
934.	181.	L. KA. L. B.	L. KB. L. Γ.	Hoc anno Commodus COS. III. unde processus consularis in numo KA. (Mus. Caes.)
935.	182.	L. KB. L. Γ.	L. KΓ. L. Δ.	
936.	183.	L. KΓ. L. Δ.	L. KΔ. L. Є.	ΤΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ. L. KΓ. *Iuppiter sedens.* (Mus. Caes.) Hoc anno Commodus processit COS. IV. M. A. KO. ANTΩ. CЄB. ЄTCЄB. in numis cum L. KΔ. recte secundum numos Romanos, ex quibus titulum *Pii* labente hoc anno adoptatum discimus.
937.	184.	L. KΔ. L. Є.	L. KЄ. L. ς.	Exeunte hoc anno ex victoriis Britannicis dicitur BRITannicus, et IMP. Hinc Victoria in quadrigis in numis cum L. KЄ. et Kς. (Mus. Caes.)
938.	185.	L. KЄ. L. ς.	L. Kς. L. Z.	
939.	186.	L. Kς. L. Z.	L. KZ. L. H.	ΠЄPIOΔος ΔЄKAЄTηρις L. KZ. intra lauream. (Mus. Caes.) id est: *periodus decennalis*, nimirum a tempore, quo dictus Augustus. Eodem hoc anno numi Romani *vota soluta decennalia* praedicant. Vide etiam numos Alexandri Sev.
940.	187.	L. KZ. L. H.	L. KH. L. Θ.	
941.	188.	L. KH. L. Θ.	L. KΘ. L. I.	
942.	189.	L. KΘ. L. I.	L. Λ. L. IA.	
943.	190.	L. Λ. L. IA.	L. ΛA. L. IB.	
944.	191.	L. ΛA. L. IB.	L. ΛB. L. IΓ.	Λ. AIΛ. ATP. KOM. CЄ. ЄTCЄ. ЄTTTχης. in numis cum L. ΛB. Exeunte eodem hoc in Romanis scribi incipit: L. AEL. AVR. COMM. AVG. PIVS. FELIX.
945.	192.	L. ΛB. L. IΓ.	L. ΛΓ. L IΔ.	Hoc anno Commodus caeditur pridie Kal. Ian.

Digitized by Google

CRISPINA.

Commodi uxor. Ejus numi hujus classis rarissimi.

ΚΡΙCΠΙΝΑ. CЄΒ. ΑΤΤ. ΚΟΜΜΟΔΟΤ. CЄΒ. *Ejus caput.* ☧ L. ΙΘ. *Typus Aequitatis.* AE. III. (Mus. S. Floriani.) L. K. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 231.) L. KA. *Typus Spei vel Fortunae.* AE. II. (Theup.) L. KB. *Providentia stans.* AE. I. (Zoëga.)

PERTINAX.

Ejus numi rarissimi.

ΑΤΤ. ΚΑΙ. Π. ЄΛΟΥΙΟC. ΠЄΡΤΙΝΑΞ. CЄ. *Caput laur.* ☧ ΟΜΟΝΟΙΑ. L. A. *Mulier stans d. elata, s. duplex cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.) In alio: L. A. *Aequitas stans.* AE. (Vaill. num. Graec.) ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘЄΩΝ. L. A. *Mulier stans utramque manum versus globum in area pendulum attolit.* AR. Quem numum nuper Godefridus Lipsius Dresdae ex museo Ser. Electoris profusis commentariis illustratum edidit, cum tamen aliud non offerat, quam quod pridem ex ejus numis Romanis, inscriptis: PROVID. DEOR. constabat.

TITIANA.

Pertinacis uxor. Ejus quoque numi perrari.

ΤΙΤΙΑΝΗ. CЄΒΑCΤΗ. *Ejus caput.* ☧ L. A. *Victoria gradiens praegrandem lauream praefert.* AE. II. (Morelli Spec. Tab. XVII.) In alio: *Navis cum velo.* AE. II. (Vaill. num. Graec.) In alio: *Ceres stans d. spicas, s. facem.* (Stosch.)

DID. IVLIANVS. *et* PESCENNIVS.

Did. Iuliani numos hujus classis non habemus, neque istud mirum, nam mox intellecto, imperium ab eo arreptum, legiones Syriae Pescennium suum mundinatori orbis opposuere. Syriae exemplum secuta Aegyptus, et tamen neque Pescennii nomine numus Alexandrinus cognitus, et omnes id genus, qui circumferuntur, a peritis reprobatos constat. Certe teste Belleyo locupletissima Lutetiae musea probae notae nullum continent [a]). Tamen quod fortuna hactenus negavit omnibus, sibi oblatum credidit eruditus abbas Sestinus, qui utriusque numos edidit [b]), quos hic sisto:

ΑΤΤ. Κ. ΔΙΔ. ΙΟΥΛΙΑΝ. ЄΥC. *Caput laur.* ☧ L. A. *Mulier tutulata sedens d. temonem, s. cornucopiae.* Pot. 2.

Α. ΚΑΙ. ΠЄ. ΟΥ. ΝΙΓΡΟC. ЄΥC. *Caput laur.* ☧ L. B. *Sarapis sedens.* Pot. 2.

ΑΥΤ. Κ. ΠЄCΚ. ΝЄΙΓΡΟC. C. *Caput laur.* ☧ ΣΑΡΑ -- *Idem typus.* Pot. 2.

Quid in priore Pescennii numo significent literae ΟΥ, non assequor. Ceterum ut nequaquam in ἀδυνάτοις putandum, potuisse a viro erudito conspici numos tres duorum Augustorum, quorum in hac classe ne unus quidem ab omnibus conspectus est, atque istud in Pescennio tanto minus, quia is teste

a) B. L. T. XXI. Mem. p. 479. b) Lettere T. IV. p. 131.

Digitized by Google

Victore Schotti Aegyptum tenuit, quin teste Spartiano in metu fuit Severus, ne is per Aegyptum et Lybiam Africam invaderet, tamen cum in hoc ejus viri opere observaverim alios fidei plus quam suspectae, vereor, ne in hac utriusque hujus Augusti numos imitandi licentia hi quoque ipsi fatalem falsarii manum sint experti, quae partem numorum anticam corruperit. Vide, quae infra ad numos Achillei monebo. Adde, hos seu Iuliani, seu Pescennii numos suspectos videri etiam propterea, quod uterque in iis fertur ЄTCєβης, *Pius*, quo utrumque nomine usum nullus praeterea alius numus docet.

SEVERVS.

Mirum sane, tanti imperii, quod in annum XIX. duravit, tam paucos exstare numos commatis Alexandrini, etsi idem ad sequentia quoque imperia valeat usque ad Elagabalum.

Annos reperio: B. Γ. Δ. Є. ς. (Arigoni, Theup. Mus. S. Floriani.) In eorum typis nihil novi.

DOMNA.

Cum rarissimi sint numi mariti, uxorii parabiles esse non possunt.

IOTΛIA. ΔOMNA. CЄB. *Ejus caput.* Ɪ L. B. Є. H. IB. IΓ. *Typis obviis.* AE. II. (Arigoni, Stosch, Zoëga.)

Vt Romae, sic et Alexandriae per duplex imperium, mariti, et filii, poterant Domnae numi feriri. Citati numi Severi imperio tribuendi videntur.

Insignem alium editum reperio a Pellerinio: (Mel. I. tab. XV.)

IOTΛIA. ΔOMNA. CЄBAC - - - Ɪ L. H. *Mulier sedens ante aram s. tenet caput Sarapidis, pone super columella Canopus cum capite Isidis.* AE. I.

Alter magis illustris ex museo Com. Vitzai.

IOTΛIA. ΔOMNA. CЄB. MHT. CЄB - - - Ɪ L. KB. *Cybele sedens inter duos leones d. extenta - - -, s. tympano innixa.* AE. I.

Annus KB probat, numum signatum imperante Caracalla, quem vide.

CARACALLA.

Admodum raros esse hujus quoque Augusti numos Alexandrinos, testari ipse possum, qui ejus generis Vindobonae nullum novi, quem illi tuto tribuas. Rarissimos etiam iterato appellat Belleyus, cujus ego unius testimonium plerisque aliis longe antefero, cuique omnia urbis suae cimeliarchia patuere a). Tamen eorum numerum bene auctum video proponi in museis Theupoli, Arigonii, Stoschii, utrum jure, an injuria, lubet paucis disputare.

Anni minuti Caracallae numis inscripti possunt duplex exordium admittere, aut Severi, si hoc imperante cusi sunt, aut ejus ipsius inde a patris obitu. Secundum Alexandrinorum calculum coepit Severi L. A. seu annus primus ineunte Iunio V. C. 946., quo tempore agnitus est imperator. Novi, Aegyptum toto hoc anno primo, et majore

a) B. L. T. XXI. Mem. p. 480. 401.

Digitized by Google

parte anni II. seu L. B. in Pescennii fuisse potestate, quo adeo verisimile videri posset, Alexandrinos tempus, quo Pescennium dominum agnoverunt, in Severi annis non numerasse. Verum istud non facile permisero. Quis enim credat, fuso fugatoque Pescennio ausuros fuisse Alexandrinos, eripere illud tempus Severo, tanquam agnoscerent adhuc Pescennium suum nuper principem, eumque jure fuisse imperatorem, quem Severus, quem S. P. Q. R. continuo imperii hostem judicavere? Facile credam, intra istud tempus numos, cum Severi capite signatos non fuisse, ut neque ejus numos habemus L. A. notatos, et haud dubie interea cusos cum imagine Pescennii, sed qui ad nos non pervenere; attamen certissimum videtur, Alexandrinos dejecto aemulo deinceps Severi urbisque judicium secutos. Ergo necesse est, ex horum computu Severi annum A coepisse, ut dixi, ineunte Iunio V. C. 946. P. X. 193., et in proximo Thot ejusdem anni fixum annum B.

His constitutis quaeritur, a cujus imperii exordio ducendi sint in Caracallae numis anni minuti A. B. Γ. Δ. Ε., an Severi, an ipsius Caracallae? Ipsa historia docet, minutos hos numeros a Severi exordio arcendos. Quotquot cum his numeris numos promulgatos video, omnes Augusti titulum Caracallae tribuunt. Secundum Alexandrinos annus V. Severi, seu L. Ε., exivit in Thot V. C. 950., at Caracalla nonnisi anno sequente, seu labente L. ϛ. Augusti titulum abstulit. Multo adhuc minus Severi exordium ferunt numi ii, qui cum gracili numero Caracallam ЄTCєβη, *Pium*, appellant. Hoc nomine donatus fuit V. C. 954., cum quo anno Alexandrini copularunt annum Severi X. seu L. I. An ergo, quod unum restat, anni hi ducendi sunt ab imperio Caracallae? tum enim neque obturbabunt anni minuti, neque nomen Pii. Hoc equidem arbitrium in me non recipio, verum arbitretur quivis, cui numi similes praesto sunt. Sin in illis caput videris magis virile et barbatum, certus esto, ducendos annos ab imperio non Severi, sed ejus ipsius, nam primis Severi annis Caracallam puerum novimus. Sin caput est juvenilius ac prorsus imberbe, a neutro poterunt exordio duci, non a Severi, nam, ut dixi, Caracalla tum Augustus nondum fuit, non a Caracallae ipsius, quia hic jam tum spissam barbam aluit, et, quod sequitur, numi similes omnes, qui et caput imberbe, et annos minutos exhibent, adimendi sunt Caracallae, et restituendi Elagabalo, qui, praecipue in numis peregrinis, communem saepe cum Caracalla capitis habuit epigraphen, tum faciem juvenilem, et annos minutos a L. A. usque L. Ε. Hoc discrimen cum olim non rite expenderem, in catalogo musei Caesarei Caracallae tribui numos tres, in quibus sese offerunt caput juvenile, et anni Γ et Δ, tum et oris lineamenta Caracallam, ut putabam, referentia, sed quod judicium in hujus et Elagabali numis, praecipue qui commatis peregrini sunt, saepissime fallax est. Quod mihi accidit non indiligenti, sed catalogorum praeconiis tum nimium fiso, an non accidere idem

Digitized by Google

potuit aliis ejusdem operae sociis, et plerumque non magis adcuratis et attentis? quae causa est, cur tot nobis Caracallas obtrudant catalogi, quos lex critica plerosque Elagabalo vindicat.

Qui ex macris his numeris annum 6 excedunt, Elagabali esse non possunt, cujus is fuit annus postremus. Nequaquam otiosum, numos annis hunc consequentibus notatos, et Caracallae adscriptos secundis curis examinare.

L. ς. *Protome Nili.* (Arigoni tab. XVII.)

L. Z. *Aquila alis expansis, in cujus unguibus corona.* (Theup.)

L. IΔ. *Trapaeum, ad cujus imum duo captivi sedentes, ad latus palmae ramus.* (Theupoli.)

Hi ergo numi diserte Caracallae tribuuntur, me tamen non continuo subscribente. Numus alter cum L. Z., et eodem omnino typo, est etiam in museo Caesareo, verum pars antica nullatenus caput Caracallae, sed Gordiani sistit. Ergo verisimile, peccatum in lectione per aevum adrosa. Numum tertium cum L. IΔ. non esse Caracallae, sed Alexandri, quovis pignore certem. In hujus enim numis idem annus eidem omnino typo adstituitur a), stabiliente cumprimis judicium meum ramo palmae, qui sub Alexandro demum, non antea, sigilli solitarii modo aversam insidet, ut dicetur. Eversa utriusque hujus numi fide licebit, opinor, suspicari, priorem quoque numum cum L. ς. alterius cujuspiam esse imperatoris, et ut paucis totam causam complectar, nullum hactenus novi certum hujus classis Caracallae numum, nisi cum numeris anctis, quos continuo describam. Sane neque numi similes cl. Zoëgae conspecti sunt.

Certi ergo Caracallae numi sunt, et omnes I. formae:

ATT. K. M. ATP. CЄT. ANTONINOC. ЄTC. CЄB. BPIT. *Caput barbatum laur.* ☧ L. KA. *Sarapis stans coronat imperatorem adstantem paludatum cum hasta.* AE. I. (Pellerin Mel. I. tab. XV.) In alio: *Fortuna in lectisternio.* AE. I. (Theup.) In alio: *Imperator in quadrigis, e regione caput Sarapidis.* AE. I. (Zoëga.)

L. KB. *Spes gradiens.* AE. I. (Zoëga.)

Anni hi in illustribus his numis certe ducuntur ab annis imperantis Severi continuatis. Dixi supra, Severi annum A coepisse ineunte Iunio V. C. 946., ergo annus KA coepit initio mensis Thot V. C. 965, qui fuit annus alter imperantis Caracallae post patris obitum. De annis patris a filio continuatis vide quae diximus in Commodo.

GЄTA.

Ejus numum hujus classis unum memorari video in museo Theupoli, et binos in catalogo MS. musei Stosch, qui tres conspirant omnes, seu partem anticam spectes, in qua: Π. CЄΠTIMIOC. ΓЄTAC. ĶAICAP. *Caput nudum*, seu typum aversae, qui est tritus in Alexandrinis praecipue III. formae, nempe *serpens erectus inter caduceum, et sistrum*, seu modulum, qui est III. for-

a) Arigoni tab. XXI. n. 361.

Digitized by Google

mae. Annum, ut apparet exesum, Theupolianus non habet, sed Stoschianus uterque L. B., sed haud dubie mendosum; neque enim aut principio patris Severi, aut fratris Caracallae potest illigari; non Severi, nam hujus annus A coepit V. C. 946., at Geta anno primum 951. seu labente apud Alexandrinos anno Severi VI. dictus est Caesar. Non Caracallae; nam Getam pater biennio ante mortem Augustum dixit, at numi citati eum et Caesarem appellant, et per caput nudum faciunt. Forte in his numis scriptum L. IB., aut erravit monetarius, aut si haec displicent, reforma historiam Romanam. Sane cl. Zoëga certum Alexandrinum hujus Caesaris nusquam ipse vidit, neque istud mirum, cum neque certum Caracallae vivo patre signatum habeamus.

MACRINVS, DIADVMENIANVS.

Macrini numos citatos reperio in museis Arigonii, Parmensi, et Harduini historia Aug. Binos adjecit Zoëga ex museis sibi cognitis. Diadumeniani ex unico Mauroceno vulgatūm video. Anni tribuuntur A et B. Plures fatum utrique invidit. Typi sunt obvii.

ELAGABALVS.

Ejus pro curto imperio numi copiosi, praecipue si eos huc revoces, quos in catalogis perperam Caracallae tributos videas, ut in hoc notavi. In typis non morabor, quod hi nihil eximium, aut hactenus ignotum offerunt.

Annos habemus a L. A. usque L. Є. facili ex Alexandrinorum lege calculo, nam imperium adeptus est VIII. Iunii V. C. 971., illo excidit XI. Martii 975.

IVLIA CORNELIA PAVLA.

Prima Elagabali uxor. Ejus numi proditi cum annis Γ. et Δ. (Vaill. Harduin hist. Aug.) Horum rationem damus in ejus Augustae moneta Romana. Typi veteris argumenti.

IVLIA AQVILIA SEVERA.

Altera Elagabali uxor. Epigraphe: ΙΟΥΛΙΑ. ΑΚΥΛΙΑ. CЄΥΗΡΑ. CЄΒ. L. Δ. vel Є. Ad explicandos hos annos adhibe, quae olim in hujus Augustae moneta Romana docebimus.

ANNIA FAVSTINA.

Tertia Elagabali uxor. In hujus numis tantum hactenus comparuit L. Є. Annum Δ Zoëga ex museo Ainsley addidit.

IVLIA SOAEMIAS.

Mater Elagabali. In omnes Elagabali annos jus habet, hucusque tamen editi tantum Γ. Δ. Є. (Arigoni, Theup.) Ejus aeneum I. formae, quae rara est hac aetate, edidit Pellerinius cum L. Δ. (Mel. I. tab. XXIV.)

IVLIA MAESA.

Elagabali avia. Huic quoque, ut Soaemiadi, omnes Elagabali anni competunt. Reperti hactenus B. Γ. Δ. Є.

Digitized by Google

(Arigoni, Theup.) Inscriptio capitis: IOTΛIA. MAICA. CЄBACTH. addito in aliis: MHTηρ CTPAτοπεδω, *Mater castrorum*, nunc primum Augustae in Alexandrinis tributum, sed deinceps etiam Mamaeae et Otaciliae. Ejus causam tituli vide in numis Romanis Domnae.

ALEXANDER.

Huic principi insignem numorum copiam dicavit Aegyptus. Horum alii sunt Alexandri *Caesaris*, alii *Augusti*.

Alexander Caesar.

MAP. ATP. AΛЄΞANΔPOC. KAICAP. *Caput nudum.* Ϫ L. Є. *variis typis.* AR.

Hic annus Є postremus est Elagabali, quo labente hic Alexandrum consobrinum adoptavit, Caesaremque dixit.

Alexander Augustus.

A. KAI. MAP. ATP. CЄTHP. AΛЄZANΔPOC. *Caput laureatum.*

Valuit haec epigraphe usque in annum Δ, quo labente successit:

A. KAI. M. ATP. CЄOTHP. AΛЄZANΔPOC. ЄTCЄB. vel: ЄTC. CЄB. vel similiter.

Inseri nempe tum *Pii* nomen coepit, quod in moneta R. raro factum ante trib. potestatem X., ut in hac dicetur.

Typi offerunt numina Aegypti, vel Romae, vel symbolica. Illustriores sunt:

L. I. *Protome juvenilis, cujus caput redimitum est filo, et ornatum modio; hinc caduceus, ex quo palmae ramus adsurgit, inde palmae ramus.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

In numis imperatorum praecedentium saepe videmus Mercurium stantem, s. oblongam palmae ramum tenentem, non raro cane pro pedibus adcubante. Et suadent attributa, ejus ipsius imaginem hac quoque protome propositam.

* * *

ΠЄPIOΔOC. ΔЄKATH. *intra lauream.* AR. (Mus. Stosch.) *Alius similis, sed cum capite Mamaeae.* AR. (Pellerin Mel. I. tab. XIII.)

Binas habemus vocabuli ΠЄPIOΔOΣ in numis Alexandrinis significationes; una seriem annorum plurium complectitur, sic: ΠЄPIOΔOC. ΔЄKAЄTηρις, *periodus decennalis*, in numo Commodi, quorsum etiam referri potest ΔЄKAЄTHPIC. KTPIOT. in numo Gallieni. Indicatur deinde etiam anni unius conversio, ut in praesentibus ΠЄPIOΔOC. ΔЄKATH, quod sane idem valet, ac solitum L. ΔЄKATOT., quam ejus vocabuli significationem jam vidit Harduinus, etsi in epigraphe male lecta [a]). Eusebius agens de votis tricennalibus Constantini M. tricennale istud tempus vocat τριακονταετηρικους χρονους, et τρεις ἐν δεκασι περιοδους [b]).

Alexandro imperante aliquid in typis aversae innovatum, palmae ramo in illius aream illato, cujus ego sequentem legem observo. Non comparet is in numis a L. A, usque Θ. At qui L. I.

a) Num. Herodiad. ad ann. Chr. 18. b) Orat. de laudib. Const. M. cap. VI.

Digitized by Google

inscribunt, et reliqui deinceps Alexandri omnes palmae ramum nunquam omittunt, et neque tum, cum jam adest alter palmae ramus gestatus sive a Victoria, sive Mercurio. Eadem lex obtinuit in synchronis Mamaeae numis. Quid eo significare voluerint monetarii, conabor explicare in numis Gallieni, qui idem phaenomenon atque eadem fere lege objiciunt.

* * *

Anni reperiuntur a L. A. usque L. IΔ. cum mediis omnibus, dempto Θ, quem nondum reperi. Quam bene hi anni sese imperio Alexandri adcommodent, sic ut annus IЄ locum amplius habere non posset, disputabimus in numis ejus Romanis.

ORBIANA.

Alexandri uxor. Ejus numi rarissimi, inscripti: ΓN. CЄI. ЄPЄ. CAΛΛ. BAPB. OPBIANH. CЄB. de quo nominum cumulo agetur in numis ejus Romanis.

Annos adverti B. (Mus. S. Florian.) Є et ς apud Pellerinium. (Mel. I. tab. XV.) Haymium. (Th. Br. T. II. p. 352.) et Arigonium.

MAMAEA.

Alexandri mater. Epigraphe in his numis: IOTλια MAMAIA. CЄBαςη MHTηρ CЄBαςου Και CTPAτοπεδου, aut similiter. *Matrem castrorum* jam vidimus Maesam, et videbimus Otaciliam. Eodem modo Etruscilla in marmore Muratorii dicitur: MATER. AVGG. NN. ET. CASTRORVM [a]).

Typus illustrior; L. I. *Nilus in hippopotamo equitans d. spicas, s. cornucopiae, pone ramus palmae.* AE. I. (Pellerin Mel. I. tab. XV.)

De hoc typo egi in prolegomenis cap. I. ad numos *Nili.*

Habet Mamaea annos cum filio communes.

MAXIMINVS.

Ejus numi perfrequentes, sed nullo illustri typo.

Anni existunt a L. A. usque L. Δ. Annum A. coepisse ante Thot V. C. 988., demonstrabo in numis Alexandri Severi commatis R.

MAXIMVS CAESAR.

Maximini F. Epigraphe: Γ. IOTΛ. OTHP. MAZIMOC. KAI. *Caput nudum.* Typorum argumenta trita.

Anni inscripti paternorum legem sequuntur.

GORDIANVS. I. PATER, *et* II. FILIVS, AFRICANI.

In horum numis raris epigraphe:

A. K. M. AN. ΓOPΔIANOC. AΦP. ЄT. CЄ. vel:

A. K. M. AN. ΓOPΔIANOC. CЄM. AΦP. ЄT. CЄB.

Nomina ac titulos, praecipue insolentiorem CЄMνυ, *Venerabilis*, explicabimus in eorum numis Latinis. Qui

a) pag. 1036. 4.

Digitized by Google

hanc addunt, verisimile est, esse patris, qui eum omittunt, filii. Vtriusque generis numi sunt in museo Caesareo typis *Nili jacentis*, *solis*, *aquilae*.

Annus in his solus A.

BALBINVS, PVPIENVS.

Imperio tribus mensibus praefuere:

BALBINI numi inscribuntur:

A. K. ΔЄK. KAIΛ. BAΛBINOC. CЄB. (Patin Impp.)

A. K. ΔЄK. K. AN. BAΛBINOC. CЄB. (Mus. Caes.)

PVPIENI:

A. K. M. KΛWΔ. ΠOTΠIHNOC. ATΓ. (Mus. Caes.)

A. K. M. KΛW. ΠOTΠIHNOC. ЄT. C. (Mus. Caes.)

A. K. M. KΛW. ΠOTΠ. MAΞIMOC. CЄB. (Pellerin Mel. I. tab. XIII.)

De nominibus agetur in numis Romanis.

L. A. solum in iis occurrit.

GORDIANVS III.

Numos habemus Gordiani *Caesaris* et *Augusti*.

Gordianus Caesar.

M. ANT. ΓOPΔIANOC. KAICAP. *Caput nudum.* L. A. *Pallas stans, vel Aquila.* (Arigoni, Patin Impp. p. 289.)

Annus A ad imperium Balbini et Pupieni pertinet.

Gordianus Augustus.

Typi vetera argumenta sequuntur.

Annus primus occurrit A. teste Harduino, (Hist. Aug.) et museo Mauroceno. Post medios alios agmen claudit L. Z. testibus opulentis museis Caesareo, Arigonii, Stoschii, neque plures admittit historia chronologica Gordiani. Perperam igitur auctor musei Theupoli addit L. H. et Θ. et quod magis mirum, in numis uxoris Tranquillinae etiam L. IΔ., quod abnorme peccatum perstringetur in numis Romanis Gordiani.

TRANQVILLINA.

Gordiani uxor. Ejus numi rari, ceterum in omnibus cum moneta mariti conspirant.

PHILIPPVS PATER.

Ejus numi, et in his typi obvii. Epigraphe: A. K. M. IOT. ΦIΛIΠΠOC. ЄT. CЄB. aut similiter.

Anni a L. A. usque Z., qui postremus rarior; unum eum hoc anno exhibet Arigonius, Panelius [a], Stosch, unum item conjugis Otaciliae Patinus ex thesauro Mauroceni, et binos Stoschius. Qua ratione hic annus VII. possit imperio Philippi convenire, disputabitur in numis Romanis.

---

a) de numo Treboniani.

Digitized by Google

OTACILIA SEVERA.

Philippi uxor. Epigraphe in ejus numis triplex:

M. ΩTAK. CЄOΘHPA. CЄB. in numis cum L. A. (Panel de num. Trebon.).

M. ΩT. CЄOΘHPA. CЄ. M. CTPA. *M. Otacilia Severa Aug. mater castrorum.* Obtinuit haec epigraphe in numis cum annis B. Γ. Δ.

M. ΩT. CЄOΘHPA. CЄ. M. CЄB. *M. Otacilia Severa Aug. Mater Augusti.* Obtinuit haec forte jam in numis cum L. Δ. certe deinde in numis cum L. Є. ς. Z. Nimirum anni Alexandrini Δ et Є occuparunt singuli partem anni V. C. 1000., quo Philippus filius dictus est Augustus, ex quo ergo Otacilia omisso *Matris castrorum* titulo se deinceps vocavit *Matrem Augusti* more Mamaeae, nisi quod haec utrumque titulum in uno eodemque numo conjunxit. Pellerinius numum similem cum L. ς. edidit [a]), sed cum hac epigraphe: M. ΩT. CЄOΘHPA. CЄM. CЄB. Quare ex vetere Spanhemii sententia verisimile putat, Otaciliam perinde habuisse nomen CЄMnς, *Venerabilis*, atque Gordianum Africanum. At enim vocabula haec non sic punctis sunt distinguenda, ut legendum sit CЄM. CЄB., sed, ut dixi, CЄ. M. CЄB. analoge ad priorem epigraphes modum: CЄ. M. CTPA. In hujus aetatis numis Alexandrinis nulla puncta vocabulorum limites definiunt, quae tamen Pellerinius in iconismis suis inter verborum interstitia solerter collocat, malo istud consilio, non modo quod veritati fit injuria, sed etiam quod in fraudem inducit, ut sane hoc loco factum. *Mater castrorum* dicitur Otacilia etiam in marmore apud Sponium [b]), et Donatum [c]).

PHILIPPVS FILIVS.

Et typorum, et annorum modum cum patre communem habuit, sed numi eum partim *Caesarem*, partem *Augustum* sistant.

Philippus Caesar.

M. IOT. ΦIΛIΠΠOC. K. CЄB. vel: KC. *Caput nudum.* Talis proponitur per annos A. B. Γ. Δ. (Mus. Caes. Theup.)

Philippus Augustus.

A. K. M. IOT. ΦIΛIΠΠOC. ЄTC. *Caput laureatum.* Anni in his: Δ. Є. ς. (Mus. Caes. Stosch.)

Philippum nostrum cum anno Δ et Caesarem habemus, et Augustum. Inivit annus Δ in Thot V. C 999., quo anno Alexandrino labente, V. C. 1000., eum pater sibi collegam adscivit, ut probabimus in numis Romanis. Verum quid titulus CЄBαςς in ejus adhuc Caesaris numis? Istud sane jure objicitur. At, ajo, cur in numis Alexandrinis Salonini, qui Caesar tantum fuit, similiter scriptum legitur: Π. ΛIK. KOP. OTΛΛЄPIANOC. KAIC. CЄB.? tamet-

a) Mel. I. tab. XIII. n. 13. b) Misc. p. 98. c) ad Thes. Murat. p. 146. 4.

Digitized by Google

et Alexandri: ΠΕΡΙΟΔΟC. ΔΕΚΑΤΗ. et refertur ad vota decennalia Gallieni.

* * *

Huc distuli examen de palmae ramo in area partis aversae pluriam numerum posito. Dixi supra in moneta Alexandri, hunc palmae ramum ante Alexandri imperium non observari, sub hoc demum aversam invadere, sed primum in numis cum L. I., et deinceps constanter iis insertum, atque etiam tum, cum in aversa jam exstat figura palmae ramum tenens, velut Victoria. Abest deinde ex numis omnibus usque ad Gallienum, atque etiam in hujus numis non comparet ante L. I., sed minore in his religione, quam in numis Alexandri; nam per annos I. et IA. stationem, ut lubet, deserit, quam deinceps inde a L. IB. usque ad Gallieni exitum constanter retinet, nisi forte aut Victoria aut aquila adjunctum jam palmae ramum habent. Idem et eadem lege offerunt numi uxoris Saloninae. Inde a Gallieno ramus hic ex moneta Alexandrina exulat, rediturus iterum sub Diocletiano, sed in hoc quoque inde a L. I., fastidito quovis anno anteriore. Cum ergo perpetua lege videamus, dictum ramum anno primum X. pullulare, necesse est, eum non ἀδιαφόρως, sed ex certa aliqua causa sic numis insertum. Nullatenus dubitem, renovatam hoc sigillo quotannis memoriam votorum decennalium feliciter solutorum, quae communi per totum imperium religione celebrari mos fuit. Nam si aliud significat, cur in tot aliorum imperatorum numis, Maximini, Gordiani, Philipporum, Decii etc. non comparet? cujus sane alia causa non est, quam quod his omnibus non contigit, ut votorum decennalium licuisset solennia solvere. At, inquies, quid palmae ramo cum votis decennalibus? Expediam. Constat ex copiosis numis Romanis, in his votorum solennibus aliquas Victoriae fuisse partes, sive ex instituto ritu sacro, sive sensu quopiam allegorico. Exstant numi Commodi anni V. C. 938., in quibus Victoria clypeo super palmae trunco posito inscribit VO. DE. id est: VO*ta* DE*cennalia*. In numis Caracallae V. C. 970. Victoria armis insidens clypeum tenet, cui inscriptum VOT. XX. Praetereo ejus generis innumera exempla alia, ac praecipue inferioris aevi aureos, in quibus fere unicus typus Victoria clypeum tenens cum votorum mentione. Horum ergo votorum ut perennis exstaret memoria, Alexandrini palmae ramum, uni fere Victoriae proprium attributum, inde a tempore peractorum decennalium monetae suae sedulo intulerunt. Antequam hinc abeo, monendus lector, secundum varios catalogos hunc ramum jam cum annis B. Δ. H. etc. copulari. Sed horum velim praeconiis diffidas, et potuit viris eruditis idem accidere, quod mihi, qui in catalogo musei Caesarei Gallieni numum promulgaveram cum L. Γ. adstituto palmae ramo, sed qui secundo a me inspectus non gravate L. IΓ. professus est. Addo numum Domitianni tyranni, in quo hic ramus cum L. B. jungitur. Verum in hoc nume plura alia sunt, quae ritum monetae Alexandrinae infringunt, ut mox patebit.

* * *

Anni in Gallieni numis praedicantur

Digitized by Google

inde a L. A. usque L. IC. Vnicum Zoëga cum L. I5. ex museo regis Galliarum recitavit.

SALONINA.

Gallieni uxor. Ejus numi frequentes, et omnes ex lege mariti.

SALONINVS.

Gallieni filius. Ejus numi rari. Epigraphe: Η. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. ΚΑΙC. CЄΒ. aut similiter, de quo addito *Augusti* titulo multa disputabo in numis ejus Romanis. Anni in his hactenus comperti B. Γ. Δ. Є. ς. Ζ.

VALERIANVS IVNIOR.

Gallieni frater. Numos omnes, hucusque Valeriano huic tributos, esse Salonini, in ejus numis Romanis docebo.

MACRIANVS IVNIOR.

Filius Macriani senioris, qui capto a Persis Valeriano ab exercitu imperator Gallieno oppositus est. Patris numos certos non habemus, sed filiorum non paucos, atque inter hos justo numero Alexandriae cusos.

A. K. T. Φ. IOTN. MAKPIANOC. Є. CЄΒ. in alio apud Banduriam: A. K. MA. ΦOT. MAKPIANOC. CЄΒ. In his notatur L. A. et B., quae omnia explicata vide in numis Romanis Macrianorum.

QVIETVS.

Macriani senioris filius alter, cujus numi Alexandrini perrari.

A. K. Γ. ΦOTΛ. KOΘHTOC. Є. CЄΒ. cum L. A. Reliqua huc pertinentia vide in numis Romanis.

DOMITIANVS *tyrannus.*

Binos Domitianos Aegypti tyrannos statuunt numi, unum, qui imperante Diocletiano aut successoribus defecit, cujus habemus numos Alexandrinos, sed Latine inscriptos, alterum priorem, cujus habemus Alexandrinos Graece loquentes, qui forte idem est cum celebri Macrianorum victore teste Trebellio. Sed de hoc vide plura in numis Impp. Romani commatis post monetam Gal. Maximiani. Hoc loco hujus tantum argumenti numos describam.

ΔOMITIANOC. CЄΒ. *Caput radiatum.* Ɪ L. B. *Sarapis gradiens d. elata, s. hastam transversam, pone palmae ramus.* AE. III. (Theup. Pellerin Mel. I. p. 235.) In alio: *Victoria.* (Beauvais, Bimard ad Iobert. T. II. p. 57.)

Hi numi secundum plures partes a modo monetae Alexandrinae differunt, I. quod caput fingitur radiatum, quem cultum inde a Nerone nulli aut Augusto, aut Caesari in his numis tribui video. II. Quod Sarapis fingitur gradiens, qui in aliis quietus stat. III. Quod cum anno B. palmae ramum conjungit, quod esse contra morem vidimus supra in numis Gallieni.

Digitized by Google

PISO, VALENS.

Vterque per temporarium Macrianorum imperium purpuram in Graecia arripuit. Eorum numos hujus argumenti cum L. A. edidit unus Occo, ex quo eos descripsit Bandurius. Exspecto praeconem magis idoneum.

ALEXANDER AEMILIANVS.

Sub Gallieno tyrannus in Aegypto. Quae sit mea de hujus numis Alexandrinis sententia, vide in numis Romanis.

CELSVS, SATVRNINVS.

Vtriusque numi L. A. vel Δ. inscripti merx Goltziana vel Occoniana, quo etiam loco habeo numos *HERODIANI* et *MAEONII* ex eadem penu depromptos.

CLAVDIVS *Gothicus*

Ejus numi Alexandrini per copiam viles. Insignem ejus aenaeum I. formae vulgavit Pellerinius [a]), et qui forte hujus classis postremus est cum hoc modulo. Typi in his, ut per omne istud aevum, triti cum annis A. B. Γ. Dubia de anno Δ a nonnullis prodito vide in numis Claudii commatis Romani.

QVINTILLVS.

Claudii frater, et in imperio, sed brevis aevi, successor, cujus numum cum L. A. recitabimus in numis Romanis.

AVRELIANVS.

Ejus numi obvii inscripti:

ATT. K. Λ. ΔOM. ATPHAIANOC. CЄB. vel similiter.

Anni sunt inde a L. A. usque L. ς., de quorum calculo vide, quae dicentur in numis Romanis.

* * *

Numos hujus classis Aureliani, in quorum aversa est caput *Vaballathi*, tum et *Athenodori*, et *Zenobiae*, quaere in moneta principum Palmyrenorum, quam Aureliani monetae commatis R. subjiciam.

SEVERINA.

Aureliani uxor.

OTΛΠ. CЄTHPINA. CЄB.

Anni certi: ЄTOTC. ς. et Z. Si fides Arigonio, habuit in suis etiam L. A. et L. B. Reliqua huc pertinentia vide in numis Aureliani Romanis.

M. FIRMVS.

Tyrannus Aegypti imperante Aureliano, et ab hoc sublatus. Ejus numum a Goltzio editum non moror. At video, ejus alium memorari in museo Pembrock: ATT. M. ΦIPMIOC. ЄTIC. *Caput laur.* ✠ L. A. *Mulier sedens d. spicas, s. cornucopiae.* Part. III. tab. 29.) de cujus numi fide judicent, qui viderunt. Hujus tyranni nomine signa-

a) Mel. I. tab. XV.

Digitized by Google

tos fuisse numos, testatur Vopiscus in ejus vita.

TACITVS.

A. K. KΛ. TAKITOC. CЄB. *Caput laur.* Σ ЄTOTC. A. *typis variis.*

FLORIANVS.

Ejus numi hujus classis nondum comperti.

PROBVS.

A. K. M. ATP. ΠPOBOC. CЄB. cum annis inde a L. A. usque L. H. Vterque hic annus extremus rarior, ac quidem postremus H antiquariorum ingenia multum torsit, sed cui facile cum Probi imperio convenire videbis ex iis, quae in ejus numis Romanis disseram.

CARVS, NVMERIANVS, CARINVS.

Hujus triadis numos Alexandrinos recitabimus, et explicabimus in numis Romanis. Singulare est in numis Cari ΑΦΙЄΡΩCIC. *(Consecratio) Ara.* In numis Numeriani et Carini: ΛЄΓ. B. TPAI. *(Legio II. Trajana.) Aquila legionaria.* (Banduri. Mus. Caes.) de qua legione Dio [a]): Τραϊανος το δευτερον το Αιγυπτιον, και το τριακοστον το Γερμανικον, ἀ και ἀφ' ἑαυτου ἐπωνομασεν. *Trajanus* legionem *II. Aegyptiam*, *et XXX. Germanicam* instituit, *quibus a se nomen dedit.*

DIOCLETIANVS.

Ejus numi obvii.

ΔIOKΛHTIANOC. CЄB. vel:

A. K. Γ. OTAΛ. ΔIOKΛHTIANOC. CЄB.

Ex omni ejus numorum apparatu unicum reperio memoratu dignum:

L. H. vel ЄNATOT. *Spes gradiens, in imo* Δ. (Mus. Caes.)

Quid solitaria litera in imo posita significet, incertum; an signum est officinae monetariae? an indicat consulatum IV., quem consulatus numerum revera per annos Alexandrinos VIII. et IX. tenuit, eodem modo, quo legitur in numis Commodi: L. KΓ. ΠATOC. TO. Δ.?

In numis L. I. notatis palmae ramus aream invadere incipit ex causa, quam in Gallieni numis indicavi.

* * *

Diocletiani numi incipiunt a L. A. et postremus Bandurio cognitus fuit L. IB. Testatur Pellerinius, in suo thesauro serie perpetua exstare ejus numos a L. A. usque L. IЄ. [b]) et forte hoc anno, nisi alter posterior aliquando reperiatur, feriri numi Alexandrini desiverunt, de quo agam plura paullo infra post numos Achillei.

VAL. MAXIMIANVS.

Hujus quoque principis obvii.

MAΞIMIANOC. CЄB. vel:

A. K. M. A. OTA. MAΞIMIANOC. CЄB. typis tritis.

---

a) L. LV. §. 24. b) Mel. I. p. 237.

Digitized by Google

* * *

Ejus anni proditi a L. A. usque L. I. Sed L. IA. citatur ex museo S. Floriani, quem deinde reperit quoque cl. Zoëga, et testatur Bimardus, tres cum hoc anno fuisse in museo Rothelin [a]). Auctiores numeros non reperio nisi apud auctores parum idoneos. Annos hos derivari ab exordio imperii Maximiani, non Diocletiani, docet annus A; nam Maximianus Augusti titulum nonnisi currente Diocletiani anno B accepit. Reliqua vide paullo infra.

CONSTANTIVS *Chlorus.*

Hujus numi perrari.

ΦΛΑ. ΚΩΝCTANTIOC. K. in nonnullis corrupte ΚΩCTANTIOC.

Annos habemus L. A. B. Γ. Δ. (Stosch, Zoëga.) Hi quoque anni a tempore, quo Chlorus dictus est Caesar, ducuntur, non ab exordio Diocletiani, cujus jam exemplum in moneta Aelii Caesaris vidimus. Chlorus adscitus est Caesar Kal. Mart. V. C. 1045., quo tempore currebat Diocletiani annus H.

GAL. MAXIMIANVS.

Numi minus obvii.

ΓΑΛ. ΜΑΞΙΜΙΑΝΟC. K.

Anni: L. A. B. Γ. Δ. (Mus. Caes. Zoëga.) De horum calculo idem censeo, quod de annis Chlori.

* * *

ACHILLEVS.

Imperante Diocletiano Aegypti tyrannus, et ab hoc denique victus caesusque. Vide de hoc veterum testimonia apud Tillemontium. (Ad annum Christi 292 et 296.) In solis numis, quos continuo citabimus, habet nomina *L. Epidii.*

ΑΤΤ. Κ. Λ. ΕΠ. vel ΕΠΙΔ. ΑΧΙΛΛΕΟC. CΕΒ. in aliis: ΑΤΤ. Κ. Λ. ΑΧΙΛΛΕΟC. ΕΤC. ΕΤΤ. CΕΒ. adduntur anni L. Γ. Δ. Ε. ς.

Numos hos in Thesauro suo protulit Goltzius, atque ex hoc in catalogos suos recepere Occo, et Mediobarbus. Eorum fides suspecta jam fuit Bandurio, quin eos serius in commentis Goltzianis putavit [b]), ac merito. Quis enim sibi facile persuadeat, ejus tyranni numos omnino quatuor varios in artis nostrae incunabulis cognitos fuisse Goltzio, deinceps ne unum quidem omnibus? Quocirca cum Goltziana omnia pro instituto meo negligam, eorum rationem non habuissem, nisi nuper cl. Sestinius eorum binos cum simili inscriptione, et annis Δ, Ε. promulgasset, addito, repertos fuisse in Aegypto, et esse fidei nullatenus suspectae [c]). At enim mirum quoque, ejus binos repertos fuisse Sestinio, cum hactenus musea hoc nummorum genere instructissima, Theupolianum, Arigonianum, Caesareum, Borgianum ejus nullum possint jactare, neque vel unum reperire potuerit solertissimus Zoëga, qui clarissimas

a) ad Iobert. T. II. p. 56. b) in praefat. ad Tomum. I. c) Lettere T. IV. p. 132.

Digitized by Google

gazas, ac Lutetiae quidem regiam, Pellerinianam, et Donnerysanam Alexandrinae monetae causa pertinaci labore est scrutatus. Nolim viro erudito tantum fortunae morosius negare; tamen permissum mihi puto nonnihil praeconio huic diffidere, atque istud tanto confidentius, quia eodem in opere, quo hi Achillei numi proponuntur, plura memorantur ejusdem indolis miracula, v. g. M. Antonius in numo Longostaletarum, M. Agrippa et uxor Iulia in numo Ephesi, Messalina Neronis in numis Ephesi et Thyatirae, Vitellius in numis Macedonum, Iliensium, et Sardium, Did. Iulianus in numis Aphrodisiensium, Alexandrino, et coloniae Apameae Bithyniae, Pescennius in binis Alexandrinis, Gordianus Africanus junior in numo Edessae Mesopotamiae, Macrianus pater in Alexandrino, et nunc Achilleus in numis binis, quos praeter Goltzium nemo alius vidit. Omnium horum imperatorum, quos hic descripsi, aut nullus hactenus repertus est commatis peregrini, aut vix singuli, et en tibi tantum agmen vel uni conspectum. Qui longiorem conquirendis numis impendit operam, facile usu edoctus fuit, falsariorum artem maxime in fingendis imperatorum capitibus fuisse occupatam, et quidem sic, ut caput imperatoris, quod est in numo vere antiquo, in caput alterius imperatoris, sed in numis rari, subtili artificio immutarent. Ad Achillei numos ut revertar, eis tamdiu in genuinorum catalogo negandum locum existimo, donec de eorum fide certioribus argumentis constiterit.

* * *

Omnium confessione haec numorum Alexandrinorum classis sub Diocletiani imperio desiit, nam in idem referuntur etiam numi Val. Maximiani, et utriusque Caesaris Chlori et Gal. Maximiani, atque in idem referemus etiam numos Achillei cum annis Γ. Δ. Ε. 5. hactenus soli Goltzio cognitos, si aliquando magis stabilitam eorum fidem intellexerimus, nam is Diocletiano imperante summum sibi in Aegypto honorem adrogavit, et victus amisit. Quemadmodum in hoc, ut dixi, conveniunt omnes, ac praeterea, abolito hoc numorum genere mox Alexandriae monetam Augustorum Caesarumque Latine inscriptam signatam esse, sic, quo istud anno factum, varie disputatur. Istud in annum Diocletiani saltem XVI. differt Gallandus, quia exstant ejus numi Alexandrini usque ad L. I., quibus deinde addendi memorati VI. anni Achillei a). At enim istud Gallandi argumentum hac nostra aetate non audimus, qua numos habemus cum annis Diocletiani posterioribus usque ad L. IE., et qua exigua jam fides habetur Goltzio singulares nobis numos promulganti. Atque ex eadem lege Gallandi, si his annis XV. Diocletiani addendi essent anni VI. Achillei, sequeretur, tyrannum hunc a Diocletiano victum postremo imperii anno, quo jam quietem respexit, ut docet historia. Bandurius victum caesumque Achilleum V. C. 1049. statuit,

a) B. L. T. I. Hist. p. 253.

Digitized by Google

atque tum multatam libertate Aegyptum numos nisi Latinos deinceps non cudisse conjicit a). Verum Bandurio postremus Diocletiani annus ex numis cognitus fuit IΓ. Horum ego exempla veritus non audeo definire aut annum, qui Graecis his numis in Aegypto postremus fuit, aut annum dejecti Achillei, ne emersurus forte olim Diocletiani numus cum L. IC. meo quoque calculo fatalis sit. Coepit Diocletiani annus IЄ, seu postremus Alexandrinus hactenus nobis cognitus in neomenia Thot V. C. 1051. P. X. 298. Signati deinceps Alexandriae nummi copiosi, sed, ut dixi, Latini, et ad modum Romanum exacti, quorum criterium constituunt subjectae literae ALE. Etiam deinceps typi, quos imperavit Roma, raris patriae superstitionis exemplis, quae tamen Iuliano imperante caput iterum altius extulit, ut in ejus moneta docebimus.

* * *

Ne quid desideretur, quod ad Alexandriam numismaticam pertinet, notandum, exstare numos, in quibus Alexandrinorum cum aliis urbibus concordia notatur.

Cum *Ephesiis* in numo Ant. Pii, in quo Sarapis et Isis stantes Alexandriam indicant.

Cum *Samiis* in numo Gordiani, typo Isidis stantis.

Sed numi hi non Alexandriae, sed Ephesi et in Samo percussi sunt. Alexandrinus tamen est, qui non quidem inscriptione, sed typis Apollinis Milesii, et geminae Nemesis concordiam cum Milesiis et Smyrnaeis profitetur, quem vide supra in numis Antonini Pii.

a) Num. Impp. T. II. p. 109.

Digitized by Google

NVMORVM AEGYPTIORVM

CLASSIS III.

DE NVMIS NOMORVM.

Praeter Alexandrinos, quos modo peregimus, numos, qui communis totius Aegypti moneta haberi possunt, exstant alii, qui nomorum, aut, etsi rarius, urbium Aegypti nomina praeferunt. Est autem *nomus* idem, quod praefectura. Plinius [a]): *Dividitur Aegyptus in praefecturas oppidorum, quas NOMOS vocant.* Atque haec appellatio obvia est in Strabone, aliisque veteribus. Vocantur autem nomorum numi, quia, cum vocabulum in his totum perscriptum est, fere constanter adjectivi formam habet, ut: ΠΡΟCΩΠΙΤΗC. CAЄΙΤΗC. etc. quo subaudiri vocabulum *νομος*, propalam docent numi duo primae formae, quos Belleyus ex museo Pellerinii citat [b]): qui inscribuntur NOMOЄ. MЄMΦΙΤΗC, et NOMOC. MЄNΔΗCΙOC, quibus adde NOMOC. CAЄΙΤΗC. in numo, quem infra citabo. Vaillantius, eumque secuti alii in nonnullis similibus legerunt ΚΟΠΤΙΤΩΝ. ΛЄΟΝΤΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. MЄNЄΛΑΙΤΩΝ, verum omnes hi numi adcuratius inspecti aut decurtatum offerunt vocabulum, ut: MЄNЄΛΑЄΙΤ., aut plenum, ut: ΚΟΠΤΙΤΗC. MЄNЄΛΑΙΤΗC. etc. quem errorem jam perstrinxit Barthelemyus [c]). Inscriptum urbis nomen habes in NAΤΚΡΑΤΙC, et ΟΑCΙC. Substantivorum rationem in numis sequuntur nomi ΑΡΑΒΙΑ, et ΛΙΒΤΗ.

Hujus classis numi non habentur, nisi cum capite Trajani, Hadriani, Antonini, et M. Aurelii, sed qui in his Caesar tantum dicitur, et capite nudo fingitur, unde patet, ejus numos imperante Antonino percussos. Adduntur anni imperii, et sunt tantum primae, tertiae, et quartae formae, de quibus ut tutius judicari possit, en descriptam hic eorum rationem.

Trajani: Cum hujus capite plurium nomorum moneta cognita. Omnes sunt aenei I. formae, omnes, demptis perpaucis, offerunt annum ΙΓ.

Hadriani: Hujus maximus numerus. Si paucissimos eximas, reliqui omnes habent annum ΙΑ. Spectata forma om-

a) L. V. §. 9. b) B. L. T. XXVIII. p. 529. c) B. L. T. XXVI. p. 550.

Digitized by Google

nes sunt III. formae demptis paucissimis. Sunt tamen ex his aliqui voluminis magis contracti, quos moduli IV. vel V. dicere possis, quo a prioribus formae III. distinguuntur, ac praeterea quod ea parte, qua caput est, inscriptione carent, credo propter voluminis exiguitatem. Horum quinque possedit Pellerinius, quos locis suis indicabo.

Antonini. Hujus plurium nomorum numi reperti omnes I. formae, nisi quod Vaillantius numum Tentyritis II. formae facit. In his pleramque anni H. vel IH. raris aliis.

M. Aurelii, ut dixi, adhuc Caesaris, quatuor nomorum numos habemus, omnes I. formae. Anni in his expressi referuntur adeo ad imperium Antonini. Cum hoc nomorum numi saltem genuini desinunt, posteriores alii malae fidei convicti, cujus exemplum insigne in numo Titianae adfert Barthelemyus [a]).

Cum tantum viderent eruditi ejusmodi numorum copiam Hadriano dedicatorum, et in quibus omnibus annus tantum IA notatur, dignum ipsis visum, in veram ejus causam inquirere. Vaillantius censuit, numos hos in variis nomis percussos, cum Hadrianus peragrata Arabia teste Spartiano Pelusium venit, quod ait contigisse anno ejus XI. seu IA [b]). Verum cum haec Hadriani profectio a chronologis saltem in annum ejus imperii XIII. differatur, secundum Alexandrinos XV., opinatur Belleyus, Hadrianum anno XI. iter in Aegyptum suscepisse diversum ab illo, quod biennio post susceperat [c]). Addit causam aliam, Hadrianum forte hoc anno vetera Aegypti urbium privilegia confirmasse, et addidisse nova. Harum nulla Pellerinio idonea videtur. Nam praeterquam quod singulae idoneo fundamento destituuntur, observare etiam jubet, non modo uno eodemque singulos anno cusos, verum etiam, quamvis nomorum nomina prodant inter se maxime dissitorum, tamen tam religiose et materia, et volumine, et literarum positione et pondere conspirare, ut, quamvis varient typis et nomorum inscriptione, tamen indubitatum videri debeat, omnes in una eademque officina, et uno consilio, quo nomi omnes comprehenderentur, percussos. Quare conjicit, Hadrianum fors revera anno imperii sui XI. intendisse in Aegyptum iter facere, atque eum in finem, ut populum suapte ad res novas paratum sibi demereretur, istud monetae genus omnia nomorum nomina complexum uno loco parari ac distribui jussisse, quod in tenues eorum sumptus sufficeret [d]).

Nemo non videt, in enucleando hoc dubio hactenus nihil praeter conjecturas adlatum, easque admodum imbecilles. Pellerinio si quis adsentire velet, is rationem etiam adferat, cur in Trajani numis fere perpetuo recurrat annus IΓ. perinde ac in Hadriani moneta annus IA. An etiam ille simili consilio hos curavit numos feriundos? Lubenter quidem ejus sententiae subscribo, numos hos omnes eodem loco

a) l. c. b) Aeg. num. p. 215. c) B. L. T. XXVIII. p. 528. d) Additions p. 85. seq.

Digitized by Google

signatos, perinde atque indubitatum mihi videtur, numos omnes argenteos coloniarum Corinthi ex una, non diversarum urbium officina exstitisse; at quis utriusque consilii auctor, quis finis fuerit, nihil hactenus ab eruditis probabile adlatum est. Erud. Zoëga conjicit, eos cusos ad celebrandum exactum imperii Hadrianei decennium [a]). Non adversarer praeclarae huic conjecturae, nisi huic item adversarentur laudati continuo Trajani numi. Istud interea certum, insignem aliquam, et quae universam Aegyptum concerneret, fuisse causam monetae tam sibi omnibus partibus similis Hadriano dedicatae.

Primus Vaillantius numos hos digessit in opere, quod *Aegyptum numismaticam* inscripsit, et calci suae Lagidarum historiae adjecit. Eum catalogum auxerunt Arigonius, museum Theupoli, Pellerinius, ac praecipue Belleyus peculiari dissertatione [b]), auxi et ipse ego repertis nomis aliquot hactenus ignotis, multo vero nuper liberalius cl. Zoëga in numis suis Aegyptiis, ut adeo post praevios hos conatus aliud necesse non habeam, quam eos in unum coactos ob oculos sistere. Qui in rem suam plura volet, adeat auctores citatos.

ALEXANDRIA.

Hadriani. Ϫ ΑΛϵΞ. L. IA. *Vir barbatus habitu militari stans d. hastam, s. quadrupedem, in area astrum.* AE. III.

His verbis numum hunc ἀνέκδοτον, et recens illustri museo em. Card. Borgiae illatum nuperrime mecum communicavit non minus eruditione, quam humanitate insignis Zoëga. Alexandriae numum ad eam formam compositum, cujus esse solet moneta nomorum Aegypti, cujus nunc catalogum exhibeo, nunquam mihi in mentem venisset aliquando repertum iri. Neque enim aut Strabo, aut Plinius, qui nomorum Aegypti catalogum dedere, Alexandriam cum adsito huic agro in nomorum numerum retulere, neque etiam ab alio istud factum comperit adcuratissimus Cellarius, praeterquam a Ptolemaeo, a quo memoratur Αλεξανδρεων χωρας νομος, *regionis Alexandrinorum nomus.* In causa fuerit, quod haec urbs velut omnium Aegypti nomorum et caput, et moderatrix est habita. Ceterum hic numus, quod modum habet cum tot aliis monetae hujus classis Hadrianeae communem, nihil observatu dignum effert.

AE. unicus.

ANTAEOPOLITES.

In Thebaide ad litus Nili orientale, urbs sic vocata ab Antaeo, quem teste Diodoro Siculo Hercules Osiridis aetate interemit.

Hadriani. Ϫ ANTAIO. L. IA. *Sarapis stans d. hastam, s. crocodilum.* AE. III. (Belley ex Mus. Pelleria. B. L. T. XXVIII. p. 530.)

Ad similem suum numum refert Zoëga ex Plutarcho [c]), Typhonem ab Oro fugatum prope Antaeopolin in crocodilum se convertisse.

AE. RRRR.

a) Num. Aeg. p. 113. b) l. c. c) de Is. et Osir.

Digitized by Google

APHRODITOPOLITES.

Ad litus orientale Nili supra Delta. Strabo eam in Arabia Aegypti locat, additque, per religionem vaccam albam ibi nutritam fuisse.

Trajani. Ϫ ΑΦΡΟΔΕΙΤΟΠΟΛΙΤΗC. L. IΓ. *Templum distylum, intra quod mulier stans inter duas Sphinges basi impositas d. idolum tenet.* AE. I. (Theupoli. p. 1309. Belley l. c. p. 533.)

Verisimile est, esse templum Veneris Nephtyos, quam Aphroditopoli cultam narrat Plutarchus [a]).

AE. RRRR.

APOLLONOPOLITES.

Binae a geographis in Aegypto memorantur *Apollinis urbes*, una *Major*, sita ad litus occidentale Nili supra Latopolin, cujus incolas Aelianus partem Tentyritarum facit, eosque aeque ac hos crocodilis extreme infensos [b]). *Minor* altera ad litus orientale in Thebaide. Ad utram pertineant numi hoc nomine inscripti, non satis in omnibus expeditum.

Hadriani. Ϫ ΑΠΟΛ. L. IA. *Apollo succincto habitu gradiens d. telum ex pharetra promit, s. arcum.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

Ad quam ex binis urbibus hoc nomine praeditis referendus sit hic numus, non liquet. Apollinis typus utrique convenit.

* * *

Ejusdem. Ϫ ΑΠΟΛ. L. IA. *Mulier stans d. pateram super ara, s. cornucopiae.* AE. III. (Vaill. num. Graec.)

Ejusdem. Ϫ ΑΠΟΛΛΩΝ. L. IA. *Osiris stans d. capiti admota, s. aquilam.* AE. III. (Zoëga p. 393.)

Neque hi numi inter binas urbes discernunt.

* * *

Antonini. Ϫ ΑΠΟΛΛΩΝΟΠΟΛΙΤΗC. *Vir seminudus stans d. hastam, s. accipitrem.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 229.)

Hunc numum non dubito ad Apollonopolitas majores pertinere. Narrat Aelianus [c]), Tentyritas summo odio prosequi crocodilos, et accipitri summos impendere honores, cujus naturam igni adsimilant. At idem paullo supra Apollonopolitas partem Tentyritarum dixit et crocodilis inimicos [d]). Ergo Apollonopolitae accipitris honores cum Tentyritis communes habuere. Revera Tentyritarum numi accipitrem etiam sistunt.

AE. RRR.

ARABIA.

Duplex in Aegypto Arabia distinguenda est, una is tractus, qui ex Delta sursum ascendenti Nilo et mari rubro intercipitur, in quo lapis porphyrites gignitur. De hac Arabia prolixe egi in meis numis vet. p. 295. Altera nomus fuit positus extra Delta ad litus orientale Nili, cujus caput fuit Phacusa teste Ptolemaeo. Ad posteriorem hanc Arabiam pertinent numi sequentes:

Trajani. Ϫ ΑΡΑΒΙΑ. L. IΓ. *Mulier*

a) l. c. b) Nat. anim. L. X. c. 21. c) Nat. anim. L. X. c. 24. d) cap. 21.

Digitized by Google

turrita binos infantes lactans. (Harduin Num. ill. sub *Arabia.*)

Hadriani. Ϟ APABIA. L. IA. *Mulier stans d. spicas, s. facem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 531.) In alio: *Caput muliebre turritum.* AE. III. (ibid.) In alio: *Mulier turrita binos infantes lactans.* (Harduin l. c.)

Priori ex citatis similem cum capite Hadriani in numis suis Graecis vulgavit Vaillantius, sed eum Arabiae provinciae juxta Palaestinam sitae largitus est, quem adeo jure perstrinxit Belleyus, quia hi numi fabrica, forma, et epigraphes modo cum reliquis nomorum numis conspirant. Esse tamen Arabiae Asiae aliquos numos tribuendos, in ejus moneta dictum.

AE. RRR.

ARSINOITES.

Arsinoes nomine binae fuere in Aegypto urbes sic dictae a reginis Aegypti, una sita in intimo recessu sinus Arabici, quam Strabo appellatam item *Cleopatriden* adserit, nimirum mutato Cleopatrae cujuspiam ambitione nomine [a]). Altera sita in ripa Nili occidentali supra Memphin prope lacum Moeriden in nomo cognomine, urbs insignis cum a praestantia soli, tum a prodigiis labyrinthi, pyramidum, et lacus Moeridis, de quibus vide Strabonem, Plinium, Melam. Vtri tribuendi sint numi Arsinoes nomine insignes, continuo indagabimus.

Trajani. Ϟ APCINOITHC L. IΓ. IΔ. *Iuppiter stans d. caput velatum, s. hastam.* AE. I. (Vaill. num. Graec. Zoëga.)

Hadriani. Ϟ APCINOI. L. IA. *Caput muliebre velatum imminente loto.* AE. III. (Mus. Caes.)

Ejusdem, sine epigraphe. Ϟ APC. L. IA. *Crocodilus.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Peccat Vaillantius, qui utramque Arsinoen mox memoratam nomum facit. Enimvero Plinius binos nomos Arsinoites recitat, sed utrumque in litore Nili Libyco proxime Memphin locat [b]), nimirum ut idem continuo duplicem Oasiten adserit. Alteram vero Arsinoen, quae et Cleopatris, fuisse nomum, ex veteribus vix probaverit. Priores ergo duos pertinere ad Arsinoen, quae et nomus fuit, ipsa scripturae ratio APCINOI. et APCINOITHC. satis eloquitur.

Sed non minus certum est, tertium quoque numum, etsi solo APC. notatum, ad eandem Arsinoen Moeridi lacui adsitam pertinere praecipiente istud typo crocodili. Audi Strabonem [c]): *Arsinoe olim* Crocodilorum urbs *dicebatur; in hoc enim nomo mirum in modum colitur crocodilus, et est sacer apud eos in lacu quodam seorsim nutritus et sacerdotibus mansuetus*, et paullo infra: *Arsinoitae crocodilos colunt, et propterea fossam habent crocodilis plenam et Moeridem lacum, nam eos venerantur, et ab iis abstinent.* Herodotus eam vocat *Crocodilorum urbem*, et lacui Moeridi adstitutam [d]), nondum nimirum ejus aetate inducta Arsinoes appellatione. Huic adde Aelianum [e]).

a) L. XVII. p. m. 1156. b) L. V. §. 9. c) L. XVII. p. m. 1165. d) L. II. c. 148.
e) Nat. anim. L. VI. c. 7. et L. X. c. 24.

Digitized by Google

Caput numi II. non dubitem esse Arsinoes ejus, quae fuit Ptolemaei II. soror et conjux, a qua huic nomo factum nomen testatur Pausanias [a]).

AE. RR.

ATHRIBITES.

In Delta, et ejus fere medio ad fluvium cognominem.

Trajani. Ϡ ΑΘΡΙΒΙΤΗC. L. ΙΓ. *Figura stolata stans d. avem, s. hastam.* AE. I. (Zoëga.)

Hadriani. Ϡ ΑΘΡΙΒ. L. ΙΑ. *Mulier stans d. avem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 528. Theupoli.)

Videri possit, quod mulier dextera tenet, esse murem araneum, quem in hoc nomo adoratum scribit Strabo, nam in minutis his numis exigua signa minus plerumque distingui possunt. Tamen certam avim tuetur Zoëga. (pag. 116.)

AE. RRR.

BVBASTITES.

Ad brachium Nili maxime orientale dictum Bubasticum. Dianae cultus hic viguit teste Herodoto [b]), quae Ovidio dicitur: *Sanctaque Bubastis* [c]), nisi haec Isis potius est, quae apud Diodorum Sic. de se praedicat: *mihi Bubasta urbs condita est.*

Hadriani. Ϡ BOTBAC. L. ΙΑ. *Mulier stans d. avim.* AE. III. (Belley l. c. p. 534.)

AE. RRRR.

BVSIRITES.

In Delta ad fluvium cognominem.

Hadriani. Ϡ BOTCI. L. ΙΑ. *Osiris stans cum loto supra caput d. cervum, s. hastam.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.) In alio: *Isis stans d. florem.* AE. III. (Arigoni.)

Antonini. Ϡ BOTCIPIT. L. H. *Sarapis stans d. bovem gerit.* AE. I. (Patinus. Mauroceni.)

Teste Herodoto [d]) in hac urbe maximum fuit Isidis templum, et secundum Stephanum [e]) dicebatur illic Isis Busirin sepelivisse, injiciens eum in ligneam bovem.

AE. RRRR.

CABASITES.

In Delta ad fluvium Thermuticum.

Hadriani. Ϡ KABACI. L. ΙΑ. *Osiris stans d. cervum, s. hastam.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

Vide non absimiles alios apud cl. Zoëga.

AE. RR.

CANOPVS.

Prope ostium Nili maxime occidentale, dictum ab urbe Canopicum. Nomen traxit a Canopo Menelai huc post bellum Trojanum delati gubernatore hic sepulto, ac pro deo habito, ut referunt Strabo, Tacitus, Solinus, Suidas, aliique, sed quod tanquam fabulosum ridet Aristides rhetor [f]).

---

a) L. I. c. 7. b) L. II. c) Met. L. IX. v. 690. d) L. II. c. 59. e) in Βουσιρις. f) Orat. T. II. p. 359.

Digitized by Google

Hadriani. Ϯ ΚΑΝΩ. L. IA. *Canopus, seu caput velatum et loto ornatum amphorae impositum.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

De origine Canopi, seu signorum amphorae impositorum lege ridiculam fabulam apud Suidam [a]), qui eam ex Ruffini hist. eccl. L. XI. c. 26. exscripsit, quam Canopi de Igne, Persarum deo, victoriam vide graphice expressam in gemma Basilidiana Ioannis Macarii [b]). Item de his Vitruvius [c]): *Qui sacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum, ostendunt, omnes res e liquoris potestate consistere. Itaque cum hydriam tegunt, quae ad templum aedemque casta religione defertur, tunc in terra procumbentes manibus ad coelum sublatis, inventionibus gratias agunt divinae benignitatis.*

AE. RRRR.

COPTITES.

In Thebaide ad litus Nili orientale. Nomen Plutarchus derivat a κοπτω, quae vox apud Aegyptios *privationem* notat: nam Isis audita hic loci Osiridis morte cincinnum sibi luctus causa abscidit [d]).

Trajani. Ϯ ΚΟΠΤΙΤΗC. L. IΓ. *Osiris stans loto superne ornatus d. hastam, s. cervum.* AE. I. (Vaill. Aeg. num. Zoëga.)

Capris silvestribus magnos a Coptitis honores impendi refert Aelianus [e]).

Hadriani. Ϯ ΚΟΠΤ. L. IA. *Sarapis stans d. extenta, s. hastam.* AE. III. (Vaill. num. Graec.) In alio: *Sarapis stans d. extenta animal quadrupes.* AE. IV. (Theupoli.) In alio: *Saturnus velatus cum globo super caput stans d. hinnulum, s. harpam.* AE. III. (Zoëga.)

AE. RR.

CYNOPOLITES.

In insula Nili in heptanomide. In hoc Anubin, seu canium deum praecipue coli tradit Strabo, quae, reor, verior causa est, cur nomus hic a cane nomen traxerit, quam quae ab Aeliano adstruitur [f]).

Hadriani. Ϯ ΚΤΝΟ. L. IA. *Anubis stans d. sistrum, s. caduceum.* (Vaill. Aeg. num.)

Alius, sed AE. IV. (Pellerin Additions p. 92.)

AE. RRRR.

DIOSPOLIS MAGNA.

Plures produntur per Aegyptum Diospolis nomine urbes, quarum celebriores *Diospolis Magna* et *Parva.* Illa eadem cum Thebis fuit, sita versus Aethiopiam ad ripam Nili orientalem. Plinius: *Celebratur Diospolis magna, eadem Thebe, portarum C. nobilis fama.* Alia testimonia vide apud Cellarium. Parva est in adversa ripa, sed nonnihil magis infra, de qua Ptolemaeus: *Diospolites nomus superioris Aegypti, et metropolis Diospolis parva.* Consentit et Strabo.

Vtrique Diospoli sui videntur numi

a) In Καπηλος. b) Abraxas tab. XX. c) in praef. ad L. VIII. d) de Is. et Osir. e) nat. anim. L. X. c. 23. f) l. c. c. 45.

Digitized by Google

tribuendi. *Magna* propter additum μεγαλης titulum certos suos habet. *Parvae* conjicio tribuendos eos, qui hoc titulo abstinent, quos infra describam.

Hadriani. Ϫ ΔΙΟΠΟΛΙ. ΜЄ. L. IA. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AE. III. (Vaill. Aeg. num. Theup.) In alio: *Sarapis stans d. cervum.* (Vaill. num. Graec. Theup.) In aliis *pro* ΜЄ. *est* M. *tantum. Omnes* AE. III. (Mus. reg. Christinae, Theupoli.)

AE. RR.

DIOSPOLIS PARVA.

Situm mox descripsi.

Hadriani. Ϫ ΔΙΟΠ. L. IA. *Osiris stans d. hastam, s. bovem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 535.)

Antonini. Ϫ ΔΙΟΠΟΛЄΙΤΗϹ. L. H. *Mulier eques capite turrito d. serpentem.* AE. I. (Belley l. c.)

Binos hos numos huic Diospoli tribui debere censeo, quia in iis το ΜЄγας omittitur, quo vocabulo magna a cognomine parva discernitur, ut diximus.

AE. RRRR.

GYNAECOPOLITES.

Prope Alexandriam ad litus occidentale ostii Canopici. Ejus meminere Strabo, Plinius, Stephanus, dissimulavit Ptolemaeus, sed qui nomum Andropolitem prodidit, quem reticuerunt illi. Quare conjecit Cellarius, videri nomum eundem, sed qui vetus nomen Gynaecopolitis in auspicatius Andropolitis mutaverit. At falli virum eruditum, eumque nomum adhuc Ptolemaei aetate dictum fuisse Gynaecopoliten, numus sequens huic geographo synchronus testatur.

Hadriani. Ϫ ΓΥΝΑΙΚ. L. IA. *Mulier stans d. canem, s. vestem colligit.* AE. III. (Zoëga p. 393.)

AE. RRRR.

HELIOPOLITES.

Paullo supra Delta in Arabia. Ejus urbs Heliopolis clara a remotissima inde aetate, nam jam in Pentateucho memoratur nomine *On*, et de qua praeter plures alios Philo Iudaeus [a]): Ων, ἡ ἐστιν Ηλιουπολις, a templo Solis et Mnevi bove ibi nutrito, a literarum studiis, a templo ibi ab Onia ritu Hierosolymitani aedificato, et phoenice ave, quae omnia fusius explicui, cum sequentem numum singularem ex museo Mediceo ederem [b]).

Hadriani. Ϫ ΗΛΙΟΠ. L. IA. *Sarapis stans d. cervulum, ut videtur.* AE. III.

AE. RRRR.

HEPTANOMIS.

Inter ectypa Arigoniana exstat numus.

Hadriani. Ϫ ЄΠΤΑΚΩΜ. L. IA. *Accipiter stans.* AE. III.

Cl. Zoëga feliciter et acute vidit, pro hoc nullius sensus vocabulo legendum ЄΠΤΑΝΩΜ. et esse numum Heptanomidis provinciae supra Delta incipientis, et primum nomos septem, unde

a) De posterit. Caini. b) Num. vett. p. 295.

Digitized by Google

et nomen tulit, deinde et plures complexae. Vide Cellarium.

AE. RRRR.

HERACLEOPOLITES.

Duplex fuit Heracleopolis, una *parva* ad alveum Bubasticum, altera *magna* in nomo cognomine sito in insula Nili spatiosa supra Memphin. Ad hanc posteriorem numi sequentes videntur revocandi.

Hadriani. Ϫ HPA. L. IA. *Caput Sarapidis cum loto, prae quo ibis.* AE. III. (Vaill. num. Graec.)

Ejusdem. Ϫ HPAK. L. IA. *Caput Herculis diadematum.* AE. III. (Mus. Stosch, Neumann.)

Ejusdem. Ϫ HPAKΛЄΩΠΟΛITΩN. L. IΔ. *Mulier capite tutulato insidens saxo, d. ori admota, s. facem.* AE. I.

Ita numum depictum video apud Arigoniam. Non dubito, proponi Harpocratem, secundum ea, quae dixi in prolegomenis ad numos Alexandrinos cap. I. In urbis vocabulo literae postremae ΩN aut perperam sunt adjectae, aut in solitum HC mutandae.

AE. RR.

HERMONTHITES.

Supra Thebas in litore Nili occidentali.

Hadriani. Ϫ. ЄPMΩNΘ. L. IA. *Vir stans d. hastam, s. leonem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 536.)

In Theupoliano idem dicitur sinistra tenere aquilam, et talis est etiam in numo Oudineti, qui primus hujus nomi numum ex gaza regia vulgavit a). Revera Strabo et Stephanus Iovis Hermonthitis meminere, quo loco de hoc nomo loquuntur.

AE. RRR.

HERMOPOLITES.

Hermopoles tres in Aegypto statuuntur, una obscurior in insula alvei Thermutici, altera cognomine *parva* ad alveum Nili maxime orientalem, tertia nomine magna in heptanomide ad ripam Nili occidentalem, et nomo cognomine. Postremae huic verisimilius tribuentur numi sequentes:

Hadriani. Ϫ ЄPMOΠOΛITHC. *vitiato anno. Vir barbatus palliatus cum flore in capite stans d. sustinet genium nudum, s. caduceum, ante eum basis quadrata, cui insistit ibis.* AE. I. (Zoëga p. 155.)

Ejusdem. Ϫ ЄPMO. L. IA. *Caput Osiridis loto onustum, ante quod aquila, vel ibis.* AE. III. (Vaill. Arigoni, Mus. Christinae.) In alio: *Cynocephalus erectus sedens cum cauda arrecta.* AE. IV. (Zoëga.)

Cynocephalum ab Hermopolitis cultum, ex Strabone docet cl. Zoëga.

AE. RRR.

HEROOPOLITES.

Ad intimum recessum sinus Arabici, qua coepit fossa a Trajano Babylonem usque ducta.

---

a) Des Molets continuation des mém. de littérat. T. IV.

Digitized by Google

Hadriani. ☧ΗΡΟ. L. IA. *Protome muliebris capite velato, et loto ornato, dextera ori admota.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 537.)

AE. RRRR.

HYPSELIOTES.

In Thebaide ad litus Nili occidentale.

Hadriani. ☧ ΤΨΗΛΙ. L. IA. *Ovis.* (Vaill.) *Vir stans cum flore in capite d. extensa Apin, s. hastam.* AE. III. (Zoëga.)

AE. RRRR.

LATOPOLITES.

In Thebaide ad litus Nili occidentale, diversa a Letopoli, de qua mox, et quae a *Latona* nomen habuit. Nostra haec a pisce *lato.* Strabo [a]): Λατοπολις, τιμωσα Αθηναν και τον λατον, *Latopolis, quae Palladem et latum colit.* De lato Nili incola vide Athenaeum [b]), et plura de Latopoli apud Cellarium. Fuisse nomum, nemo veterum prodidit.

Hadriani. ☧ ΛΑΤΟΠΟΛ. L. IA. *Latus piscis.* AE. IV. (Zoëga.)

AE. RRRR.

LEONTOPOLITES.

In Delta. Nomum hunc a religiose leonum cultu traxisse nomen, narrat Aelianus, qui et ejus superstitionis ritus satis ample enarrat [c]). Vide et Strabonem.

Hadriani. ☧ ΛЄΟΝ. L. IA. *Figura succincta stans d. hastam, s. leonem.* AE. III. (Mus. Caes.) Alius, sed AE. IV. (Pellerin Addit. p. 92.)

Antonini. ☧ ΛЄΟΝΤΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. L. IH. *Vir seminudus stans d. hastam, s. leonem.* AE. I. (Vaillant.)

Nomi nomen haud dubie non in ΤΩΝ. sed ΤΗC. exit. Idem numus est etiam in Caesareo, sed postremae literae, ut et anni nota, non satis sunt integrae.

AE. RR.

LETOPOLITES.

Infra Memphin, sed extra Delta versus alveum Nili occidentalem, Ptolemaeo Λητοπολιτης νομος, et Λητους πολις, *Latonae civitas.*

Hadriani. ☧ ΛΗΤΟΠ. L. IA. *Crocodilus.* AE. IV. (Belley l. c. p. 538.) In alio: *Sarapis palliatus stans capite radiato d. demissa, s. ichneumona tenens.* AE. III. (Zoëga.)

AE. RRRR.

LIBYA.

Pars, quae Aegyptum propriam ad occidentem contigit, Libya dicebatur. Sed fuit etiam secundum Ptolemaeum nomus hoc nomine, isque maritimus, qui inde a nomo Mareotide litus occupavit, cujus urbs princeps fuit Paraetonium.

Hadriani. ☧ ΛΙΒΥΗ. L. IA. *Vir stans d. pateram, s. arietem.* AE. III. (Belley l. c.) In alio: *Sarapis palliatus stans d. pateram, s. hinnuleum.* AE. III. (Zoëga.)

---

a) p. m. 1171. b) L. VII. c) Nat. anim. L. XII. c. 7.

Digitized by Google

Aries ad Iovem Ammonem, ut videtur, pertinet, qui toti illi tractui venerabilis fuit.

AE. RRRR.

LYCOPOLITES.

In Thebaide ad ripam occidentalem. Nomum sic dictum refert Diodorus, quod cum Aethiopes in Aegyptum impressionem facerent, hi a lupis fugati sint. Teste Strabone ejus incolae lupos venerati sunt.

Hadriani. Ϫ ΛΥΚΟ. L. IA. *Sarapis stans d. cervum, s. hastam.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

AE. RRRR.

MARCOTES.

Prope Alexandriam ad lacum cognominem.

Antonini. Ϫ MAPCΩTHC. L. H. *Vir palliatus cum globo in capite stans d. arietem, s. hastam.* AE. I.

Ita Zoëga ἀντοπτης numum hunc describit contra Vaillantium aliter eum promulgantem in Aegypto numismatica.

* * *

Numum Titianae, qui in eodem nomo signatus fertur, esse spurium, in hujus Augustae numis commatis R. decebitur.

AE. RRRR.

MEMPHITES.

In Heptanomide paullo supra Delta. Vrbs ipsa in ripa Nili occidentali, veterum Aegypti regum sedes, in cujus vicinia sunt Pyramides, sepulcra regum.

Trajani. Ϫ MEMΦ. - - - L. IB. *Osiris stans d. sistrum, s. hastam, pro pedibus Apis.* AE. I. (Zoëga p. 392.)

Hadriani. Ϫ MEMΦI. L. IA. *Capra*, vel: *Caput Isidis*, vel: *Mulier stans utraque manu icunculam.* AE. III. (Vaill. num. Graec.) Alius, sed AE. IV. (Pellerin Additions p. 92.)

Antonini. Ϫ MEMΦITHC. L. H. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum.* AE. I. (Vaill. num. Graec.) In alio: L. H. vel L. IH. *Osiris stans d. hastam, s. sistrum, retro Apis.* AE. I. (Havercamp. Mus. reg. Christinae. Vaill. Aeg. num.) In alio: *Isis capite gerens exuvias vulturinas, quibus superimpositus modiolus, stat d. tenens hastam, s. serpentem, pone adstat Apis disco insignis inter cornua, et circa collum serto.* AE. I. (Zoëga.)

Fuit in hac urbe templum Apidi sacrum, et ipse bos Apis in septo quodam alebatur teste Strabone [a]). Ejus consecrationi apud Memphin peractae interfuit Titus Caesar [b]).

AE. RR.

MENDESIVS.

Nomus maritimus in medio τῦ Delta.

Hadriani. Ϫ MENΔ. L. IA. *Hircus.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.) In alio: *Sarapis stans d. hircum.* AE. III. (Zoëga.) In alio: *Caput Sarapidis,* AE. III.

a) L. XVII. b) Suet. in Tito. c. 5.

Digitized by Google

(Zoëga.) In alio: *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Christinae.)

Hircus Mendesiis sacer, qui ab illis sumptu publico alebatur, indicto, cum ei mori contigit, luctu publico, quemadmodum Api apud Memphin mortuo. Vocatur autem et Pan et hircus Aegyptiis *Mendes.* Haec omnia prodidit Herodotus [a]).

Antonini. Ϯ ΜΕΝΔΗCΙΟC. *Iuppiter stans d. capram tenet.*

Alia indicia negligit editor Harduinus. Addit, eo vocabulo indicari Iovem *Mendesium.* Perperam, nam nomum secundum alia omnia exempla notat, qui item Μενδήσιος dicitur Herodoto [b]), et in Pelleriniano, quem supra in prolegomenis citavi, est plene: NOMOC. ΜΕΝΔΗCΙΟC. Confer et sequentem.

Aurelii. Ϯ ΜΕΝΔΗCΙΟC. L. H. *Iuppiter stans d. hastam, s. hircum.*

Numum hunc ex museo regis Galliarum edidit Oudinetus [c]).

AE. RR.

MENELAITES.

Nomus maritimus inter Alexandriam et Delta, nomen traxit a Menelao Troja expugnata huc vi tempestatis appulso.

Trajani. Ϯ ΜΕΝΕΛΑΙΤΗC. L. IC. *Harpocrates desinens in crocodilum.* AE. I. (Zoëga.)

De hoc typo egi in prolegomenis ad numos Alexandrinos cap. I.

Hadriani. Ϯ ΜΕΝΕ. L. IA. *Sarapis cervum gestans.* AE. III. (Vaill. num. Graec.) In alio: ΜΕΝΕΛΑ. L. ΓA. *Sarapis stans d. cornucopiae, s. palmam* AE. III. (Ibid.) In alio: *Caput Isidis.* AE. III. (Ibid.) In alio: ΜΕΝΕΛΑΙ. L. IA. *Vir palliatus stans d. cornucopiae, s. palmae ramum.* AE. III. (Zoëga.)

Antonini. Ϯ ΜΕΝΕΛΑΙΤ. L. H. vel: ΜΕΝΕΛΑΙΤΗC. L. H. *Harpocrates dextera ori admota, s. cornucopiae, inferne in crocodilum desinit, ante eum ara ignita.* AE. I. (Mus. M. Ducis, Zoëga.)

M. Aurelii Caes. Ϯ ΜΕΝΕΛΑΙΤΗC. L. H. *Typus similis.* AE. I.

In hoc nume regis Galliarum Vaillantius perperam legit ΜΕΝΕΛΑΙΤΩΝ. teste Zoëga, qui eum ipse vidit.

Ejusdem. Ϯ ΜΕΝΕΛΑΕΙΤΗC. L. H. *Duo canopi intra templum distylum.* AE. I. (Zoëga.)

AE. RR.

METELITES.

Nomus maritimus in Delta ad ostium Canopicum.

Hadriani. Ϯ ΜΕΤΗΛΙ. L. IA. *Accipiter cum loto supra caput.* AE. III. (Vaill. Aeg. num.)

AE. RRRR.

NAVCRATIS.

Vrbs mediterranea in Delta alveo Agathodaemoni adposita. Plinius nomum *Naucratiten* vocat, at Strabo et Ptolemaeus urbem *Naucratin*, et eam in nomo Saite locant, cum quibus con-

a) L. II. c. 46. b) L. II. c. 42. c) des Molets Continuation des Mém. de littérature. T. IV.

Digitized by Google

spirant nomi, qui ejus nomen non nomi, sed urbis vocabulo exprimunt. Condita fuit a Milesiis teste Strabone, et fuit Athenaei patria.

Trajani. Ϫ NATKPATIC. L. IB. *Mulier stans d. hastam.* Haud dubie AE. I.

Ejusdem. Ϫ NATKPATIC. L. IΓ. *Anubis stans cum loto supra caput d. aviculam, s. quid instar sceptri.* AE. I. (Haym.)

Hadriani. Ϫ NATK. L. IA. *Vir palliatus stans d. velut parvam pyramidem, s. vesti involuta.* AE. III. (Zoëga.)

M. Aurelii Caes. Ϫ NATKPATIC. L. H. *Mulier stans capite tutulato d. serpentem, s. hastam.* AE. I. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 540.)

Similem mulierem, sed equitem, vidimus supra in numo Diospolis parvae, in qua Belleyus serpentem dixit esse Osiridis seu Solis symbolum; idem ad hunc Naucratidos numum advertit, mulierem cum serpente videri sibi Palladem, quae in nomo Saite primas partes habuit. Adeo, cum nobis ipsi contradicimus, apparet, nos in religionis Aegyptiae negotio caecutire.

AE. RRR.

NICOPOLITES.

Nicopolis ab Alexandria XX. tantum, aut XXX. stadiis distans, aedificata est ab Augusto eo loco, quo Antonii milites superavit, constitutis ibi ludis ejus generis, quales apud Nicopolin Epiri celebrari jussit. Testimonia vide apud Cellarium.

Antonini. Ϫ NIKOΠOΛITHC. L. H. *Hercules stans d. gryphum, s. clavam et exuvias.* AE. I. (Zoëga.)

Numum hunc Cl. Zoëga ex museo regis Galliarum nunc demum edidit hactenus ignotum. Nomus in numo dicitur, etsi auctores omnes urbem tantum appellent.

AE. RRRR.

NILOPOLIS.

In nomo Heracleote sita. Huic urbi puto tribuendum numum.

Hadriani. Ϫ NЄIΛOT. L. IA. *Caput Isidis.* AE. III. (Mus. reg. Christinae tab. 56.)

Forte rectius scribendum: NЄIΛOΠ., ut supra vidimus HΛIOΠ. Ceterum suspecta hujus numi lectio. Ejus non meminit Zoëga, etsi illius musei opes solerter inspexit. Videtur verius in hoc numo legendum ΠIHΛOT. ac tum erit Belusii, de quo infra.

OASITES.

Trajani. ATT. TPAIAN. CЄB. ΓЄPM. ΔAKIK. Ϫ OACIC. MЄΓ. L. IB. *Mulier stolata stans d. pateram, s. hastam.* AE. I.

Nunc primum Oasitis nomi numus in lucem prodit haud ita pridem in museo Card. Borgiae, quod Velitris est, depositus, ejus ad me descriptionem mittente cl. Zoëga. Nomi Oasitae duo, quin et Oases tres a scriptoribus produntur, quarum una dicta μεγαλη, *magna*, ad quam causa inscripti MЄΓ. pertinet numus praesens, alia μικρα, *parva*. Sitae fuere versus Marmaricam. Ceterum non recoquo, quae de tribus hoc nomine Aegypti urbibus copiose, erudite, ac plane disseruit Cellarius.

AE. unicus.

Digitized by Google

ONVPHITES.

Fere in umbilico τῆς Delta.

Hadriani. Ϫ ONOΤΦΙ. L. IA. *Mulier stans d. extenta.* AE. III. (Belley l. c. Theup.) In alio: *Aries.* AE. III. (Belley l. c.)

AE. RR.

OXYRYNCHITES.

Ad ripam Nili occidentalem supra Memphin. Nomen traxit a pisce, qui ab acuto rostro ὀξυρυγχος dictus, et cum a ceteris Aegyptiis, tum praecipue ab hujus nomi incolis cultus est, cujus complura testimonia collecta vide apud Cellarium.

Hadriani. Ϫ ΟΞΥΡ. L. IA. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. Numus a variis editus, at in simili musei Caes. pro hasta tenet *bipennem.* In alio: *Bipennis tantum.* (Zoëga.) In alio: *Sarapis d. cervum.* AE. III. (Vaill. num. Graec.)

Antonini. Ϫ ΟΞΥΡΥΓΧΙ. L. IH. *Pallas stans d. bipennem, s. Victoriolam.* AE. I. (Vaill. num. Graec. Arigoni.)

AE. R.

PANOPOLITES.

In Thebaide ortiva. Nomen habet ἀπο τοῦ Πανος ab Aegyptiis magni habiti, quod sese Osiridi belli socium junxit, ut refert Diodorus.

Hadriani. Ϫ ΠΑΝΟ. L. IA. *Pan stans pedibus caprinis d. lotum, s. pedum.* AE. III. (Vaill.) In alio: *Iuppiter stans d. aviculam, s. - - -* AE. III. (Mus. Caes. Com. Vitzai.)

* * *

Autonomum etiam huc revocat Pellerinius (Rec. III. p. 3.):

ΘΕΟΥ. ΠΑΝΟC. *Caput Isidis lote ornatum.* Ϫ L. Є. *Cista mystica, cui impositum quid sistro simile.* AE. II.

Mirum, in praesente numo typum ad Isidem, additam epigraphen ad Panа pertinere. Secundum Pellerinium fabrica est plane Aegyptia, atque non dubitat, eum ad hanc Panopolin pertinere. Esse mercem Aegyptiam, cum istud eloquatur fabrica, nolim negare; verum mihi non continuo persuasero, numum propter additam Panos mentionem Panopolin referendum, nam omnibus eum Aegyptiis praecipua in veneratione fuisse praedicat Diodorus [a]). Ceterum difficile videatur, ejus numi locum natalem, sensum, atque usum reperire. Numus similis editus etiam est ab Arigonio, Harduino [b]). Alios similes vide apud Cl. Zoëgam [c]).

AE. RRRR.

PELVSIVM.

Ad ostium alvei in orientem extremi, urbs insignis nominis, tamen ab ea tractum, in quo sita fuit, dictum fuisse nomum, apud veterum neminem reperit Cellarius.

Hadriani. Ϫ ΠΗΛΟΥ. *Caput Isidis.* AE. III. (apud varios.) In alio: *Caput Sarapidis, vel: Sarapis stans d. cervum.*

---

a) L. I. c. 18. b) Hist. Aug. p. 758. c) p. 400.

Digitized by Google

AE. III. In alio suo *bulbum* videre sibi visus est Cl. Zoëga. AE. IV.

AE. R.

PHARBAETHITES.

In Delta alveis Busiritico et Bubastico interceptus, cujus urbs fuit Pharbaethus.

Hadriani. Ϫ ΦΑΡΒΑΙ. L. IA. *Figura stans d. hastam, s. leonem.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 543.)

Pro leone avim vidit Zoëga.

AE. RRRR.

PHTHENEOTES.

In Delta infra Saiten nomum.

Hadriani. Ϫ ΦΘΕΝΕΩΤ. L. IA. *Vir nudus stans utraque manu extenta incertum quid tenet.* AE. III.

Singularem hunc numum edidi ex museo Vitzai in meis num. vett. p. 300.

AE. RRRR.

PINAMYS.

Nomi aut urbis hoc nomine nullus veterum meminit dempto Stephano, Πινυμος πολις Αιγυπτου.

Hadriani. Ϫ ΠΙΝΑ. L. IA. *Caput Herculis.* In alio: *Osiris stans d. cervum sustinet.* AE. III. (Vaill. Aeg. num. et in num. Graec.)

AE. RRR.

PROSOPITES.

In Delta supra Saiten nomum intra alveos Agathodaemonem et Thermuticum.

Hadriani. Ϫ ΠΡΟCΩ. L. IA. *Harpocrates stolatus stans dexteram ori admovet, s. clavam.* AE. III.

Sic rectius cl. Zoëga hunc regis Galliarum numum descripsit, fallente Vaillantii in Aegypto numismatica praeconio. Vide prolegomena ad num. Alex. c. l. Idem numus est etiam in museo Caes.

In aliis: *Sarapis d. cervum*, vel: *Ibis.* AE. III. (Vaill. num. Graec.)

Antonini. Ϫ ΠΡΟCΩΠΙΤΗC. L. H. *Mulier velata stans, cujus caput loti flore ornatum est, d. ori admota, s. clavam.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 230.) In alio: *Mulier sedens dexteram ori admovet.* AE. I. (Vaill. num. Graec.)

M. Aurelii Caes. Ϫ ΠΡΟCΩΠΙΤΗC. L. A. *Harpocrates stans*, ut in praecedentibus. AE. I.

Numum hunc dedit Vaillantius in numis Graecis, verum cum epigraphen, tum typum ex numis praecedentibus correxi.

AE. RR.

SAITES.

In Delta infra Prosopiten. Ipsa Sais inferioris olim Aegypti urbs princeps.

Hadriani. Ϫ CAΙTHC. NOMOC. L. Z. *Pallas stans d. animal crocodilo simile, s. hastam cum clypeo.* AE. I. (Zoëga.)

Ejusdem. Ϫ CAΙT. L. IA. *Pallas stans d. noctuam, s. hastam.* AE. III. (Vaill. Mus. Caes.)

Cl. Zoëga in numo alio simili pro hasta bipennem videt. Vide supra et Oxy-

Digitized by Google

rynchitem. Minerva Aegyptiis *Sais* dicebatur teste Pausania [a]). At secundum Platonem [b]) auctor urbis fuit dea, quae Aegyptiis *Neith*, Graecis Αθηνα vocatur, ipsi vero Saitae se genere cum Atheniensibus conjunctos praedicabant. De ea Cicero [c]): *Secunda* Minerva *orta Nilo, quam Aegyptii Saitae colunt.* Ejus apud Saitas cultum prodidit quoque Strabo, tum et Herodotus [d]), at ritum navigationis per Nilum cum lucernis late describit Themistius [e]).

Ejusdem. Ϫ CAIT. L. IZ. *Pallas stans d. noctuam, s. hastam.* AE. III. (Zoëga p. 138.)

Annus XVII., et quem mox vidimus, VII. in Aegyptia Hadriani moneta omnino insolentes.

Antonini. Ϫ CAЄITHC. L. H. *Pallas*, ut in praecedentibus. AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 230.)

* * *

Vaillantius [f]) edidit Hadriani numum: CAIT. L. IA. typo *caducei alati*, eumque ex reginae Christinae museo citatum huic Aegypti nomo dicavit. Ait cl. Zoëga, in eodem illum museo hodie non reperiri. Equidem crediderim, nam vera ejus numi lectio est: .CA. ЄT. NH., et est Samosatorum Commagenes, ut in his diximus.

AE. RR.

SEBENNYTES.

In Delta ad ostium ejusdem nominis.

Trajani. Ϫ CЄBЄNNYTHC. L. IΓ. *Vir galeatus stans d. hastam, s. parazonium, pro pedibus cervulus.* AE. I. (Zoëga.)

Hadriani. Ϫ CЄBЄN. L. IA. *Bacchus stans d. botrum, s. thyrsum vite obvolutum.* AE. III. (Vaill.)

Ejusdem. Ϫ CЄBЄK. L. IA. *Botrus.* In alio similiter inscripto: *Bacchus stans d. urceum, s. hastam.* AE. III.

Haymius, qui utrumque numum edidit [g]), inde arguit, nomen urbi fuisse Σεβεννυτος, verum cum veteres omnes eam vocent *Sebennyton*, et sic etiam inscribantur alii omnes, apparet, habuisse utrumque nomen et *Sebennytus*, et *Sebecnytus.* Vinum Sebennyticum laudatur Plinio, unde et captum typorum argumentum.

Antonini. Ϫ CЄBЄNNYTHC. L. H. *Miles stans d. hastam, s. parazonium.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 230.)

AE. RR.

SETHROITES.

In Delta ad alveum Bubasticum.

Trajani. Ϫ CЄΘPΩITHC. L. IΓ. *Vir habitu succincto cum flore in capite stat d. hastam, s. parazonium.* AE. I. (Zoëga.)

Antonini. Ϫ CЄΘPOЄITHC. L. H. *Vir capite accipitrino cum calantica et tutulo loricatus et paludatus stat d. tenens hastam, s. accipitrem pileatum.* AE. I. (Zoëga.)

Ejusdem. Ϫ CЄΘPOЄITHC. L. IЄ. *Vir paludatus stans d. hastam, s. accipitrem.* AE. I.

In simili Haymii paludata haec figu-

a) in Boeotic. b) in Timaeo. p. 22. c) Nat. deor. L. III. d) L. II. §. 175. e) Orat. IV. sub. init. f) num. Graec. p. 36. g) T. II. p. m. 273.

Digitized by Google

ra caput accipitris loto exornatum praefert.

AE. RR.

TANITES.

In Delta mediterraneus intra Busiriticum et Taniticum alveos.

Hadriani. Ɛ TANI. L. IA. *Miles stans d. accipitrem, s. hastam.* AE. III. (Vaill.)

AE. RRRR.

TENTYRITES.

In Thebaide ab occasu Nili.

Hadriani. Ɛ TENTTP. L. IA. *Vir stans d. accipitrem, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Tentyritae ut infesti fuerunt Crocodilis, ita accipitribus devoti [a]).

Antonini. Ɛ. TENTTP. L. IA. *Mulier stans d. accipitrem, s. hastam.* AE. II. (Vaill.)

Cl. Zoëga sese hunc numum non reperisse in museo regio, ex quo eum citat Vaillantius, testatur, et esse verius eundem cum praecedente Hadriani conjicit.

AE. RR.

THINITES.

In Thebaide ad Nili ripam occidentalem.

Hadriani. Ɛ ΘINI. L. IA. *Osiris stans capite radiato s. icunculam.* AE. III. (Vaill.) *Alius sed* AE. IV. (Pellerin Addit. p. 92.)

In simili musei Theupoli dicta figura duplicem faciem habet, senilem aliam, aliam juvenilem.

AE. RRRR.

XOITES.

In Delta maritimus intra alveos Thermuticum et Busiriticum.

Hadriani. Ɛ ΞOIT. L. IA. *Harpocrates stolatus stans d. avim, s. clavam.* AE. III. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 541.) In alio: *Aries stans cum globo supra caput.* AE. IV. (Zoëga.)

AE. RRRR.

---

a) Iuven. Sat. XV. Aelian. Nat. anim. L. X. c. 24.

Digitized by Google

MARMARICA.

AMMONIA.

Imperatorium Faustinae senioris, in cujus aversa: AMMΩN. *Caput Iovis Ammonis*, tribuendum censet Pellerinius aut loco, in quo celebre Ammonis templum in Marmarica stetit, aut Paraetonio, quod teste Strabone dicebatur quoque Ammonia [a]). Sed leves sunt hae conjecturae. Multae Graeciae late sumptae urbes Ammonis caput numis suis intulere; sin istud, poterant etiam addere ejus nomen, quod ipsum fecerunt etiam Mytilenaei Lesbi adscripto: ΘЄOC. AMMΩN. Equidem non facile in Marmarica opum nostri argumenti sterili numo patriam quaererem.

APIS, BATRACHVS.

Imperatorium edidit Pellerinius (Suppl. III. p. 125.):

Sine epigraphe. Caput Hadriani laur. ℞ L. IΘ. *Rana.* AE. III.

Est hic numulus ejusdem fabricae, cujus sunt numi nomorum Aegypti eidem Hadriano dedicati. Conjicit Pellerinius, numum hunc tribuendum *Batracho* Marmaricae portui, et esse ex eorum numero, qui patriam suam typo eloquuntur, nam βατραχος Latinis est *rana*. Pelleriniano huic addo alium fabrica et volumine simillimum, sed tempore priorem, quem nuper museo Caesareo intuli:

′ - IB. KΛ. - - - *Caput Claudii laur.* ℞ L. I. *Rana.* AE. III. (Mus. Caes. Baudelot Vtil. de Voy. T. II. tab. 1.)

His addere juvat alium numum Pellerinii. (Rec. III. p. 3.)

L. B. *Bos stans.* ℞ *Ibis stans.* AE. III.

Pellerinii judicium de Batrachi numis si sequendum putes, licebit numum praesentem referre ad urbem *Apin* ejusdem Marmaricae Paraetonio vicinam, quam Plinius nobilem religione Aegypti locum vocat. Vide de numis similibus cl. Zoëgam [b]).

PETRA.

Non temere adsensero Pellerinio, existimanti, *autonomum*, in quo ΠЄ-PA. *Delphinus.* ℞ *Tridens.* AE. III. (Rec. III. p. 177.) ad hunc Marmaricae portum posse pertinere. Videtur merx Cretica.

---

a) Mel. I. p. 25. b) Num. Aegypt. p. 400.

Digitized by Google

CYRENAICA.

Propter urbes quinque praecipuas etiam *Pentapolis* dicta, regio si qua alia felix a veteribus habita, atque, ut numi ipsi demonstrant, opibus abundans. Beatae hujus regionis historiam late scripsit Belleyus [a]). Eo colonos duxit jubente oraculo Battus Therae insulae rex domo Lacon, sic dictus propter linguae usum impeditum, quo tamen malo appulsus in Africam liberatus fuit. Ibi occupato monte Cyra urbem ab hoc Cyrenen dictam in loco amoeno et fontibus irriguo aedificavit. Haec in Graecorum annalibus vera perhibentur. Sed fabula docet, virginem Cyrenen Hypsei Lapitharum regis filiam raptam ab Apolline et huc translatam ex Pelio Thessaliae monte, a qua urbi nomen factum, atque ex hoc conjugio natum fuisse Aristaeum. Cyrenes initia ac postea vices late persequitur Herodotus [b]), ac compendio et dilucide Iustinus [c]).

Variam hujus urbis monetam distribuimus in numos I. Cyrenaicae liberae, II. Cyrenaicae regiae, III. Romanae.

I. Numi Cyrenaicae liberae.

Describam hic nullo discrimine numos *Cyrenes* nomine notatos, seu ii ad totam provinciam, seu urbem Cyrenen pertineant. Sunt ii insigni artificio, et abundant in auro, argento, et aere, ut adeo vel haec ipsa nobis superstes Cyrenes opulentia satis comprobet veritatem adagii veteribus familiaris: ὅτι ἐνταῦθα ὁ ὐρανος τετρηται, *eo loci coelum hiare*, ex quo nempe hiatu subsidia ad vitam beatam omnia delaberentur, cujus adagii meminit Herodotus [d]), et explicatius Eustathius [e]). Egregiam numorum fabricam non mirabitur, cui ex Aeliano constat, Cyrenaeos magnos sumptus fecisse in homines gemmas scalpendi peritos [f]). Auro abundasse Cyrenaeos docuit Palaephatus [g]), et de eorum numis aureis Pollux: (L. IX. §. 62.) ἦν μεντοι, ὡς Αριστοτελης φησιν, ἐν Κυρηνῃ και τετραστατηρον, και στατηρ, και ἡμιστατηρον, χρυσα νομισματα. *Et erat auctore Aristotele in Cyrene quadristater, et stater et semistater moneta aurea.* Sed juvat conversam urbis florentissimae fortunam ex Synesio, qui Cyrenaeus ipse fuit, discere, cujus verba sunt interprete Petavio [h]): *Cyrene Graeca civitas, antiquum et venerabile nomen, infinitis olim sapientum carminibus celebrata, nunc pauper et humilis, ingentiaque ac*

a) B. L. T. XXXVII. p. 363. b) L. IV. c) L. XIII. c. 7. d) L. IV. c. 158. e) ad Dionys. v. 213. f) V. H. L. XII. c. 30. g) de incred. c. 32. h) de regno p. 2.

Digitized by Google

deserta ruđera, cui regia munificentia opus est, si quid gerere velit vetere illa sua origine non indignum.

Autonomi:

Epigraphe: KT. KTPA. KTPANAIΩN. Est hoc pro KTPHNAIΩN, secundum dialectum Doricam, quam traxere a Thera insula, cujus incolae fuere Lacones, ut supra docui, et consentit Strabo [a]): ἐστι (Κυρηνη) Θηραιων κτισμα Λακωνικης νησου, et Iosephus [b]): Κυρηναιοι το Λακωνων γενος.

Typi: exhibentur his, quae apud Cyrenaeos plurimum valuere, et quorum partem jam expressit Antiphanes apud Athenaeum [c]), etsi horum nonnulla per jocum commemorantur.

- - - - ἐκεισε δ' ἐκπλεω,
Οθεν διεσπασθημεν, ἐρρωσθαι λεγων·
Απασιν ἱπποις, σιλφιῳ, συνωρισι,
Καυλῳ, κελησι, μαζοις, πυρετοις, ὀποις.

At illuc hinc mari proficiscor,
Vnde divulsi sumus, cum valedicerem
Omnibus equis, silphio, bigis,
Cauli, desultoribus, mammis, febribus, succis.

Typi celebriores ac magis usitati sunt:

Iuppiter Ammon.

Hujus caput barbatum cum cornu arietino obvius typus, et ex ipsis veterum testimoniis, quae infra in *silphii* typo citabo, monetae Cyrenaicae proprium. Ejus ratio est famigeratum templum Ammonis in eo tractu positum, sic ut Dionysius Periegetes, quod jam advertit Spanhemius, utrumque locum conjungat [d]):

Και τεμενος Λιβυκοιο θεου, Ψαμαθῳ ὑπο πολλῃ,
Κυρηνη τ' ἐυιππος, Αμυκλαιων γενος ἀνδρων.

Et fanum Libyci dei, arena sub multa,
Et Cyrene bonos equos habens, Amyclaeorum genus hominum

At quaeri potest, sitne caput eodem cornu armatum, at imberbe, quod etiam in his numis saepe conspicitur, ejusdem Ammonis. Ex aliquorum eruditorum sententia istud non repugnaret, nam Pellerinius caput simile in numis Teni insulae revera Ammonis profitetur. Occurrit tamen, verius esse Bacchi, cui jure in Cyrenes moneta locus permittendus. Nam ex Libyum doctrina, ut passim per librum III. refert Diodorus Siculus, fuit Bacchus Ammonis filius, ac singillatim docet ejusdem libri capite 72., eapropter filium Bacchum simili facie, nempe cornuta ostentari. Quare Cyrenaei Ammonis cultui impense dediti hujus quoque filio locum in moneta concesserint, atque ut a patre distinguerent, videntur finxisse imberbem. Ejusdem ergo Bacchi caput etiam in Teni numis video. Cur viri eruditi, qui gemmas veteres Ducis Aurelianensis descripsere, in hoc capite imberbi Battum conditorem videant [e]), ignoro. Ejus ipsi causam non adferunt. In nonnullis Ammonis caput diademate praeterea redimitur, ut in aeneis Ptole-

a) L. XVII. b) de bell. Iud. L. II. c) L. III. p. 106. d) v. 212. e) Tom. I. p. 29.

Digitized by Google

naeorum Aegypti regum. In aliquibus aureis idem, ut videtur, Iuppiter stat ad aram, d. pateram tenens. Liebeus, cum in simili juxta scriptum legeret ΠΟΛΙΩΝΔΕΤΣ, inde *urbium Iovem* finxit [a]), at in simili magis integro Pellerinii et musei Caesarei est certus magistratus ΠΟΛΙΑΝΘΕΤΣ.

* * *

Silphium, σιλφιον, Latinis *laserpitium*, qua planta Cyrene cumprimis nobilitata fuit, sic ut nuspiam alibi laetius excresceret, et copiosius, et Theophrastus de ejus tractus plantis loquens addat: *ἰδιωτατον δε παντων το σιλφιον, omnium vero maxime proprium est silphium* [b]), et Catullus Cyrenen dicat *laserpitiferam* [c]). De ejus praestantia, et quomodo tandem apud Cyrenen testibus Strabone et Plinio defecerit, lege doctissimum Spanhemium, qui de eo fuse agit [d]), et Belleyum [e]). Hoc silphium in plerisque Cyrenes numis atque in solis fingitur, sic ut eo conspecto aliam opus non sit numo patriam circumspicere; nonnunquam alio in aversa typo principe tamen in area minutiore forma comparet. In numo musei Medicei, quem olim edidi [f]), visuntur silphia tria in triquetrae formam disposita. Hujus quoque in moneta Cyrenaica typi jam meminere veteres. Narrat scholiasta Aristophanis [g]), Libyes conditori Cyrenes Batto honoris causa obtulisse pulcherrimam plantarum silphium, Battumque monetae insculpsisse, cui urbis genius manu una regnum, altera silphium offert. Ejus vadem citat Aristotelem in Cyrenaeorum rep. Cum hoc quidem typo nomus hactenus conspectus non est. Hesychius [h]) ait: *Batti silphium. Paroemia de iis, qui insolitos honores consequuntur; ducitur autem metaphora a Cyrenaeis, qui Battiadis silphium tanquam insigne obtulerunt, quod in praecipuo apud eos honore est, sic ut in eorum numo hinc Ammon, inde silphium sculptum sit.* Similia narrat Suidas. (sub ead. voce.) Continetur autem proverbium illud in Aristophanis Pluto [i]):

ὐδ' ἀν εἰ δοιης γε μοι
Τον Πλουτον αὐτον, και Βαττου σιλφιον.
neque si dares mihi
Plutum ipsum, et Batti silphium.

* * *

Palma in Cyrenes numis non infrequens, et merito, nam hanc arborem in sola Iudaea et Cyrenaica frugiferam praedicat Plinius.

* * *

Victoria in citis quadrigis, in numis aureis. (Liebe Goth. num. Pellerin.)

Videntur hoc typo indicari victoriae in Graeciae ludis a Cyrenaeis relatae. Lege et sequentia.

* * *

Eques citato cursu, equus liber currens vel gradiens, rota. (Pellerin.)

Tulit Cyrenaica generosos equos, quare eam etiam a Dionysio supra vidimus dici ἱππιον, uti et a Callimacho apud Strabonem, qui posterior eam

---

a) Goth. num. p. 14. b) hist. plant. T. XXXVI. hist. p. 22. c) Carm. VII. d) T. I. p. 293. e) B. L. f) Num. vet. p. 303. g) ad Plut. v. 926. h) in Βαττου σιλφιον. i) v. 925.

Digitized by Google

quoque vocat ἱπποτροφον ἀρίστην, *optimam equorum altricem* a). Rotae typus frequentem vehiculorum usum confirmat, nam Pindarus Cyrenen appellavit ἁρματων πολιν, *curribus praestantem urbem* b), et quadrigarum studio Cyrenaeos ex longo inclytos tradit Xenophon c), et quidem sic κατ' ἐξοχην, ut, cum maximus Tyrius varia exercitia commemoraret, quibus variae nationes excelluere, ut Cretenses venatu, Thessali equitatu, Aetoli praedis agendis etc. addat etiam, τα Κυρηναϊκα διφρειαι, *Cyrenaeos aurigandi arte excelluisse* d). Ergo ii Alexandro M. ad Ammonem profecto obtulere CCC. equos ad bellum idoneos, et V. eximias quadrigas teste Diodoro e). Ipsam vero vehiculorum apud Cyrenaeos licentiam hospitibus fuisse gravem et damnosam, lepide conqueritur Alexis apud Athenaeum f):

Ανθρωπος εἰναι μοι Κυρηναιος δοκεις,
Κἀκει γαρ ἀν τις ἐπι το δειπνον ἑνα καλῃ
Παρεισιν ὀκτωκαιδεκ' ἀλλοι, και δεκα
Ἁρματα, συνωριδες τε πεντεκαιδεκα.
Homo esse mihi Cyrenaeus videris,
Nam ibi si quis vel unum ad coenam
vocaverit,
Adsunt decem et octo alii, et decem
Currus, et bigae quindecim.

* * *

ΚΤΡΑΝΑ. *Caput muliebre.* ÆE. II. (Pellerin.)

Est haec Cyrene Nympha ab Apolline adamata, quae secundum Cyrenaeorum mythologiam urbi nomen dedit, ut dictum supra.

* * *

Caput Apollinis. Ꝟ. ΚΤΡΑ. *Lyra.* ÆE. III.

Numi obvii. Cyrenen Apollinis beneficio omnibus bonis auctam, atque hac de causa illi impense obstrictam memorat Callimachus ejus urbis nobilis civis g):

Ουδε πολει τοσ' ἐσιμεν ἀφελσιμα, τοσσα Κυρηνῃ
Μαιομενος περσεως ἀρπακτυος, ὐδε μιν αὐτοι
Βαττιαδαι Φοιβοια πλεον θεον ἀλλον ἐτισαν.
Neque alteri urbi tot concessit bona,
quot Cyrenis
Memor veteris raptus (Cyrenes) aequae ipsi
Battiadae Phoebo impensius deum
alium colunt.

* * *

Ex minoribus typis in Cyrenes moneta conspicuis memorabile animalculum gliri nostro domestico simile, quod in numo Haymiano ad silphii pedem excubat, quodque Haymius, qui ejus iconismum ad naturae magnitudinem sistit, et copiose describit, Hieronymi ἀρκτομυν putat h). Testatur Iacobus Bruce in suo Abyssiniae itinerario nuper vulgato, animal istud, quod *Ierboa* Arabibus dicitur, nusquam majore copia, quam in Cyrenaica reperiri.

---

a) L. XVII. b) Pyth. Od. IV. v. 3. c) de instit. Cyri L. VI. d) Dissert. XXIII.
e) L. XVII. §. 49. f) L. XII. sub init. g) in Apollin. v. 94. h) Tom. II. p. 149.

Digitized by Google

* * *

Commune.

Caput Ammonis. ☧ KOINON. *Silphium.* AE. II. (Pembrock, Pellerin.)

Ehellius in simili, sed in quo ultima litera deficit, infeliciter *Coenopolin* Cyrenaicae extudit [a]). Ptolemaeus, qui unus hanc urbem prodit, eam vocat Καινοπολιν.

* * *

Magistratus nullo dignitatis indicio.

ΠΟΛΙΑΝΘΕΤΣ. in binis Pellerinianis, et musei Caesarei. Lapsum Liebei in legendo et explicando hoc nomine supra attigi. ΚΤΔΙΟΣ. (Pellerin.) ΘΕΤΦΕΙ. retrograde. (Pellerin Mel. I. p. 144. et Pembrock T. I. tab. V.) ΘΕΤΦΕΙΔΕΤΣ. (Pembrock ibid.) ΙΑΣΟΝΟΣ. (in binis Hunterianis.) ΚΑΙΡΙ. in Mediceo, quem edidi. (Num. vet. p. 303.)

* * *

Non hic omittendus numus editus ab Harduino [b]):

ΔΑΜΩΝΑΚΤΟΣ. *Vir capite diademato, radiato, cornuto stans d. victoriolam, s. hastam, pro pedibus aries.* ☧ ΚΤΡΑΝΑΙΟΝ. *Quadrigae.* AV.

Bimardus hujus numi facta mentione censuit primum [c]), eum ex omnibus numis Graecis nobis cognitis esse longe vetustissimum, quoniam Demonactem prodit, qui ex Arcadia evocatus est, ut pro Batto IV. puero res Cyrenes procuraret, quod contigerit exeunte altero V. C. saeculo, regnante Cyro, secundum ea, quae de eo prodit Herodotus [d]). Idem Bimardus aliquanto serius mutavit mentem [e]), nam cum numum ipsum ad trutinam revocaret, videretque in eo elementum Ω, quod Demonactis aetate repertum nondum fuit, inde collegit, numum esse aetatis multo inferioris, et vocabulum inscriptum aliud non notare, quam magistratum Cyrenaicum. Quod sane verissimum, neque adeo necessarium existimare cum Winkelmanno [f]), vel Wesselingio [g]), veteris ejus Demonactis in hoc numo renovatam fuisse memoriam.

* * *

Recitatis certis Cyrenaicae numis commemorandi etiam, qui eruditorum conjectura huc referendi videntur. Ecce!

1. ETA. *Caput Palladis.* *Caput muliebre turritum.* AV. II. III. (Mus. Caes. et alibi.)

2. ETA. *Caput muliebre turritum. Leo gradiens, cui insistit aquila, superne astrum.* AV. III. Editus a me ex Mediceo. (Num. vet. p. 303.)

3. ETA. *Caput Palladis.* BA. *Caput muliebre turritum.* AR. (Mus. Caes. Pellerin Rec. I. p. 136.)

4. ETA. *Caput Palladis.* BABIK. *Caput muliebre turritum.* AR. (Goltz. in Graec. tab XI.)

---

a) Adpendic. II. p. 93. b) Mem. Trevoux Août. 1727. c) ad Iobert. T. I. p. 28. d) L. IV. c. 161. e) ibid. p. 455. f) Hist. art. Vol. II. p. 176. edit. Fcae. g) ad cit. loc. Herodoti.

Digitized by Google

5. ETAIΩN. *Caput Palladis.*
BABIK. *Caput muliebre turritum.* AV. (Goltz. ibid.)

6. *Caput Palladis galeatum.*
K. *Caput muliebre turritum.* AV. (Mus. Caes.)

7. BA. *Caput juvenile diadematum, et hemicyclis ornatum.*
K. *Caput muliebre turritum.* AV. (Mus. Caes. Thes. Brand. T. I. p. 264.)

8. BA. *Caput idem.*
NI. *Caput muliebre turritum.* AR. (Mus. Caes.)

9. BA. *Caput Dianae cum pharetra.*
ΠN. *Caput muliebre laureatum.* AR. (Mus. Caes.)

10. BA. *Caput muliebre nudum.*
ΠN. *Caput muliebre laureatum.* AR. (Mus. Caes.)

11. BA. *Caput muliebre turritum.*
NK. (in monogr.) *Caput Apollinis cum arcu.* AR. (a me editus ex Mediceo num. vet. p. 306.)

12. A. *Caput Palladis.*
K. *Caput muliebre turritum.* AV. (Pembrock tab. V.)

13. ETA. *Caput Palladis.*
BIA. *Caput muliebre turritum.* AR. (Mus. Neumann.)

De numis hic descriptis, eorum excellente in paucis fabrica, et quorsum videantur pertinere, alibi fusius egeram [a]). Qui ETA. inscribuntur, eos Goltzius, Begerus, Harduinus, aliique hos secuti Evae Arcadiae tribuere non dubitaverunt. Recentiores re adcuratius expensa jure coeperunt veterem hanc sententiam fastidire. Nam credibile nullo pacto est, Evam Arcadiae oppidum vix cognitum tot ac tam eximios in auro signasse numos, cum tamen nobilissimarum Graeciae urbium et quarum notae fuere opes, raros habeamus ex hoc metallo, plerarumque sane nullos. Abstineo argumentis aliis, cum hoc unum omnino sufficiat ad aspernanda veterum judicia. Pellerinius, aliique verisimilius censuere, eos Cyrenen avecandos, partim quod ejus copiosi sunt numi aurei, partim quod citati numi spectata fabrica non abludunt a certis Cyrenaicis, quorum utrorumque labor artifices prodit peritissimos. Atque hae solae sunt rationes, quibus novae sententiae patroni nituntur, nam spectatis typis nihil habent cum notis Cyrenaicis commune, non silphium, Ammonem, lyram, retam etc.: Caput Palladis in nullo certo Cyrenaico conspicitur. Numus II. forte propius res Cyrenaeorum contingit, nam si caput anticae est Cyrenes Nymphae conditricis habitae, leo partis aversae facile ad eam ipsam poterit referri, nam bis eam cum leone congressam tradidere Pindarus et Callimachus, ut pluribus ibidem docui [b]).

Quod ad numos inscriptos BA. atti-

a) Num. vet. p. 303. b) pag. 305.

Digitized by Google

net, existimavit Begerus, το BA. numi sui, quem loco VII. descripsi, et adstitutum caput juvenile indicare *Battum* IV. Cyrenes regem, et το K partis aversae esse literam ἀρχαιησαν vocabuli Κυρανιων. At vero idem BA., ut in descriptis modo numis vidimus, ponitur etiam frequenter juxta caput muliebre, et in simili num. XIII. est BIA., in aliis pro K variae sunt literae aliae et monogrammata. Numi fabrica nimium elegans persuasit Frölichio, ut omisso Batto, cujus aevum tantae capax elegantiae non videtur, hos numos Alexandri M. aetati admoveret, et divisis literis legeret: Βασιλεως Αλεξανδρυ [a]) quae tamen sententia nullam habet veri speciem. Begero suppetias tulit Bimardus perhibens, museo regio recens illatos fuisse numos inscriptos APK., et BA. vel BAT. ac praeterea K. vel KTP., quas varias inscriptiones legendas docet: APKεσιλαυ vel BATτυ KTPανιων, tribuendos adeo Batto IV. et Arcesilao Battiadarum regibus postremis, et quoniam hi reges synchroni fuere Cyro et Cambysi, inde sequi ait, hos numos omnibus hactenus cognitis esse vetustiores [b]). Verum Bimardum plene refellit Barthelemyus, qui iisdem numis in examen vocatis eum deceptum esse docet legendo KTP. APK. pro certo KTPANA, legendo item BAT. pro constante in numis BA., ut adeo omne illud subsidii, quod Begeri causae ex Bimardi praeconio adfulsit, suapte evanescat [c]). Ceterum hos quoque numos nunc passim ex iisdem causis, quas antea dictavi, Cyrenaicos esse suspicantur eruditi, quamvis spectatis typis nihil habeant Cyrenaici, tam parum ac ii, qui ETA. inscribuntur, ut adeo istud numorum genus plus adhuc lucis desideret.

Quaeritur denique, quis sit sensus vocabulorum ETA. et BA. in his numis toties occurrentium? Istud dubium haud difficulter posse expediri censeo, statuendo, esse decurtata magistratuum nomina. Si numi Goltziani loco IV. et V. descripti non fallunt, erit ETA. contractum ETAIΩN, quae vox perinde nomen Graecum viri esse potest, ac Αλκμαιων, Ακταιων etc. atque id tanto pronius, quoniam magistratuum vocabula in numis Cyrenaicis passim in casu recto efferri videmus, et exstat Ευαιων nomen viri proprium apud Aristophanem, et Demosthenem. Eadem ratione το BA. erit forte pro descripto plenius apud Goltzium BABIK. Si numi hi revera Cyrenen pertinent, haec compendia facile ex ejus ipsius numis certis illustrantur; nam in his legere est ΘE. et ΘETΦEI. et ΘETΦEIΔETΣ, quae trina exempla sola tabula V. numorum aureorum in catalogo Pembrochii suppeditat. His adde ΔAM. KTΔ. ΠO., quae plenius in aliis scribuntur ΔAMΩNAKTOΣ, KTΔIOΣ, ΠOΛTANΘETΣ, ut erudite advertit Pellerinius [d]).

---

a) Notit. elem. p. 138. b) ad Iobert. T. I. p. 456. c) B. L. T. XXVI. p. 535.
d) Rois p. 52.

Digitized by Google

II. Numi Cyrenaicae regiae. *Numi:*

De numis Demonacti, Batto, et Arcesilao, qui Cyri aetate Cyrenaicam rexere, perperam tributis paullo supra egimus. Qui sequuntur, cum Ptolemaeis congruunt.

MAGAS.

Regis hujus historiam ac numos solita eruditione ac perspicacia conscripsit literatae Galliae insigne quondam decus Belleyus, cum nobilem amethystum ex museo Ducis Aurelianensis promulgaret, cui insculptum caput Magae imberbe diadematum, et cornu Ammonis munitum subjecta epigraphe ΜΑΓΑΣ, et silphio faciei adstituto [a]). Ejus historiam sic paucis habeto:

Fuit filius Philippi cujuspiam Macedonis ignobili loco nati, et Berenices, alteris nuptiis Ptolemaeo Soteri junctae. Hic Soter subjiciendae sibi Cyrenaicae intentus, cui primum Thimbro Harpali pecuniis adjutus, deinde Ophellas libertatem ademerant, Magam privignum illi primum expeditioni, deinde cum res e voto cessisset, regioni captae praefecit. Cum diu in officio permansisset, regni ipse cupidus a fratre uterino Philadelpho Ptolemaeo deficit, ac praeparato utrinque magnis animis bello tandem in paeis conditiones itur. Mortuus est, cum Cyrenaicam ipsos annos L. rexisset, V. C. 498. A. X. 256.

Ex uxore Apame Antiochi I. Soteris filia genuit *Berenicen* Ptolemaeo III. Evergetae nuptam.

Non hic repeto numos aeneos cum capite Berenices, quae fuit Ptolemaei I. Soteris uxor, et Magae nostri mater, aut cum capite Ptolemaei II. Philadelphi, quos vide in utriusque moneta, quosque in Cyrenaica et a Maga signatos, ex adstituto monogrammate ΜΑΓ. intelligi dixi.

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΑΓΑ. *Caput muliebre diadematum dependentibus cincinnis.* AE. II. (Pellerin.)

Cujus sit caput regium partis anticae, examinandum. Satis apparet, creditum Pellerinio, esse caput Magae. Verum collata gemma supra citata, quae certum hujus regis caput sistit, per diversissima oris lineamenta viri eruditi sententiae diffidere cogit. Idem Pellerinius caput aversae esse uxoris Apames existimat. Sed neque istud adridet. Enimvero capita, quae sunt in numo praesente, adeo sunt similia capitibus, quae offerunt numi aenei inscripti ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ., quos in moneta Ptolemaei I., quod huic a plerisque tribui solent, recitavi, ut, qui ea contendere volet, inficiari non possit, esse in utrisque eadem. At in his caput anticae esse nequit regis Magae, cujus, ut dixi, diversam effigiem offert amethystus; neque esse potest Ptolemaei I., nam tum caput aversae esset ejus uxoris Berenices, sed hujus numus certus multo diversum et vultum et capitis cultum offert. Reliquum est, ut in utriusque his numis caput anticae tribua-

a) B. L. T. XXXVI. hist. p. 18.

Digitized by Google

mus Ptolemaeo Philadelpho, caput aversae ejus uxori Arsinoe, dicamusque eos omnes in Cyrenaica a Maga signatos, inserta vero Philadelphi et uxoris capita, quod pro Philadelpho Cyrenaicam administraverat, atque etsi subinde defecit, regisque nomen palam usurpavit, ut vel praesens numus docet, fieri tamen poterat, ut se una regem, una ab Aegypti regibus pendere profiteretur, eodem modo, quo Evagoras olim Cyprius pariturum se Artaxerxi Mnemoni dixit, sed ut regem regi. Et vere numos, de quibus ago, non fuisse signatos in Aegypto, etsi epigraphen ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. praeferant, inde facile patet, quod nonnisi postrema Ptolemaeorum aetate numis aeneis in Aegypto cusis regum reginarumque capita sunt illata, his aureae et argenteae monetae reservatis. Ergo signati sunt in Cyrenaica, praeeunte hoc Magae numo, illis, si epigraphen demas, simillimo.

Vera Magae effigies ex amethysto, cujus supra memini, capta arietis cornu tempori adstitutum offert, adsumpto nimirum Iovis Ammonis cultu, cujus templum in contermina Marmarica stetit. Simili cultu etiam Ptolemaeum Apionem mox videbimus.

* * *

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙ-ΛΕΩΣ. ΠΤΟ - - - *Silphium.* AE. II. (Pellerin.)

Hunc numum Pellerinius cum priore Magae conjunxit, sed tamen inter incertos reposuit. Cum in hoc caput regis eadem habeat lineamenta, quae sunt in dicto Magae numo, eum etiam inter numos refero a Maga Philadelphi nomine in Cyrenaica signatos.

* * *

ΒΑ. *Equus currens.* Ϟ ΜΑ. *Aries Libycus.* AE. III. (Pellerin Rois p. 202.)

Eidem Magae hunc numum tribuendum puto non modo propter vocabulorum initia, sed et propter arietem Libycum Cyrenaicae proprium, ut mox in Apione videbimus.

AE. RR.

PTOLEMAEVS *vulgo*

APION.

Mortuo Maga Cyrenaica per filiam Berenicen Ptolemaeo III. Evergetae nuptam ad Aegypti reges rediit. Fratribus Ptolemaeo VI. Philometore et Ptolemaeo VII. Physcone dissidentibus pax ea lege coaluit, ut Physconi Libya cum Cyrene cederet. Huic ex Irene concubina natus filius, cui propter macilentiam cognomen Απιων, *non pinguis*, fuit, Cyrenaicam a patre abstulit, moriensque cum prolibus careret, praeterita cognata Ptolemaeorum gente populum R. regni haeredem scripsit V. C. 658. A. X. 96 [a]).

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Caput regis imberbe Ammonis cornu mu-*

a) Iul. Obsequens.

Digitized by Google

nitum. ℞ KOIN. KTP. *Silphium.* AE. (Spanheim T. I. p. 296.)

Aries Libycus. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila fulmini insistens.* AE. (Haym. T. II. p. 27.)

Hactenus nullos Ptolemaeo Apioni numos tributos video, sed non vereor adfirmare, illi in utrumque, quem coram proposui, jus esse. Eorum prior per typum silphii Cyrenaicus certo est, ac tum dubitari nequit, caput anticae arietis cornu onustum esse Apionis, nam et Magam eodem cultum modo supra in amethysto Ducis Aurelianensis vidimus. Etiam numus alter per arietem umbrosa cauda conspicuum Cyrenaicam olet secundum ea, quae infra ad Heracleam Cyrenaicae, et in numis Cyrenaicae Romanae monebimus. Neque vero typus similis in numis, quos certo constet in Aegypto signatos, occurrit. Et vero credibile est, Apionem, qui annos XIX. Cyrenaicae regia potestate praefuit, suam habuisse monetam. Novi, in numo ex descriptis primo non agnituros caput Apionis illos, qui ejus regis censent esse capita juvenilia capillis in cincinnos volutis et pendentibus, quae sunt in gemmis et marmoribus, secuti nempe oraculum Fulvii Vrsini, cujus deinde sequaces enumerat auctor anonymus Tomo I. Antiquitatum aenearum Herculan. p. 201. At enim taedet refutandis his virorum eruditorum de hoc Apionis capite judiciis inhaerere, ut universe in definiendis capitibus illiteratis, quae veterum monumenta offerunt, multa videmus prodita arbitrarie, multa ridicule.

AE. RRRR.

III. Numi Cyrenaicae Romanae.

Romani Ptolemaei Apionis testamento inde ab anno V. C. 658. Cyrenaicae haeredes non tamen continuo haereditatem adivere permissa interim populo libertate, qua cum is pacate uti nesciret, Cyrenaicam in provinciam redegerunt, et Cretae conjunctam, quae eadem tempestate Romanorum jugum subivit, propraetori administrandam dedere V. C. 688., quae omnia uberius exposita vide apud Belleyum [a]). Habemus numos Cyrenaicos magistratus R. nomine inscriptos cum Latinos, tum Graecos, quorum complures edidit Pellerinius [b]), quos tibi hic sisto.

S. CATO. *intra lauream.* ℞ *Sine epigraphe. Aries Libycus.* AE. III. (Pellerin. l. c.)

S. CATO. PR. *Sella curulis.* ℞ *Epigraphe et caput Augusti.* AE. II. (Mus. Caes.)

S. CATO. PROCOS. *intra lauream.* ℞ *Epigraphe et capita opposita Augusti et Agrippae.* AE. I. (Pellerin Rec. I. p. XXIII. Mus. Caes.)

ΠΟΤΠΙΟC. *Aries Libycus.* ℞ POTPOC. TAMIAC. *Sella et hasta quaestoria.* AE. III. (Pellerin l. c.)

ΑΤΛΟC. ΠΟΤΠΙΟC. L. *Caput Ammonis.* ℞ TAMIAC. ANTICTPA. L. A.

a) B. L. T. XXXVII. p. 374. b) Rec. I. p. 10.

Digitized by Google

Sella curulis intra fasces. AE. II. (Pellerin l. c.)

ΠΟΤΠΙΟC. ANTICTPA. L. A. *Sella curulis intra fasces.* Ϫ KAI. TAMIAC. L. *Caput Ammonis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Huc etiam pertinent propter typi similitudinem numi Lollii, quos vide apud Morellium in gente Lollia, et de quibus agam distincte in ejusdem gentis numis, nam implexa omnino quaestio est, in qua provincia omnes ii, qui ibi proponuntur, signati sint.

Vaillantius et Havercampus in lectione epigraphes numorum Pupii, quoniam ea in omnibus manca fuit, insigniter lapsi sunt, et quoniam in horum uno legere sibi visi sunt NIKAIEΩN, cum aliosque omnes in Bithyniam ablegarunt, in quem scopulum impegit etiam Spanhemius a Vaillantio deceptus [a]). Ex citatis igitur hic Pellerinii numis vera petenda lectio. Pupii numos copiosius explicabo in gente Pupia. Hic tantum adverto, in numis Catonis epigraphen esse Latinam, in numis Pupii Graecam. Videntur posteriores aetate praecedere, retinuerintque Romani, cum primum ea regione potiti sunt, linguam ibi receptam. Sub Augusto Cato Latinam induxit.

Magistratus habemus in his numis:

Catonem *Praetorem*, tum *Proconsulem.*

Pupium *Quaestorem propraetore*, de quibus muneribus vide, quae dicentur in Observatis generalibus quarti hujus voluminis cap. I. sect. II. §. 3 et 4.

Ceterum ob scriptorum defectum vix aliquid de Cyrenaicae sub Romanis regimine statui potest, quod jam questus est Pellerinius, et uberius Belleyus in erudita sua Cyrenaicae historia [b]).

AE. RRR. cum integri sunt et sani.

* * *

Imperatorium Titi edidit Patinus, (Num. Impp.)

ΦΛAT. KTPHNH. *Caput muliebre cum proboscide.*

Eundem numum restituit Morellius [c]). De Vespasiano Suetonius [d]): *Quaestor Cretam et Cyrenas provinciam sorte cepit.* Credibile igitur, a Vespasiano in provinciam sibi pridem cognitam derivata beneficia, unde Cyrene *Flaviae* epitheton receperit.

AE. RRRR.

ARSINOE.

Maritima, olim *Teuchira.*

Autonomum huc refert Pellerinius:

Caput muliebre velatum. Ϫ APΣI. KT. *Cervus stans flexo uno genu et respiciens.* AE. H.

Praetensam epigraphen parum esse integram ac fidelem, consultus Blondius adfirmavit Neumanno, quem vide [e]). Vt adeo dubium sit, utrum extent hujus urbis numi.

AVTOMALA.

Maritima et extrema versus Africam propriam in castelli modum.

---

a) T. II. p 163. b) B. L. T. XXXVII. p. 377. c) Num. Titi tab. XIII. n. 18.
d) Cap. 2. e) Num. pop. P. II. p. 153.

Digitized by Google

Autonomum Pellerinius huc referri posse censuit (Rec. III. p. 173.):

Caput imberbe cum cornu arietis. Ϟ ATT. *(in monogrammate) Herma.* AE. II.

Rationes sunt primum monogramma, quod tres hujus urbis priores literas includit, deinde caput anticae, quod esse Iovis Ammonis statuit. Alterum hoc argumentum sane infirmum; nam dubitari jure possit, placueritne unquam veteribus Ammonem imberbem fingere; sane in numis, in quibus ipsum vocabulum AMMΩN additur, ut videre est in numis Mytilenes, et in illo, quem supra in Ammonia Marmaricae citavi, barbatus semper est, ut taceam obvios tot Aegypti regum numos aliosque innumeros. Supra in Cyrenes numis dixi, verisimilius esse, eo capite proponi Bacchum in parte Ammonis quoque filium creditum. Neque hoc caput in Cyrenaicae solum numis, sed etiam in moneta insularum Archipelagi saepe recurrit. Et cum praeterea monogrammata plerumque varie possint resolvi, satis apparet, hujus numi omnem causam plane esse dubiam, et incertam.

Alium aeneum III. formae ex museo Hunteriano huc refert Combius inscriptum ATΓΩ. Verum hoc oppidum scriptum fuit per O, non per Ω, etsi quorsum hic numus pertineat, ignorem.

* * *

Imperatorios quoque, eosque Alexandri Severi binos video citari:

ATTOMAΛHC. MHTPOΠOΛEΩC. ΛTBIKHC. *Diana venatrix cervum insequitur.* AE. m. m. (Vaillant.)

Hoc numisma admodum suspectum, ac jure videtur Pellerinio [a]), cum quod metropolis dicatur Automala, de quo honore nihil nobis constat ex veteribus, qui eam tantum φρούριον, *castellum*, dixere, tum quod minus proprie urbs Libyae dicatur, et quod pro orthographiae lege saltem ordinaria scribendum fuerat ΛIBTKHC. Alter:

EΠIΣ. ATTOMAΛEC. MHTPOΠOΛEOC. ΛIBTKH. quem Gorius ex Mediceo promulgavit, hunc quoque maximi moduli [b]). Numum vidi ipse, et adulterinum facile agnovi, quod judicium ab aliis etiam causis confirmatur, quas alibi commemoravi [c]).

BARCE.

Mediterranea secundum Ptolemaeum, quamvis a Strabone aliisque dicatur eadem cum illa, quae serius *Ptolemais* est appellata, et maritima fuit, de quo vide Cellarium et Spanhemium [d]).

Autonomos hujus urbis edidere Spanhemius [e]), Pellerinius, et Combius ex Hunteriano:

BAP. BAPK. BAPKAI. *Caput Ammonis barbatum cornutum.* In alio: *Caput cornutum imberbe.* Ϟ *Silphium.* AR. I. II. III.

De similibus capitibus egi in Cyrene et Automala.

AE. RR.

a) Rec. III. p. 173. b) Mus. Florent. c) Numi vet. p. 306. d) T. I. p. 296. e) l. c.

Digitized by Google

HERACLEA.

Autonomum edidit Pellerinius:

Caput Ammonis. ℞ ΗΡΑΚΛΕΙΑ. *Aries cauda solito longiore et crassiore.* AE. II.

Heraclea nulla a veteribus in Cyrenaica proditur; tamen cum typus utrinque sit Cyrenaicus, existimat Pellerinius, numum hunc pertinere posse ad eam Heracleam, quam in Libya collocat Stephanus, additque, verveces cum simili cauda nostra quoque aetate in hoc tractu reperiri. Praeclare haec quidem concordant. At quod idem alio loco ad eandem Heracleam revocet autonomum alium per causam Palladis in eo expressae, quam Tritoniam, atque adeo huic tractui propriam putat [a]), istud, ut verum esse potest, ita solido fundamento destituitur.

AE. RRRR.

PHYCVS.

Promontorium cum oppido cognomine, et teste Synesio Cyrenaeorum navale [b]).

Autonomus apud Pellerinium:

Caput muliebre adversum corona fastigiata tectum. ℞ ΦΥ. *Bos cornupeta juxta palmam.* AE. III.

Rationem auctori, cur numum huc revocet, sufficit fabrica, et typus palmae. Narrat Sestinius, in simili alio, quem vidit, legi ΜΑΓΝ - - ΑΦΡΤΡ - - videri ergo potius tribuendum Magnesiae Ioniae.

AE. RRRR.

PTOLEMAIS.

A nonnullis eadem habita cum Barce, ut in hac diximus.

Huc pertinere Pellerinius censet sequentem *autonomum:*

Caput muliebre velatum. ℞ ΑΡΙ-ΣΤΑΓΟΡ. ΠΤΟ---- *Mulier sedens d. spicas et papaver, s. hastam.* AE. II.

Ex manca epigraphe vix credo certi aliquid pro hac Cyrenaicae Ptolemaide posse statui.

* * *

Binos alios cum epigraphe ΠΤΟΛΕΜΑΙ. et typo aquilae stantis huc, etsi timide, refert Pellerinius. Malim numos similes largiri Ptolemaeo Epiri regi, causas attuli in mea Sylloge I. p. 84.

---

a) Rec. III. p. 175. b) Epist. 100.

Digitized by Google

SYRTICA.

LEPTIS MAGNA.

Gemina fuit in hoc tractu Leptis nomine urbs, una in Syrtica prope Cinyphum fl. cognomine *Magna*, altera magis in occidentem in Byzacene, dicta *Parva* vel *Minor*. Leptis nomine exstant imperatorii Graeci, et coloniae autonomi. Ad utram referendi sint, ad singulos inquiretur.

Imperatorii.

ΛΕΠΤΙΣ. *Caput Mercurii, pone caduceus*, in numo Augusti. (Vaillant.)

ΛΕΠΤΙΣ. B. *Caput Mercurii*, in numo Tiberii. (Vaillant., Morelli Impp.)

ΛΕΠΤΙΣ. *Caput turritum*, in numo Agrippinae Germanici. (Seguin Sel. num. p. 317.)

Hi numi, aenei omnes, utrum ad Leptin majorem, an minorem referendi sint, dubitatum. Constat quidem, Leptin Majorem fuisse coloniam, at poterant hi numi signari, antequam deduceretur colonia. Pro Syrtica aliquod argumentum, quod Cyrenaicae vicinior fuit, in qua numi Graeca lingua inscripti fuere. Sed Leptis Byzacena vicina Carthagini, atque huic constanter paruit. Nullus igitur hic linguae Graecae usus.

AE. RRR.

Coloniae numi cum Leptis nomine exstant, iique *autonomi* tantum.

COL. VIC. IVL. LEP. *Caput juvenile galeatum.* ℞ P. SALPA. M. FVLVI. PR. IIVIR. *Bos cornupeta.* (Morelli in Fam. Fulv. Pellerin.)

Eadem epigraphe. Protome juvenilis capite diadernato. ℞ L. NEP. L. SVR. PR. IIVIR. *Bos.* (Morelli in Fam. Cornel. Pellerin.)

C. V. I. L. PR. IIVIR. *Caput mulicbre, pone ramus.* ℞ C. BALBO. L. PORCIO. *Bos.* (Morelli in Fam. Porc. Pellerin, Mus. Caes.)

COL. VIC. IVL. LEP. *Protome Victoriae.* ℞ M. FVL. COTA. PR. QVIN. *Colonus arans.* (Morelli in Fam. Fulv.)

C. V. I. L. *Caput Solis adversum radiatum.* ℞ L. CAL. SEX. NIC. AED. *Leo stans.* (Florez Med. de Espanna Tab. 58.)

C. V. I. L. *Caput nudum barbatum.* ℞ L. SEMP. MAX. M. CAEC. AED. *Bos.* (Ibidem.)

Tiberii numum citat Harduinus, sed videtur hic idem esse cum eo, quem hic numero quartum descripsi.

Digitized by Google

Ad utram Leptin hi numi spectent, rursum disceptatum. Pellerinius satis habuit, variantes eruditorum sententias commemorare. Addit, Harduinum eos parvae Lepti adjudicare, qui tamen in suis numis illustratis diserte majorem Leptin horum patriam agnoscit. Havercampus in minorem aperte propendet [a]), verum argumento idoneo abstinet. Minorem Byzacenam saltem Plinii aetate nondum fuisse coloniam, eo argui potest, quod is eam *liberam* dicat, quo epitheto ornare colonias non consuevit; at numi hic citati haud dubie primorum Augustorum aetate signati sunt. Qua tempestate Major deducta fuerit, definite non constat, colonia tamen diserte vocatur in itinerario Antonini, et tabula Peutingeriana.

Titulus *Victricis Iuliae* exemplo ab aliis petito suadet, coloniae auctorem fuisse I. Caesarem, vel Augustum. Verum haec ipsa causa litem movet Lepti majori, quam vidimus adhuc Tiberii aetate feriisse numos Graecos absque mentione coloniae, et favet adeo minori. Nihil in hac causa expeditum.

Magistratus Ilviri. His constanter adduntur literae PR., quarum explicatio antiquariorum sententias distraxit, quas enumerat Pellerinius [b]), et Florezius [c]). Eas verisimiliter legendas PR*aefectus*, latius ostendemus in tractatu de coloniis. Alii magistratus *Praefectus Quinquennalis*, et *Aedilcs*.

* * *

De numis epigraphe peregrina notatis, quos huc refert Pellerinius [d]), actum in tractatu de numis Phoenicio charactere inscriptis post numos Phoenices.

AE. R.

OCEA.

Maritima a Lepti Magna in occasum, dicta hodie vetus Tripolis. In MSS. plerumque dicitur *Oea*, aut corrupte aliter. Verum orthographiam restituit numus sequens.

Coloniae Ant. Pii. COL. AVG. OCE. *Imperator eques.* (Pellerin Suppl. II. p. 47.)

Quo tempore deducta sit colonia, non constat. Pellerinius censet, factum istud, quando Hadrianus eum tractum per Iudaeorum saevitiam atrociter vexatum novis supplementis frequentavit. Verum titulus AVG. conditorem Augustum non quidem exigit, sed mavult.

* * *

Notandi etiam variorum lapsus.

Harduinus Graecum Ant. Pii inscriptum ΩΙΩΝ. huc, tanquam ad urbem, dictam *Oeam* vocavit. Verum hic nu-

a) In Morellii Fam. Fulv. b) Rec. III. p. 16. c) Med. de Esp. p. 55. d) Mel. I. p. 141.

Digitized by Google

mus certe est Cos insulae, legendumque ΚΩΙΩΝ. Idem enim numus Ant. Pii cum typo Iunonis pavonibus vectae ab ipso Harduino inter numos ejus insulae recensetur.

Vaillantius et Harduinus ad hanc urbem retulere numos Ant. Pii, in quibus legerunt: C. A. O. A. F. quod explicuere aut *Aelia Oensis*, aut: *Antoniniana Oensis*, at perperam sic lectam epigraphen pro CO. AE. CA., eosque numos esse Coloniae Aeliae Capitolinae, erudite docuit Pellerinius a).

AE. RRRR.

a) Mel. I. p. 277. et Suppl. II. p. 47.

Digitized by Google

BYZACENE.

ACHVLLA.

Maritima, varie apud auctores scripta *Achylla*, *Acholla*, *Acilla*, *Cholla* etc. Vera lectio ex numis *Achulla*.

Augustum, ejusque familiam praeferunt sequentes:

AGRIPPA. P. QVINC+LI. VARI. *Caput Agrippae nudum.* ℞ AVG. PONT. MAX. *Caput Augusti nudum inter capita nuda Caii et Lucii.* AE. I. (Liebe pag. 410.)

ACCHVLLA. P. QVINC+LI. VARI. *Caput simile.* ℞ AVG. PONT. MAX. *Eadem capita, sed praeterea infra capita Caii et Lucii:* C. L. AE. I. (Pellerin Rec. I. p. III. Panel ex museo le Bret.)

ACHVL. L. VOLVSIVS. SATVR. *Caput nudum.* ℞ *Eadem aversa.* AE. I. (Panel ibid.)

Vulgarunt numos similes Morellius [a]), Vaillantius [b]), aliique, sed cum horum exemplaria vitiata videantur, eorum ratio habenda non est, at Liebeus et Pellerinius numos suos integerrimos spondent.

Vterque numus prior absque dubio ad unam eandemque urbem pertinet, atque inter se collatus uterque alter alterum egregie juvat. In Liebeano deest urbis nomen, atque adeo vir eruditus, quorsum referendus esset, fluctuabat, quem modo Pellerinianus Achullae invicte vindicat. At in Pelleriniano abest vocabulum AGRIPPA, et cum adstitutum caput non satis Agrippam referat, dubitavit Pellerinius, an revera ejus caput existimari possit [c]). Sed curam eximit Liebeanus, novumque argumentum sufficit, lineamentorum fidem in numis extra urbem signatis esse perexiguam.

Fueritne haec urbs colonia, incertum. Hirtius et Strabo eam *liberam* dixere, Plinius: *Acolitanum oppidum.* Sed neque numus eam coloniam nuncupat. In typis Morellianis legitur IIV - - - quod videretur indicare IIVirum, sed pro eo vocabulo in nitidioribus binis legitur vel nomen urbis, vel Agrippae.

Magistratus P. Quinctilius Varus. Havercampus hunc credidit fuisse IIvirum, deceptus nempe pictura Morelliana, de qua mox egi [d]). Dubium non est, Varum hunc, quo tempore cusi sunt

a) Impp. in Agrippa, et Fam. Quinctil. b) in Colon. sub Agrippa. c) Rec. I. p. VI. Mel. I. p. 253. d) ad Morellii Fam. Quinctil.

Digitized by Google

hi numi fuisse proconsulem Africae, quae provincia, ut videbimus, prae aliis amabat proconsulum nomina monetae inscribere. Eorum aetas satis prope potest definiri. Nam cum Augustus pontificatum max. iniverit anno demum V. C. 741. et anno proxime sequente obiverit Agrippa, certum est, eos intra hoc biennium signatos. Idem Varus anno V. C. 750. praepositus est Syriae, cujus urbs princeps Antiochia ejus nomine, ut vidimus, signavit numos, inscriptos: ΕΠΙ. ΟΤΑΡΟΤ. Translatus in Germaniam ab Arminio internecione caeditur V. C. 762.

L. Volusius Saturninus numi postremi. Ejus quoque nomen habetur in numis Antiochiae inscriptis: ΕΠΙ. ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ. ΟΤΟΛΟ., quas vide.

AE. RRR.

HADRVMETVM.

Byzacenes urbs princeps.

Autonomum olim edidi ex Mediceo: (Num. vet. p. 307.)

Caput muliebre velatum, pone sceptrum. ℞ HADR. *Caput Neptuni, ante quod tridens.* AE. III.

Typus pro urbe maritima. Eundem numum jam recitavit Holstenus, sed perperam Hadriae Galliae Cisalpinae tribuit. (Not. ad Steph. p. 9.)

AE. RRRR.

Imperatorii caput Augusti offerunt, omnes a Pellerinio editi. (Rec. III. p. 17.)

HADR. AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.* ℞ CAESAR. *Caput nudum L. Caesaris, ante quod lituus, pone astrum.* AE. m. m.

APR. FA - - - - PROCOS. VII. V. EPVL. *Caput, ut videtur, Augusti nudum.* ℞ HADRVM. *Protome capite velato barbato, quod pileo peregrinae formae integitur, s. spicas.* AE. II.

APR. FA. MAX. COS. PROCOS. VII. VIR. EPVLO. *Caput, ut videtur, Augusti nudum.* ℞ C. LIVIN. GALLVS. PRO. PR. *Elephas anteriore pede serpentem calcans.* AE. II.

Posteriores duo numi varia memoratu digna offerunt, I. Fabii Maximi omnes titulos, quos inter rarior VIIviri epulonum, qui etiam memoratur in numis gentis Coeliae. Consules Fabii Maximi, quorum uni praenomen Paulli alteri Quinti, memorantur ad annos V. C. 743. 744. At aenigmati simile videtur praepositum APR. quod resolvere neglexit Pellerinius, tum etiam, quod in uno eodemque numo hinc proconsul, inde propraetor proditur. An Fabium Hadrumetini honoris causa, quod forte patronus urbis suae esset, inscripserunt monetae additis muniis, quae per vices gessit? quo modo Gaditani municipem suum Cornelium Balbum, Caesarienses Bithyniae Veidium Pollionem apud se natum in numos suos intulerunt. II. *Gallus*, cognomen gentis

Digitized by Google

Livineiae nondum ex numis cognitum. III. Typus elephanti serpentem calcantis, qui idem est in denariis I. Caesaris obviis. Videntur Hadrumetini in ejus dictatoris gratiam hoc typo usi; alioqui fuisse eos illi devotos, arguit numus primo loco citatus.

Allati nami inter coloniae numos referri non possunt, cujus mentionem non faciunt. Quin eam primum a Trajano deductam coloniam, arguit inscriptio Gruteriana, in qua ei *Trajanae* epitheton additur [a]). Plinius eam adhuc inter oppida libera recenset, at Ptolemaeus coloniam vocat.

AE. RRR.

a) pag. 362.

Digitized by Google

ZEVGITANA.

CARTHAGO.

Olim potentiae Romanae aemula, subinde V. C. 608. ab Romanis eodem quo Corinthus anno eversa in ruderibus aliquamdiu jacuit, donec V. C. 632. lege Rubria deducta colonia, et prima quidem extra Italiam, lecto ejus deducendae IIIviro C. Graccho, et appellata *Iunonia* ex vetere urbis numine. Haec Livius [a]), Plutarchus, Appianus, aliique. Neglecta paullo post iterum abolitis C. Gracchi actis [b]), tum et vetantibus prodigiis [c]) novos illuc colonos deduxit I. Caesar eodem, quo et Corinthum resuscitavit, anno, ut narrant Dio [d]), Strabo [e]), Pausanias [f]). Factum istud Dio inter acta anni V. C. 710., qui fuit I. Caesaris postremus, refert. Cum Dione conspirat Appianus, qui narrat, Carthaginem centesimo et altero anno, ex quo diruta est, deductam coloniam [g]). Repetitum beneficium ab Octaviano V. C. 725. refert Dio [h]), nam Lepidus, cum partem ejus habitatoribus orbasset, jus coloniae sustulisse videbatur, fuitque sedes proconsulis Africae veteris. Neque deinceps defecit splendor, nam ab Herodiane una Roma inferior, et certasse cum Alexandria de principatu dicebatur [i]). Quam urbis gloriam sic eleganter praedicat Ausonius [k]):

Constantinopoli adsurgit Carthago priori,
Non toto cessura gradu, quia tertia dici
Fastidit.

Autonomos Carthaginis, quamdiu sui juris fuit, quique Carthagine ipsa signati essent, nullos certos habemus. Complures edidit Pellerinius, aliique, quos, quia Punice inscripti sunt, esse in hac urbe cusos magis conjecerunt, quam ausi sunt adfirmare, neque certi aliquid licebit statuere, donec de literarum Punicarum valore primum, deinde ipsa Poenorum lingua plus constabit. Exstant magno numero numi aurei, argentei, aenei, quos, quia Punicam habent epigraphen, in Carthaginiensium quidem moneta jure putamus, tamen quia operis elegantiam praeferunt plane Siculam, tum et typos Siculos non raro imitantur, invaluit communis opinio, signatos fuisse in ea Siciliae parte, quae diu in Poenorum potestate fuit. Eos hoc loco non recensebimus,

---

a) in Brev. L. LX. b) Plut. in C. Gracch. c. 13. c) Appian. Punic. c. 136.
d) L. XLIII. §. 50. e) L. XVII. f) L. II. sub. init. g) Bell. Pun. sub. fin.
h) L. LXII §. ult. i) L. VII. k) Carm. 286.

Digitized by Google

qui jam bis istud fuit peractum, primum in numis Panormi Siciliae, quo loco monetae hujus Punico-Siculae metallum, typos, aliosque modos enarravimus, deinde in dissertatione Phoenices numis adjecta, in qua epigraphen Punicam in examen vocavimus. Ex omnibus causis apparet, Carthaginienses liberos moneta signata non fuisse usos, sed aurum, argentum, aes mercis loco fuisse. Etenim si, ut alibi, ejus valuisset usus, sequeretur sane, magno eam numero, ut in tanto imperio, tantisque opibus, hodieque superesse, ejus certum aliquem, ratumque fuisse modum, formam, pondus, quibus facile se discerneret, perinde ac moneta Romanorum, Atheniensium, aliorumque, et in primis adeo scientiae nostrae incunabulis rem Carthaginiensium monetariam fuisse cognitam, de qua tamen in hunc usque diem disceptatur. Gravis argumenti instar est, quod scriptores veteres in praeda Carthaginis bis a Scipionibus captae argenti illati solum pondus memoraverunt, cum tamen Livius aliique in praedae Hispaniensis, Macedonicae, Asiaticae parte non argenti modo infecti pondus, sed facti etiam et signati soliti sint meminisse. Non dissimulo, in praeda, quam C. Duillius victis prima pugna maritima Poenis extorserat, teste insigni columna rostrata numerari *aur*OM. CAPTOM. NVMEI etc. *argen*TOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI. etc. CAPTOM. AES. etc. Numerum vide apud Ciacconium ejus monumenti interpretem. At enim probari nequit, captos hos numos proprie fuisse Punicos. Neque enim is tota ea expeditione Africam unquam adivit, sed ante, ac post commissam in Liparae conspectu pugnam Siciliam obivit, urbes alias a Poenorum obsidione liberavit, alias cepit. Quae quidem jam vel una causa satis persuadet, memoratam praedam constitisse partim numis omnis metalli urbium Sicularum, partim Punico-Siculis, quos Panormitanos, ut dixi, vocamus. Lege in dialogo Platonis, cui nomen Eryxias, tali Carthaginienses moneta uti. Parvo corii frusto illigatum est aliquid stateris summum magnitudine, quid vero sit illud, quod illigatum est, nemo novit, nisi qui istud faciunt. Illo deinde obsignato pro numismate utuntur. Haec narratio etsi fabulae videatur propior, cum alioqui is dialogus inter Platonis nothos referatur; tamen ne fingi quidem istud potuisset, si qua cognita fuisset ejus populi signata pecunia. Ceterum Aristides quoque auctor est, Carthagine numos scorteos valuisse [a]). Habuit ergo Carthago istud quoque cum Corintho commune, quod, sicut urbs utraque eodem anno fuit eversa, eodem deinde anno deducta colonia surrexit, sic utriusque quamdiu sui arbitrii fuit, certos numos non habemus.

Coloniae Carthaginis pauci exstant, suntque:

ARISTO. MVTVMBAL. RICOCE. SVF. *Capita duo jugata nuda imberbia.* ℞ VENERIS. KAR. *Templum 4. columnarum.* AE. I. (Mus. Caes. Pellerin.)

Alius similis, sed epigraphe aver-

a) Orat. II. Platon. p. m. 145.

Digitized by Google

sae: COL. KAR. VEN. (Bayer lengua de los Fenic. p. 367.)

Quorum sint duo capita partis adversae, ambiguum. Sunt, qui Caii et Lucii Agrippae filiorum putent. Templum Veneris in gentis Iuliae gratiam aedificatum Carthagine, et in moneta propositum videtur. Pellerinius in suo magistratum legit ARISIO, quod impugnat Bayerius [a]), et jure, nam ipse nuper similem nactus sum cum luculento ARISTO. Sane et ARISTO Zeugitanus inter legatos subscriptus legitur in tabula aenea apud Gruterum [b]).

Magistratus SVF. explendus SVF*fetes*, qui Carthagine libera principem locum obtinebant. Livius agens de Carthaginiensibus [c]): *Senatum itaque Suffetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocaverunt.* Paulus diaconus apud Festum [d]): *Sufes consul lingua Poenorum.* Vocabulum duxit Scaliger ab Hebraico צפה *speculatus est, exploravit*, ac tum illi Suffetes idem erant, quod apud Spartanos ἔφοροι [e]). Forte melius alii a שפט, *judicavit*, unde שפטים *judices*. Hi igitur Suffetes haud dubie indicantur vocabulo hujus numi truncato SVF. Fors coloniae Carthaginis IIviris Suffetum nomen inditum in memoriam aetatis praeteritae, Romanis haec ἀντονομιας ludicra non gravate indulgentibus. Enimvero in binis tabulis aeneis imperante Augusto confectis, in quibus civitates Apisia et Siagitana, utraque Zeugitanae, hospitium fecisse cum Silio Aviola leguntur, subscriptos videas Suffetes, in una quidem: EGERVNT. HASDRVBAL. IVMMO. HASDRVBAL. HANNONIS. CHINISDO. SVFETES. in alia: AGENTE. CELERE. MILCHONIS. GVLALSAE. FILIO. SVFETE [f]).

Vocabulum MVTVMBAL in Plauti quoque Poenulo occurrit praedicante Hannone, se esse *Carthaginiensem Muthumballis filium* [g]).

AE. RR.

Carthaginis honorifica fit mentio in numis Severi et Caracallae, deinde Diocletiani et sequentium Caesarum, sed quos, quia commatis Romani sunt, hoc loco pro instituto praeteree.

* * *

Africa a Vandalis occupata proprios ex eadem gente habuit reges, quos inter fuit Hildericus, cujus nomine signatus Carthagine numus proditur.

D. N. HILDERIX. REX. *Caput regis imberbe diadematum.* ℟ FELIX. KART. *Mulier stans extenta utraque manu spicas gestat.* AR. III. (Seguin Sel. num. p. 51. Mus. Lefroyanum.)

Praestantissimus hic est numus, idemque rarissimus. Usitatum fuit aevo inferiore, urbes *Felicis* cognomento ornare. In numis aevi Diocletianei obvium est legere *Felix Karthago*, in aliis huic nostro fere coaevis legitur: FELIX. RAVENNA, FELIX. TICINVS. Typus aversae restitutus est ex citatis Diocletiani et sequentium numis.

* * *

KARTHAGO. *Figura militaris stans*

a) l. c. b) pag. 470. 1. c) L. XXX. c. 7. d) in Sufes. e) L. III. Canon. Isagog. f) Gruter p. 470. 1. 2. g) Act. V. 2. 34.

Digitized by Google

s. hastam. ✠ XII. *in aliis* XXI. *in aliis* XLII. *Caput equi frenatum.* AE. II. (Hunter, Mus. Caes. Patin Impp. p. 12. Florez T. I. p. 317.)

Gilimere Hilderici successore a Belisario Iustiniani duce devicto, et deleto Vandalorum imperio, Africa ad veteres dominos Romanos redivit, ac tum demum id genus numi videntur fuisse signati, et ex memoria veteris instituti *caput acris equi* in moneta propositum, de quo vide plura in moneta Panormi. Fabrica horum numorum fere barbara, et omnis conformatio facile suadent, eos huic aevo deberi, nam his spectata fabrica similes sunt numi inscripti INVICTA. ROMA, additis etiam notis arithmethicis XX. aliisque, quos opinamur percussos Gothis in Italia eversis, ut dicemus ad hos numos Gothorum regum monetae subjectos. Ceterum de sensu numerorum, quos numi hi praeferunt, nihil audeo adfirmare.

AE. R.

Numi a variis Carthagini coloniae tributi.

Iuvat in eundem locum conferre numos varii generis ac modi, non quod signatos Carthagine ausim adserere, sed quod fuere non pauci, qui Carthaginem iis patriam adsignaverunt, ut adeo, cum aliquem tamen locum obtinere debeant, hac eos includi statione maxime opportunum existimem. Perlectis iis, quae ad singulos adnotabo, arbitretur denique lector, utrum in incertis sint putandi, an certo cuidam populo absque erroris metu permittendi.

1) IMP. CAESAR. DIVI. F. C. C. I. P. *Caput Augusti nudum.* ✠ M. AGRIP - - - *Caput Agrippae nudum.* AE. I. (Pellerin Rec. I. p. XXII. Mus. Theupoli p. 657. Morelli Impp. in num. Agripp. sed ubi perperam legitur C. C. I. B. numusque tribuitur Babbae.) Sed jam satis constat, omnes hos numos esse coloniae Parianae Mysiae, legendumque: C. G. I. B., ut in hac diximus.

2) PERMIS. P. CORNELI. DOLABELLAE. PROCOS. C. P. CAS. D. D. *in area* C. P. *Mercurius rupi insidens d. caduceum. In numis Tiberii.* AE. I. (Beger Th. Br. T. II. p. 97. Morelli Impp. et in Famil. Cornel.)

3) PERMIS. P. DOLABELLAE. PROCOS. C. L. GAVIO. CAS. *in area* C. I. P. *Typus idem. In numo Tiberii.* AE. m. m. (Mus. Pisan. Tab. V.) In hoc numo perperam lectum fuisse C. I. pro C. P., docent alii numi similes, et jam advertit Pellerinius Rec. I. p. VIII.)

4) PERMISSV. P. DOLABELLAE. PROCOS. C. P. - - - *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam. In numo Tiberii.* AE. I. (Vaill. in colon. et in fam. Corn. Morelli in fam. Cornel., qui eum serius restituit in Impp. Tab. X. sed in area reliquis vitiatis comparet praeterea litera I.)

5) PERMISSV. L. APRONI. PRO-

Digitized by Google

COS. III. C. SEX. POM. CELSO. *in area* C P / I A *Mercurius rupi insidens d. caduceum. In numo Tiberii.* (Pellerin Lettres p. 152.)

6) PERMISSV. L. APRONII. PROCOS. III. *Caput Mercurii, retro caduceus. In numo Drusi jun.* (Vaill. in Colon. et in fam. Apron. Morelli in Impp. et in fam. Apron.)

7) PERM. DOLABELLAE. PROCOS. C. P. G. CAS. *Caput Mercurii. In numo Drusi jun.* (Pellerin Mel. I. p. 260.)

Cum his conjungo sequentes:

8) IMP. C. D. F. P. M. P. P. *Caput Augusti nudum.*
C. I. C. P. I. S. P. D. V. S. II. VIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 259. Morelli in August. Tab. XXXIII. n. 21.)

9) IMP. C. D. F. A. P. M. P. P. *Caput Augusti nudum.*
C. I. C. P. I. S. P. D. V. S. P. IIVIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Arigoni Tom. IV. in Colon. tab. 2.)

10) IMP. C. D. F. A. P. M. P. P. *Caput Augusti nudum.*
CRISPPVS. I. IIVIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Arigoni Tom. II. tab. 1.)

11) TI. CAE. IMP. V. *Caput Tiberii nudum.*
CICRISPDVSPIIVIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. (Mus. Caes.)

12) TI. CAE. IMP. V. *Caput Tiberii nudum.*
C. I. C. P. I. S. P. D. V. S. II. VIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 259.)

TI. CAE. IMP. *Caput Tiberii nudum.*
CICRISPPVS. IIVIR. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Arigoni Tom. I. in aliis Coloniis tab. 2.)

14) TI. CAESAR. IMP. P. P. *Caput Tiberii nudum.*
L. A. FAVSTVS. D. C. BASSVS. II. VIR. *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam, in area:* P. P. D. D. AE. II. (Morelli in fam. Corn. tab. 4. et in numis Tiberii tab. XIII.)

Conjungo item sequentes:

15) *Caput Augusti nudum, prae quo lituus.*
M. EGN. Q. OCT. IIVIR. S. P. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Morell. Impp. tab. XXXIII. Vaillant. in Egnatia.)

16) P. S. S. C. *Caput Augusti laur.*
L. CAEL. CLEM. FL. TI. - - *Apex.* AE. III. (Neumann, Morelli Impp. tab. XLV.)

17) *Caput Augusti nudum, prae quo lituus.*
C. LOLLI. ITE. M. DOM. IIVIR. P.

Digitized by Google

S. S. C. *Figura militaris galeata basi insistens d. hastam.* AE. III. (Vaill. in Colon. p. 48. Idem in fam. Lollia. Morelli in fam. Lollia, sed cum capite Tiberii.)

18) *Caput Tiberii nudum.*
C. LOLLI. M. DOM. IIVIR. P. S. S. C. *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam.* AE. III. (Vaill. in Colon. et in fam. Loll. Morelli in impp. et in fam. Lollia.)

19) P. S. S. C. *Caput Tiberii laur.*
A. VERGILIVS. - - - IIVIR. *Mars galeatus nudus stans d. hastam, s. parazonium.* AE. III. (Mus. Caes.)

20) P. S. S. C. *Caput Tiberii laur.*
L. CAEL. - - - *Typus dubius.* AE. III. (Mus. Caes.)

21) MINEIA. M. F. *Caput muliebre.*
P. S. S. C. *Templum.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli in fam. Mineia.)

22) P. S. S. C. *(literis retrogradis) Caput juvenile dubium.*
- - NVN. L. SVL - - *Templum.* AE. III. (Mus. Caes.)

De primis septem citatis numis haec habeo virorum eruditorum judicia:

Begerus censet, numum suum signatum Carthagine. Posse quidem literam C. notare etiam Clupeam, atque id tanto magis, quoniam ea urbs teste Plinio promontorio Mercurii insedit, quem numi similes impressum habent, sed absterretur eo, quod eam Plinius *liberam* dicit. Literas C. P. CAS. D. D. C. P. explet: *Caius Publius* CAS*sii Decreto Decurionum Curaverunt Poni.* Verum haec lectio refellitur numis 3. et 7. Cum Begero sentit Schlegelius [a]).

Havercampo Carthago item placet, (in fam. Cornel. p. 140.) verum argumenta petit ex numis, quos nunc constat esse Apameae Bithyniae, aliisque inscriptis P. S. S. C., de quibus jure dubitatur, an Carthaginiensium moneta sint. Explet deinde epigraphen: *Curarunt Poni Carthaginis Antiquae Suffetes Decreto Decurionum Coloniae Patrono*, numi autem Pisani: *Caio* L - - - GAVIO. *Carthagiñis Antiquae Suffete Coloniae Iuliae Patrono.*

Perizonius in epistola ad Morellium, ut testatur ibidem Havercampus, literas CPCASDD explicat: *Curaverunt Poni Coloniae Augustae Saldes* vel *Sabatrae Decuriones.*

Mazzolenus quoque numum suum Pisanum Carthagini tribuit, et separatis violente epigraphes literis legit *Colonia Carthago Pia Iulia*, facitque auctorem numi sui L. Gavium Cassium. Variat iterum in iis legendis, aut potius fluctuat in singulari dissertatione, quae exstat in musei sui Pisani P. II. p. 265.

Harduinus numum Patris Achaiae tribuit, et literas explicat more suo: *Coloniae Patrensis Cives Augustum Salutant Decreto Decurionum* [b]).

Vaillantius aliud non docuit, quam

a) Morelli Impp. T. I. p. 588. b) Opp. sel. p. 132.

Digitized by Google

numos Dolabellae nomine inscriptos signatos fuisse in Africa.

Numum cum mentione L. Apronii ejus commentatores Vaillantius et Havercampus in Africa cusum adserunt, et verisimiliter Lepti, quoniam hujus quoque numi Mercurium sistunt.

Postremus Pellerinius, quo loco numum sede I. propositum describit, non abhorret ab eorum sententia, qui eos numos Carthagine percussos opinantur. At cum serius numum loco 5. citatum ederet, eos *Paradae* ejus tractus oppido mediterraneo tribuit, legendo literas sic dispositas $\begin{matrix} C & P \\ I & A \end{matrix}$ *Colonia Iulia* PA*rada* et alios ejus generis, in quibus C. C. I. P., explicando: C*olonia C*a*mpestris* vel C*oncordia* I*ulia* P*arada*. Sed jam monui supra ad numum I., numos inscriptos C. C. I. P. esse Parii Mysiae.

Quae ergo horum numorum vera patria? et quis horum virorum, quorum hic varias sententias descripsi, vero propiora edixit? Istud enim vero perquam difficile. In Africae hoc tractu signatos P. Dolabellae, et L. Apronii proconsulum nomina haud dubie evincunt. L. Apronius Africae proconsul memoratur a Tacito ad annum V. C. 773., cujus nomen exstat etiam in numo Hipponis liberae. Hunc in tertium annum proconsulatu functum decent numi 5. et 6. Et videtur hic annus 773. ejus postremus fuisse, nam anno sequente Blaesum a Tiberio in Africam missum idem refert [a]), eique prorogatam provinciam in annum sequentem 775. [b]), qui gesto feliciter adversus Tacfarinatem bello imperator dictus est, ultimo exemplo collati in privatum ejus tituli. P. Dolabellam ad annum V. C. 777. Africae proconsulem idem prodit, qui Tacfarinatem tandem in acie occidit [c]), at necesse est, eum jam anno praecedente 776. fuisse proconsulem, docente istud numo 7. cum capite Drusi junioris, qui eodem anno obiit.

De provincia certo cum constet, de urbe magna lis. Qui Carthaginem malunt, argumentum idoneum nullum adferunt. Nituntur unice litera C, sed a qua variae urbes incipiunt. Quin censeo, Carthaginienses ad notandam urbem suam litera K fuisse usuros, nam in omnibus certis ejus urbis numis reperimus K, non C, quod elementum in scribenda Carthagine valuit in numis sub ipsum Diocletiani aevum signatis cum epigraphe: SALVIS. AVGG. FELIX. HART. Eodem exemplo Carthago Nova Hispaniae fere constanter K usurpat. Paucis ut absolvam, viris eruditis Carthago placuit, quia urbem aliam, cui literae C. I. P. possent competere, in eo tractu, in quo signatos hos numos constat, non reperere. Et mallem sane prae Carthagine Clupeam, cui magnopere favet typus Mercurii monti insidentis, cum testetur Plinius, eam in Mercurii promontorio stetisse, in quam sententiam timide propendisse Begerum supra diximus. Nequidquam absterreri se passus est testimonio Plinii, qui Clupeam *liberam* dixit, nam in hac sententia *το* C non C*oloniam*, sed C*lupeam* notaret, et videmus in hoc tractu signatos fuisse numos cum inscriptione

a) Annal. L. III. c. 35. seq. b) ibid. c. 58. c) L. III. c. 23. seq.

Digitized by Google

Latina etiam ab urbibus, quae coloniae non fuere.

Iam vero ad Pellerinii quoque Paradam aggrediamur. Quo hanc malit, argumentum ei fortissimum praebet epigraphe numi 5. $\frac{C\ P}{I\ A}$ Nam quo minus litera C posit notare Carthaginem, aut urbem aliam ab hoc elemento incipientem, illud obesse putat, quod rara sunt exempla, cum urbi tituli honorifici adduntur, urbis vocabulum praecedere, sequi titulos, cum contrarium fere constanter in usu fuerit. Secundum hanc legem ait primam literam C. notare *Coloniam*, I. *Iuliam*, superesse adeo, ut TE PA. urbem ipsam indicet, quo nomine cum in eo tractu praeter Paradam Hirtii alia non fuerit, necesse videri, huic uni hos numos adjudicandos. Facile in Pellerinii sententiam descenderem, si id oppidum vel mediocre aliquod nomen habuisset. A nemine praeterquam ab Hirtio memoratur, idque tantum per casum belli, quo saepe loca obscurissima solent innotescere. Narrat enim, Scipionis equites ex praelio profugos pervenisse ad oppidum Paradam a). Verum an credibile, numos tam illustres, et maximi etiam moduli, eximiae etiam fabricae, et superbo proconsulis nomine insignes in obscuro oppido signatos, cum in ea ora essent urbes illustres Carthago, Vtica, Hippon etc. in quibus moneta proconsularis cuderetur. Accedit, si colonia fuit, ut censet Pellerinius, et quidem alicujus nominis, quod praeclari hi numi arguerent, cur a geographis praeteritur?

Ex his satis apparet, numos hos spissis adhuc tenebris involvi. Id unum indubitatum mihi videtur, quomodocunque urbis ipsius epigraphe legenda est, eos in conspectiore aliqua ejus regionis urbe signatos, quod tamen ex indiciis hactenus notis decidi vix poterit. Postremum adverto, quod forte prodesse horum numorum explicatui possit, Mercurium eodem modo sedentem exstare in certis numis Panormi.

Quod ad inscriptorum magistratuum lectionem attinet, animadvertendum, fere in omnibus citatis post vocabulum PROCOS. occurrere literam C, quae quam varie a viris eruditis expleta fuerit, supra vidimus. Indubitatum, eam ad sequens magistratus nomen pertinere, ac tum verisimile est, eam significare *Curante*, sic ut singularum inscriptionum sensus sit:

In numis 2 et 4 *Curante Publio* CAS. (quod est pro *Casca* aut alio cognomine ignoto) *Decreto Decurionum.*

In numis 3 et 7. *Curante Publio* GAVIO. CAS*ca.*

In numo 5. *Curante* SEX*to* POM*pejo*, vel POM*ponio* CELSO.

Huic conjecturae lucem praestant numi obvii vicinae Vticae, in quibus post nomen proconsulis passim legitur v. g. A. M. GEMELLVS. F. C., de quarum literarum probabili significatione vide, quae ibi dicentur.

* * *

Numi sequentes ab 8. usque 14. propter aversae literas verum sunt aenigma, quod antequam quis solvere tentet, certum esse oporteret, sintne ipsae

a) Bell. Afric. c. 87.

Digitized by Google

literae in numis punctis discretae, an non. Sin illud, singulae per se erunt principium vocabuli; sin hoc poterunt literae plures conjungi ad constituendum vocabulum. Punctis eas discrevere Morellius, Pellerinius, et semel Arigonius, ut adcurate expressi, atque hac fiducia Havercampus Harduino plenus eas sic explet: IIVIR*i* C*oloniae* I*uliae* C*arthaginis* P*osuerunt* I*n* S*ignum* P*iae* D*evotionis* V*oto* S*oluto* P*ublice*, P*ecunia* P*ublica* D*ecreto* D*ecurionum* a). At in numo integro musei Caesarei, tum et in binis Arigonianis puncta absunt, quo suspicio mihi suborta est non levis, nimia, et semper periculosa antiquariorum diligentia in alios quoque hujus generis numos haec puncta irrepsisse, quod viderint horum numorum possessores. Verum quando etiam ab his vinculis liberi sumus, sunt tamen alia, quae explicationem impediunt. Nam etsi plures etiam literas jungas, apta vocabula vix conficies. Tamen re omni solicite expensa verisimillimum visum, literas omnes το IIVIR. praecedentes aliud non indicare, quam praenomen, nomen, et cognomen IIviri, ut semper alias, sic ut exemplo numi XI. prima et secunda litera C. I. sint ἀρχαίσαι praenominis et nominis, reliquae cognomen constituant, quo admisso erit C. I*ulius* CRISPVS, ut revera Iulium Crispum reperit Glandorpius. CRISPPVS, vel CRISPDVS forte barbarae in colonia dialecto debebitur, et quae hoc vocabulum sequitur, litera P, quae tamen ex Pelleriniano abest, forte Crispi agnomen indicat. Nolo tamen hanc sententiam pertinacius tueri, quia forte vere singulis literis puncta interponuntur, quod me ignorare dixi, ac praeterea si, ut a nonnullis promulgatum videmus, litera quarta est certum P, crescit difficultas in eliciendo nomine *Crispi*. Ex numo musei Caesarei nihil audeo adfirmare, quia is eo loco vitium fecit.

Ad haec incerta accedit etiam horum numorum patria incerta. Probabile est, eos Vticam pertinere, in cujus moneta perfrequens est P. P. D. D., ut etiam mulier velata sedens, qualem postremus numus exhibet. Singulare est in his numis: IMP. C. D. F. A. P. M. P. P. id est: IMP*erator* C*aesar* D*ivi* F*ilius* A*ugustus* P*ontifex* M*aximus* P*ater* P*atriae*.

* * *

Procedant jam numi a numero 15. ad 22. descripti. In iis explicandis nescio, an magis mirere eruditorum opiniones dissidentes, an eorum inconstantiam et secum ipsis pugnam, ex quo apparet, nullo eos opportuno argumento nixos ad eos illustrandos accessisse, cum praestaret sane, relinquere aliquid diei pleniorem fors olim lucem ex monumentis magis loquacibus suppeditaturae, quam tot inanibus conjecturis inspergere paginas, in quibus obtrudendis multo molestissimus saepe est Havercampus. Paucis ut horum sententias commemorem, Vaillantius literas numi 15. S. P. S. C. legit: S*umptibus* P*ublicis* S*enatus* C*onsulto*, censetque numum percussum Romae ab Egnatio et Octavio IIviris aedium locandarum

a) In Morellii Impp. T. I. p. 375.

Digitized by Google

etc. a). Alio loco literas P. S. S. C. explicat: *Posuere Suffetes Carthaginis* b), putatque adeo, eos numos cusos Carthagine. Harduinus, qui numum XVII. Vticae tribuit, legit *Poni Suo Sumptu Curaverunt*. At Perizonius c): *Pecunia Signata Senatus Consulto*, cum quo sentit etiam Havercampus d). Verum idem alio loco sententiam Vaillantii de Suffectibus et numis Carthagine cusis approbat e). Alio loco legit: *Publico Sumptu Senatus Consulto* f). Idem similes numos jam signatos putat Corinthi g), jam Vticae h), jam Romae ex S. C. i). Rimardus legit: *Publico Sumptu Statuam Conlocaverunt* k). Postremum de his disserenti Neumanno certum videtur Hispaniam eorum esse patriam, etsi de urbe non constet. Argumenta capit a typo apicis in ejus regionis numis obvii, et adfinibus magistratuum nominibus l). Sed occurrit illud, si moneta Hispaniensis sunt, necesse esse, multos etiam effodi in Hispania, ac tum vehementer mirarer, eos attentissimi Florezii aciem fugisse, qui cum numos omnes patriae suae contento studio persequeretur, horum numulorum ne verbo quidem meminit. Hactenus igitur inter numos coloniarum incertos reponendi. Monendus hic lector, me aliquando opinatum, numos 19. 20. pertinere Paestum Lucaniae, sic ut ex epigraphe P S / S C superiores duas literas putarem indicare contractum Paesti nomen, inferiores *Senatus Consulto* m). At nunc contentis numis aliis hic descriptis, et quoniam nunc certum mihi est, in iis proponi caput Tiberii, cum tamen Italiae continentis urbes Augustorum aetate monetam non amplius signaverint, omnes ii adimendi Paesto certe sunt. Numum XXI. Morellius tribuit familiae Mineiae, at perperam, ut monebo in numis familiarum.

* * *

Observandum adhuc, Vaillantium per suum coloniarum opus numos non paucos a I. Caesare usque ad Trebonianum Carthagini coloniae tribuisse, quos nunc certum est, aliorsum pertinere. Ita numus Iulii Caesaris est certus Sinopes Paphlagoniae, in quo figendo erravit etiam Morellius, ejusque commentator Schlegelius n), reliqui inde ab Agrippina sen. sunt omnes coloniae Apameae Bithyniae, adeo ut Carthaginis Coloniae numos saltem certos ostentare non possimus, praeter eos, quos supra in Carthaginis numis certis recitavi.

HIPPO LIBERA.

Vrbs maritima prope Vticam, cujus numos ac historiam eleganter descripsit eruditus Blondius o). Propter aquarum irrigua teste Plinio dicta fuit *Diar-*

---

a) In fam. Egnat. b) In Colon. incert Augusti, et in fam. Lollia. c) Num. Consul. p. 276. d) ad Morell. in Lollia. e) Fam. Cornel. p. 142. f) in Fam. Mineia. g) in Egnatia. h) in Lollia. i) in Fam. Mineia. k) ad Iobert. T. II. p. 140. l) Num. pop. et urb. p. 255. m) Catal. mus. Caes. T. I. p. 25. n) Impp. T. I. p. 78. o) B. L. T. XXXIX. p. 549.

Digitized by Google

rhytus, quo discernebatur ab altero Hippone Numidiae, qui, quoniam regibus olim parebat, dictus erat *Regius*. Fuisse eam coloniam, diserte dixit Plinius junior [a]), sed etiam solus, nam scriptores reliqui, ut et numi, coloniae mentione abstinent. Errasse ergo Plinium existimat Blondius, non modo propter reliquorum auctorum silentium, sed multo magis, quod ea urbs in numis dicitur LIBERA, quod vocabulum, inquit, opponitur coloniae. At enim vereor, ut utraque causa satis sit valida. Ennam Siciliae fuisse municipium, numi invicte docent, tamen Plinius senior non modo collatum hunc honorem dissimulat, sed plane Ennam inter urbes Siciliae stipendiarias refert [b]). Neque etiam satis causae reperio, cur titulus *Liberae* adversetur coloniae. Fuit in Hipponis vicinia municipium Thibursica, apud quam bina reperta sunt marmora inscripta [c]):

RESP. MVNICIPI. SEVERIANI. ANTONINIANI.
LIBERI. THIBVRSICENSIVM.

Si municipium dici potuit liberum, nescio, cur non et colonia. Nonnullas vero colonias prae aliis plura habuisse privilegia, quorum fiducia *liberas* sese profiteri poterant, ejusque tituli admodum incertam fuisse significationem docebimus in tractatu de urbibus autonomis et liberis. Auctores alii, tum et numi Hipponem coloniam non adserunt, sed neque negant. Enimvero neque Agrigenti, neque Panormi numi, eodem, quo Hipponenses, aevo signati, coloniae nomen addidere. Ceterum haec adversus Cl. Blondium adlata argumenta ejus tamen non sunt momenti, ut plane evincant, unius Plinii testimonio standum, Hipponem coloniam adserentis, nisi forte Hippo sub Tiberio, quo imperante ejus numi sunt signati, libera quidem fuit, serius autem deducta colonia, et verum adeo dixit Plinius.

Autonomi:

LIBERA. *Caput muliebre velatum.* Ɪ HIPPONE. *Mulier adversa stans capite tutulato d. sursum elata, s. caduceum cum spicis.* AE. fere II.

Tres hujus generis hactenus cogniti, unus est in museo Caesareo, alter apud Seguinum, (sel. num. p. 13.) tertius in Pembrockiano (Part. II. tab. 10.) at typos descripsi ex nitidissimo musei Caesarei, nam Seguinus in suo perperam rosam vidit, pro qua in nostro manifestus est caduceus cum spicis. Pembrockianus etsi idem est, tamen vel ex iconismo satis apparet, aevo fuisse adrosum. Capite anticae videri possit proposita Iulia Tiberii mater. Typo posticae credo exhiberi Venerem Vraniam summa religione in hoc tractu cultam. Molesta est Seguini explicatio in antica deam Liberam, in aversa deam Hipponam videntis.

Mirum, Hipponem in numis esse generis feminini, cum tamen auctores veteres et hunc Zeugitanae Hipponem, sive Diarhytum, tum et alterum

a) L. IX. ep. 33. b) L. III. p. 163. c) Shaw Voyage T. I. p. 220. 221.

Digitized by Google

Numidiae, sive Regium, marem faciant.

AE. RRR.

Imperatorii bini sub Tiberio signati hactenus cogniti, quos Blondius ex insigni museo olim Enneryano unicos edidit, sed tertium jam ex Pembrockio novimus.

Epigraphe et caput nudum Tiberii. Ɪ HIPPONE. LIBERA. *Iulia velata sedens d. pateram, s. facem, per medium numi majore charactere scriptum* IVL. AVG. AE. II. (le Blond.)

Proponitur in hoc numo Iulia Tiberii mater specie Cereris, et videtur esse Ceres Africana, de qua Tertullianus [a]): *Viduas Africanae Cereri assistere scimus.*

* * *

Eadem adversa. Ɪ DRVSVS. CAESAR. HIPPONE. LIBERA. *Caput nudum Drusi jun.* AE. II. (le Blond.)

Eadem adversa. Ɪ L. APRONIVS. HIPPONE. LIBERA. *Caput Drusi jun. nudum.* AE. II. (Pembrock P. III. tab. 48.)

De L. Apronio procos. Africae vide, quae notavimus supra in numis incertis Carthagini tribui solitis p. 142.

AE. RRR.

PARADA.

De numis huic urbi tributis egi mox supra in numis Carthaginis coloniae.

VTICA.

Maritima prope Bagradae ostia, Carthagine eversa regionis princeps, et Catonis violenta morte celebrata.

Autonomi incomperti; quos nonnulli huc vocavere, sunt Tudertis Vmbriae.

Municipii nomine exstant copiosi, et sub uno Tiberio signati. Quis municipii auctor fuerit, disceptatur. Gellius Vticam in antiquis municipiis numerat [b]). Dio de Octaviano [c]): τῆς Οὐτικησίας πολίτας ἐποιησατο, *Vticenses civitate donavit*, a quo beneficio profectum *Iuliae* cognomen videtur.

Typus in omnibus idem: *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam*, quae est ipsa Iulia Augusta; nam ad simile signum in numo musei Theupoli adscriptum legitur: AVGVSTA. MATER. PATRIAE. [d]) et confirmatur magis numo Hipponis, de quo proxime egimus.

Epigraphe in his numis, quos vide omnes apud Vaillantium:

1) M. MVN. IVL. VTICEN. DD. PP. i. e. *Municipes Municipii Iulii Vticensis.*

2) C. VIB. MARSO. PR. COS. NE. vel NER. CAE. Q. PR. A. M. GEMELLVS. F. C. DD. PP.

3) C. VIB. MARSO. PR. COS. DR. vel DRV. CAE. Q. PR. T. C. RVFVS. F. C. DD. PP.

4) C. VIB. MARSO. PR. COS. II. L. CAECILIVS. PIVS. IIV. M. M. I. V.

---

a) L. I. ad uxorem c. 6. b) L. XVI. c. 13. c) L. XLIX. §. 16. d) pag. 664.

Digitized by Google

5) C. VIBIO. MARSO. PR. COS. II. SEX. TADIVS. FAVSTVS. IIVIR. M. M. I. V.

6) C. VIBIO. MARSO. PR. COS. III. C. CASSIVS. FELIX. A. IIVIR. DD. PP.

7) C. VIBIO. MARSO. PR. COS. III. CAELIVS. TAX. AV. IIVIR. DD. PP.

8) C. VIBIO. MARSO. PR. COS. III. C. SALLVSTIVS. IVSTVS. IIV. M. M. I. V.

Alium cum simili epigraphe, sed mire implexa, et nescio, an feliciter tentata explicatione, vide apud Liebeum [a]).

9) M. M. IVL. VTI. DD. *in medio numi* P. P. ☧ *Caput Iuliae velatum, pone sceptrum.* (Morelli in num. Liviae tab. III. n. 6.)

Magistratus.

Proconsul: C. Vibius Marsus in omnibus his memoratur, atque ex additis numeris I. II. III. docemur, eum triennio hoc magistratu functum. Ejus muneri sua nunc aetas adsignanda. Ex Tacito discimus, anno V. C. 770. Africae proconsulem fuisse Furium Camillum, qui Tacfarinatem primus impetiit, fuditque [b]). Eidem successor datus L. Apronius docente id ipsum Tacito [c]), qui victum item ab hoc proconsule Tacfarinatem V. C. 773. memorat. Quo definite anno proconsulatum adiverit, historicus non prodit, at istud docent numi 5. et 6., quos supra in numis Carthaginis descripsi, in quibus hic L. Apronius dicitur PROCOS. III. Nam cum ex his constet, L. Apronium in triennium praefuisse Africae, anno vero 770. proconsul fuerit Camillus, et anno 774. Blaesus, ut refert Tacitus [d]), necesse est, tres L. Apronii annos incidere in V. C. 771. 772. 773. Annis 774. 775. Africae praefuisse Blaesum, tum annis 776. 777. P. Dolabellam, supra in numis Carthaginis docuimus. Quis Dolabellae datus fuerit successor, dicere non habeo. Istud certum, Vibium anno V. C. 779. Romae in senatu adfuisse, cum causa Smyrnaeorum disceptaretur, ut refert Tacitus [e]). Igitur annus I. proconsulatus Vibii Marsi respondet anno V. C. 780. aut uni sequentium, ex quibus postremus esse potest annus 784., quoniam eo primum proconsule quaestores memorantur Nero et Drusus Caess. Germanici filii, et hi eodem hoc anno caesi fuere.

Quaestor propraetore. Sic dicuntur Nero et Drusus Caesares honoris causa, nimirum ut legendas censeo siglas Q. PR., de quo agam copiose in tractatu de Quaestoribus pro praetore in numis.

IIviri: in nonnullis. In numis 6. et 7. post IIvirorum nomina legitur A. et AV. dubia significatione. Vaillantius explet legendo *Augur*, vel *Augustalis.*

a) Goth. num. p. 298. b) Ann. II. 52. c) Ann. III. 21. d) Ann. III. 35. e) Ann. IV. 56.

Digitized by Google

* * *

DD. PP. Vaillantius explicat: *Decuriones Posuere.* Havercampo etiam placet: *Decreto Decurionum publice posita* nimirum statua Iuliae in his numis proposita. Vterque vir eruditus a scopo longe aberravit. Nam ecquam significationem dabunt iisdem literis PP. DD., quae occurrunt pariter in numis 8. 9. 10. etc. quos supra in numis Carthagini vulgo tributis descripsi, in quibus non modo statua nulla est, sed ne typus quidem ullus, ac nuda tantum epigraphe? Eidem huic statuae Havercampus aliique applicant quoque literas F. C. in numis 2 et 3 Vticae nostrae, sic ut secundum eos epigraphe: GEMELLVS. F. C. DD. PP. significet: *Gemellus* statuam in hoc numo depictam *faciundam curavit, Decuriones posuere.* Hanc explicationem admittendam nullo pacto censeo, etsi per annosum virorum eruditorum consensum altas jam radices videatur egisse. At multa vera diu credita per severiorem crisin falsa sunt comperta. Enimvero I. sententia haec arbitraria prorsus est, nihilque opportunum, quod persuadeat, adfertur. II. Insolens prorsus est ratio, seu numos spectes, seu marmora, ut unus dicatur unam eandemque statuam *faciendam curasse*, alter *posuisse.* Et quid tandem vocabulo *Posuere* notabitur, quod Decurionibus ex hac sententia tribuitur? an sumptus, aut procuratio? sed utrumque horum jam praecepit Gemellus; an dedicatio? verum si istud esset, haud dubie ex usitata formula scriptum fuisset DD. pro PP. quod responderet Graeco in numis saepe occurrenti ΑΝΕΘΗΚΕΝ, *dedicavit.* III. Falsa insuper est haec opinio; nam si Gemellus statuam hanc faciendam curavit, is aut sumptus ad perficiendum hoc opus contulit, aut consilium et procurationem. At neutrum vindicare sibi Gemellus potest, nam idem etiam de Rufo in numo 3. praedicatur, nempe: RVFVS. F. C. DD. PP. IV. Falsa praeterea ex eo, quia paullo antea monui, literas PP. DD. scriptas etiam esse in numis, in quibus statua nulla sistitur, ut in numo 9. ex numis in Carthagine laudatis.

Quocirca neme non videt, alium ab his literis sensum extorquendum, quam qui hactenus iis est tributus, atque ut rem paucis absolvam, ajo, eas non ad statuam Liviae, sed ad ipsos numos, eorumque fabricam ac modum pertinere. Istud de literis F. C. collati alii, numi facile docent. Ipso docente Havercampo in denariis inscriptis EPPIVS. LEG. F. C. postremae hae literae monent, Eppium Scipionis in Africa legatum eos in belli praesentem usum *faciendos curasse.* Eadem ille cum Vaillantio docet ad numos aeneos Oppii, et Sempronii Atratini, quorum titulis eaedem literae adduntur. Cum ergo in his literae F. C. ad monetae fabricam referantur, cur iis in his, de quibus agimus, numis alius sensus adfingitur? Quod hic literis F. C. indicatur, illud in numis 2. 3. 4. 5. 7. supra in Carthagine colonia descriptis solo C. notatur, quod haud dubie *Curante* legendum, sic ut sensus obvius sit, eam monetam signatam *Permissu Dolabellae Procos. Curante P. Gavio Casca*, quo modo saepe in marmoribus Graecis opus aliquod a senatu populoque imperatum le-

Digitized by Google

gitur curante illud (ἐπιμελητοῦ) hoc vel illo, cujus exempla passim prostant in Miscellaneis Sponii, aut quo modo L. Sulla tempore belli Mithridatici monetam in Peloponneso feriri jussit procurante opus istud Lucullo, ut narrat Plutarchus [a]).

Restant explicandae literae DD. PP. vel PP. DD. Eas jam vidimus supra in Carthagine inter numos huic urbi a nonnullis tributos inde a numero 8 usque ad 14, in quibus semper scribitur PP. DD., et fere semper in medio numi loco typi, sequiturque nomina IIvirorum. In Vticensibus nostris scribitur: A. M. GEMELLVS. vel: T. C. RVFVS. F. C. DD. PP. In tot coloniarum numis obviae sunt litèrae DD., vel EX. DD., quae nemine hactenus repugnante lecte sunt EX. *Decreto Decurionum*, nimirum praecipientium pecuniam signari. Multo id clarius elucet ex numis vicinae Babbae, in quibus: DD. PVBLIC. vel: EX. CONSENSV. DEC., id est: *Decreto Decurionum publico*, vel: *ex consensu decurionum*, quae epigraphe non utique ad typum, aut statuam, sed ad pecuniam referenda est, nisi dicere velimus, palmam arborem, quae in Babbae numis visitur, aut bovem cornupetam decreto decurionum fuisse positum. Praeeuntibus ergo his numis libenter has literas DD. PP. explicarem legendo: *Decreto Decurionum Publico*, sed turbat geminatum P, quod multitudinis item numerum exigit. Quid si legendum statuamus: *Decuriones probavere?* sic ut sensus sit: A. M. GEMELLVS vel: T. C. RVFVS. hos numos *Flandos*, vel *Feriundos*, vel *Faciundos Curavit*, *Decuriones Probavere*. Constat ex veteribus, opera publica, quae, ut perficerentur, elocata fuere, subinde a magistratu fuisse examinata, inquisitumque, an ad praescriptum fuerint confecta. Livius [b]): *Eo anno C. Furius Pacilus, et M. Geganius Macerinus censores villam publicam in campo Martio probaverunt.* Idem alibi [c]): *Petentibus* censoribus, *ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera, quae locassent, probanda anni et bimensis tempus prorogaretur etc.* Ovidius loquens de condito in Circo Herculis templo ait [d]):

Si titulos quaeris, Sulla probavit opus.

Magis idonea eloquuntur lapides. Carolus Neapolis ad hunc ipsum Ovidii versum recitat marmor:

M. MANILIVS. M. F.
L. TVRPILIVS. L. F.
DVOMVIR.
DE. SENATVS. SENTENTIA
AEDEM. FACIENDAM. COERA
VERVNT. EIDEMQVE
PROBAVERE.

Inscriptio pontis Fabricii apud Gruterum [e]) sed quam correctius edidit Fabrettus [f]), haec habet:

a) in Lucullo. b) L. IV. c. 22. c) L. XLV. c. 15. d) Fast. VI. v. 212. e) p 260. 3. f) Inscript. p. 240.

Digitized by Google

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR.

FACIVNDVM. COERAVIT

EIDEMQVE. PPOBAVEIT.

Confer simile marmor aliud apud Gruterum a). Ad eundem modum fieri poterat, ut Gemello, vel Rufo feriundae hujus monetae mandaretur negotium, sic tamen, ut decurionum conlegium sibi jus reservaret, in justam ejus pondus, et si ad praescriptum signata esset, inquirendi, eamque ratam habendi, aut secundum hactenus dicta probandi.

a) Pag. 187. 4.

Digitized by Google

NVMIDIA.

Restant ad finiendam geographiam numismaticam extremae in occasum Africae regiones Numidia, et Mauretania. Vtraque regio usque ad Caesarum aetatem in numis ignota, si numos Iubae I. demas, magis deinde sub regibus, quos Caesares imposuere, coepit inclarescere. Horum regno a Caligula everso fuit una colonia Babba, quae deinceps numos ferire perrexit, quorum postremus exstat cum capite Galbae. Tamen deinceps in numis Hadriani, Antonini Pii, et Commodi, sed commatis Romani, fit mentio Mauretaniae, scripto constanter MAVRETANIA, quos olim in serie sua dabimus. Iam ergo, qui ab Hispania Lusitanica Oceano Atlantico adsita Apolline Moneta duce viam ingressi sumus, itinere, si cursum spectes, velut Circensi, ad eundem Oceanum revertimur, visi nobis ex continente in vicinas insulas Fortunatas transgressi, ibique longi laboris mercede beari, si modo iis, quae hactenus scripsi, eruditi lectoris videar suffragia promeritus.

HIPPO REGIVS.

Vrbs S. Augustini episcopatu clara, sed numorum sterilis; nam quos inscriptos C. G. I. H. P. A. huic largitus est Vaillantius, esse Parii Mysiae, in hujus coloniae numis docuimus.

VAGA.

Numos literis Africanis inscriptos huc refert cl. Dutens a). Sed de numis simili charactere notatis egimus in tractatu de numis Phoeniciis.

a) Expl. de quelq. méd. p. 67. et 132.

Digitized by Google

MAVRETANIA.

CAESAREA, *antea* IOL.

A Iuba juniore sic in Augusti gratiam appellata. Fuit urbs maritima in Mauretania Caesariensi. Historiam illustris hujus urbis ejusque monumenta multa eruditione exposuit Belleyus [a]).

Autonomos et *Imperatorios* Tiberii et Iuliae literis Africanis notatos Pellerinius, quod iis nomen *Iol* contineri censuerat, huc refert [b]), de quibus pauca attigi in tractatu de numis Phoeniciis.

BABBA.

Mediterranea in Mauretania Tingitana, quam Plinius ait esse *coloniam Augusti*, appellatam *Iuliam Campestrem* [c]), quos titulos numi quoque confirmant.

Coloniae nomine sunt cum capite Augusti, (Pellerin.) Agrippae, (Morelli Impp.) Claudii, Neronis, Galbae, quos vide apud Vaillantium et Morellium.

Epigraphe: C. C. I. B. vel: Col. I. BA. vel: COL. C. I. BA. additur semper vel DD. vel DD. PVBL. *Decreto Decurionum* PVBL*ico*, vel EX. CONS. D. vel DEC. vel plenius: EX. CONSENSV. DD.

Typi: in numis Augusti *Livia velata sedens d. pateram, s. hastam.* In aliis: *palma, bos undis innatans, caput Aesculapii, pons, bos cornupeta.* Sunt apud Vaillantium. *Figura rupi insidens d. ancoram, s. cornucopiae*, in numo Claudii. (Arigon.)

Tituli: Iulia, Campestris, uterque ex numis, et Plinio. Quia huic *colonia Augusti* dicitur, existimat Harduinus, deductam ab Augusto, dictamque Iuliam, quia et Augustus Iulius. Sed Vaillantius deductam a Iulio, cujus propterea nomine gloriatur, auctam ab Augusto conjicit. Mallem praeferre priorem Harduini.

AE. R.

CILI, ZILIS.

Fuit Zilis secundum Plinium in ora ipsius Oceani, et dicta Plinio *Colonia Augusti Iulia Constantia.* Florezius huc referendum conjectat numum inscriptum CILI. [d]) quem aliquando ratione typi Celtiberorum urbi incertae tribuerat. Res etiam nunc incerta.

---

a) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 90. b) Rec. III. p. 150. Mel. I. p. 143. c) L. V. §. 1.
d) Med. de Esp. T. III. p. 50.

Digitized by Google

REGES NVMIDIAE ET MAVRETANIAE.

Ex regibus Numidiae, quorum perpetuam seriem habemus apud Reineccium, et Belleyum [a]), opes numismaticas sero tandem offert Iuba. Eas una cum regum genealogia descriptas reperies apud Spenium [b]), et Frölichium [c]).

IVBA I.

Hiempsalis filius. In bello civili Pompejanas partes secutus I. Caesaris duces Africam infestantes magnis detrimentis adficit. Ipse tandem junctis cum Scipione copiis ad Thapsum a Caesare victus inter magnificas epulas una cum M. Petreio mutuis vulneribus occumbit V. C. 708.

Numi:

REX. IVBA. *Caput regis barbatum peregrino cultu, juxta sceptrum.* ℞ *Epigraphe Numidica. Templum octo columnarum.* AV. (Pembrock Tab. XI. Mus. reg. Gall. teste Beauvais.) AR. III. obvii.

REX. IVBA. *Protome Victoriae.* ℞ *Eadem epigraphe. Equus liber currens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Iovis Ammonis. ℞ *Eadem epigraphe. Elephas.* AR. mixti I. II. (Mus. Caes. Pellerin Rec. III. p. 144.)

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. ℞ *Eadem epigraphe. Leo gradiens.* AE. II. (Pellerin l. c.)

In numo I. caput regis barbatum et cultu peregrino proponitur. Nonnihil huc conferunt verba Strabonis, qui Mauros comam in cincinnos cogere et barbam alere testatur [d]), et narrat Suetonius, I. Caesarem adhuc juvenem in altercatione ejusdem Iubae barbam invasisse [e]). Eundem *bene capillatum* dixit Cicero [f]). In nonnullis id genus numis capitis ornatus constare plumulis videtur. Literas epigraphes, cujus hactenus explicatum nemo reperit, Punicas plerique statuunt, sed forte verius sunt putandae Numidicae a Punicis distinctae, quod jam opinatus est Pellerinius [g]). Numus alter nomen quidem regis, non item caput sistit, tamen Iubae I. jure tribuimus, cum quod epigraphe ejusdem formae literas exhibet, quales nu-

a) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 90. b) Misc. p. 147. c) regg. vett. num. p. 75. d) L. XVII. p. m. 1184. e) in I. Caes. c. 71. f) Leg. agrar. II. c. 22. g) l. c.

Digitized by Google

mus prior, tum quod hactenus in certis Iubae II. numis characterem Numidicum non observavimus. Aversa sistit equum citato cursu, nam tractus is jam vetere aevo a propagine generosorum equorum claruit. Perrari hujus numi picturam olim vulgavi a). Numi duo postremi regis neque effigiem, neque epigraphen praebent, tamen eidem Iubae vindicare illos non veretur Pellerinius, quod in his item ejusdem rationis est epigraphe, quae in praecedentibus. Apparet ergo, in has usque plagas Iovis Ammonis gloriam propagatam, et elephantum ut Aegypti et Libyae, sic et Numidiae fuisse symbolum.

In omnibus his numis ut eadem est epigraphe, eadem literarum forma et ordo, sic et in ipsa literarum Numidicarum se consequentium serie interceptas videas litteras XX𐌚. In citato aureo Pembrockiano praetenditur scriptum XXXX𐌚, sed vereor, ne ejus numi pictor postremos duos characteres, qui vere sunt Numidici, incautius in X mutaverit. Viri eruditi non pauci notis his indicari regni annos credidere, capto haud dubie judicio ex numis filii Iubae II., et nepotis Ptolemaei. Ergo Belleyus, quem in eadem fuisse sententia, et fidem numo Pembrockiano habuisse video b), non veretur Iubae tribuere annos regni XXXX, at cum certa fide constet, eum tot annos regno solum non praefuisse, a patre Hiempsale adscitum collegam opinatur. Verum a Cicerone, qui in consulatu suo hunc Iubam praesentem Romae vidit, non rex, sed regis filius dicitur c), et sic etiam a Suetonio d). Enimvero nullatenus dubito, notas XX. in hujus Iubae numis, quoniam non seorsim scriptae sunt, sed in medio inscriptionis Numidicae positae, esse quoque Numidicas, neque obest, habere illas formam characteris Latini, nam eandem literam habet etiam alphabetum Samaritanum, in quo *Tau* notat; quin et eandem literam in aliis numis Mauretanicis obtinere locum, patebit perlustranti tabulam CXX. Pellerinii in Rec. T. III., qua ejus generis numismata plura continentur.

AR. R. AE. RRR.

IVBA II.

Iubae I. filius, caeso post Thapsensem calamitatem patre paene infans victori Caesari traditus, atque ab hoc in Africano suo triumpho inter captivos ostentatus liberaliter tamen in urbe educatus fuit. Octavianus per M. Antonii necem rerum unus potitus circa annum V. C. 724. Iubae paternum Numidiae regnum restituit, et una Cleopatram Selenen M. Antonii et Cleopatrae filiam-uxorem dedit. Idem aliquot post annos pro Numidia Mauretaniam illi Caesariensem et Tingitanam cessit additis serius Getulis. Mortuus est circa annum V. C. 772. P. X. 19. relicta praeclara sui memoria, quam moderatione, ac praecipue multiplici eruditio-

a) Catal. mus. Caes. T. I. tab. IV. n. 21. b) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 101. et 113.
c) leg. agrar. II. c. 22. d) in I. Caes. c. 71.

Digitized by Google

ne, quam, editis multis libris, cumprimis historicis comprobavit, eat promeritus, quae prolixe exposita vide apud Sevinum [a]).

Ex Cleopatra Selene filium habuit *Ptolemaeum*, qui successit.

Numi:

REX. IVBA. *Caput imberbe diadematum.* ☧ *Cornucopiae intermedio sceptro.* AR. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. ☧ LVCV. AVGVSTI. *Ara inter duas lauros, infra astrum.* AR. III. (Pellerin.)

Eadem adversa. ☧ *Elephas.* AR. III. (Catal. d'Ennery p. 316.)

Eadem adversa. ☧ *Aquila fulmini insistens, et sceptrum.* AR. III. (Ibid.)

Numus alter per aversae argumentum nobilis. Offert nempe lucum Augusto a Iuba dedicatum, non uno hoc exemplo, nam et *lucus Augusti* memoratur in marmore Hispanico apud Arundam reperto, quod edidit Carterus Anglus in itinerario suo [b]). In alio apud Sponium [c]) T. Nigrius dicitur oriundus TRIBOCO. EX. GERMANIA. SVPERIORE. LVCO. AVGVSTI. Lucus Augusti in Vocontiis Galliae laudatus Plinio [d]). De sacris id genus lucis hic plura monere non attinet. Lucos hos fuisse religione sacros, dicam in numis Augusti consecrati.

* * *

REX. IVBA. REGIS. IVBAE. F. *Caput diadematum.*

R. PTOLA. XVII. *Aquila.* AE. I. (Maffei Ant. Gall. p. 117.)

REX. IVBA. *Caput imberbe diadematum, pone clava.*

R. XXXI. *Victoria navi insistens.* AR. III. (Frölich Reg. vet. p. 80. Catal. d'Ennery.)

Eadem adversa.

R. XXXII. *Victoria gradiens super capite elephanti.* AR. III. (Liebe Goth. num. p. 145.)

Eadem adversa.

R. XXXII. *Corona querna, intra quam scriptum* CAESAREA. AR. III. (Maffei Osservaz. lett. T. V. p. 285. Belley B. L. T. XXXVIII. hist. p. 110.)

REX. IVBA. *Ejus caput.*

R. XXXIIII. *Astrum intra lunam.* AR. III. (Catal. d'Ennery l. c.)

Eadem adversa.

R. XXXV. *Capricornus, globus, cornucopiae.* AE. III. (Ibid.)

REX. IVBA. *Caput regis leonis exuviis tectum.*

R. XXXVI. *Cornucopiae cum transverso tridente.* AR. III. (Beger Th. Br. T. I. p. 303.)

REX. IVBA. *Caput regis diadematum.*

R. XXXXII. *Capricornus cum remo, glo-*

---

a) B. L. T. IV. p. 457. b) Part. I. p. m. 147. c) Misc. p. 188. d) L. III. p. 48.

Digitized by Google

bo, cornucopiae. AR. III. (Spanheim T. I. p. 543.)

REX. IVBA. *Caput regis diadematum.*
ET. MT. *Clava intra lauream.* AR. III. (Mus. Caes.) In alio: ET. ME. (Harduin, Catal. d'Ennery l. c.)

Eadem adversa.
R. XXXXVIII. *Caput senile diadematum.* AR. III. (Harduin.)

Eadem adversa.
R. XLVIII. *Ara, seu basis fumans intra duas arbores.* AR. III. (Harduin.) Spanhemius in simili avim arae incubantem intra duas arbores videt [a]). Dubium non est, typum esse eundem, quem supra in numo LVCV. AVGVSTI. descripsimus.

Habes hic Iubae II. numos omnes collectos, qui regni annos inscriptos offerunt. Elementum R. esse initium vocabuli *Regni*, et subaudiri *Anno*, confit ex numis filii Ptolemaei, in quibus aperte ponitur R. A. In paucissimis, ut vidimus, regni annus Graece notatur, sed quemadmodum numos patris Iubae vidimus bilingues, sic ut horum epigraphe constaret literis partim latinis, partim Numidicis, ita et numos filii habemus bilingues, at sic, ut unus idemque numus epigraphen et Latinam et Graecam praeferat, quod magis patebit ex sequentibus. Ex numis duobus postremis perspicimus, Iubae II. regnum saltem in annum XLVIII. porrectum. Inquirendum jam, quantum hi valeant ad figendum ejus regni initium finemque. De Iubae excessu haec Strabo [b]): Ιυβας μεν ὐν νεωστι ἐτελευτα τον βιον· διαδεδεκται δε την ἀρχην ὑιος Πτολεμαιος γεγονως ἐξ Αντωνιᾳ θυγατρος και Κλεοπατρας. *Iuba quidem nuper diem obivit. Successit in regno filius Ptolemaeus ex Antonii et Cleopatrae filia natus.* Non multo ergo antea Iuba II. mortem oppetiit, quam Strabo opus suum vulgavit. Factum istud V. C. 773 P. X. 20., contendit Soucietus [c]). Si ergo Iuba paternum Numidiae regnum adiit V. C. 724. vel 725., ut discimus ex Dione [d]), annus regni XLVIII. incidet in annum V. C. 771. vel 772., et si is paullo post diem obiit, poterat is a Strabone dici *nuper* mortuus.

Typi aut Herculis aut Augusti cultum praedicant. Augustum a Iuba impensius observatum, quod ei praeclaram in urbe institutionem, regnum, et omnia debuerat, nequaquam mirum. Adfectus in Herculem causam suppeditat Plutarchus, cum narrat [e]), Herculem ex victi Antaei uxore Tinge genuisse Sophacem, unde genus suum traxere reges Mauretaniae, atque inter hos noster quoque Iuba. In hoc etiam tractu Herculem cum Antaeo commissum, coelum pro Atlante gestasse, sitosque fuisse Hesperidum hortos, unde mala aurea abstulit, docuit fabula. Quae causa fuit, cur et clavam capiti suo adstituerit Iuba, ut in numis aliquot ex citatis vidimus.

Inscriptum in uno CAESAREA recte

a) l. c. b) L. XLII. p. m. 1185. c) Dissert. T. III. p. 47. d) L. LI. §. 15. e) in Sertorio.

Digitized by Google

Belleyus ad ludos *Caesarea* a Iuba in Augusti honorem celebratos refert.

* * *

IVBA. REX. IVBAE. F. II. V. Q. *Flos loti.* ☧ CN. ATELLIVS. PONTI. II. V. Q. *Instrumenta pontificalia.* AE. II. (Florez Med. de Esp. T. II. p. 654.)

Numum hunc fuisse in colonia quapiam signatum, ejusque coloniae ipsum nostrum Iubam IIvirum, epigraphe diserte enunciat. Eum Gadibus IIviratus honore functum, testatur Avienus de iisdem agens Gadibus [a]):

At vis in illis tanta, vel tantum decus
Aetate priscâ sub fide rerum fuit,
Rex ut superbus, omniumque praepotens,
Quos gens habebat forte tum Maurusia,
Octaviano principi acceptissimus,
Et literarum semper in studio Iuba,
Interfluoque separatus aequore,
Inlustriorem semet urbis istius
Duumviratu crederet.

Ceterum quae fuerit haec colonia, quae praesentem signavit numum, et Iubae IIviratu illustris fuit, etsi numus non memorat, verisimile tamen est, fuisse Carthaginem Novam. Apud hanc enim urbem repertum est marmor, quod edidit Sponius [b]), emendatius deinde Belleyus ex itinerario Shaw [c]),

REGI. IVBAE. REGIS. IVBAE. FILIO.
REGIS. IEMPSALIS. N. REGIS. GAVD - -
PRONEPOTI. MASINISAE. PRONEPOTIS.
NEPOTI. IIVIR. QVINQ. PATRONO. COLONI.

Cum ergo certo sciamus, Iubam hujus coloniae fuisse quinquennalem, probabile etiam, numum in eadem colonia signatum, praecipue cum constet, adfectasse eam, illustres habere IIviros, nam et Neronem, Drusum, Caium Caesares ab ea in IIvirorum collegium cooptatos ex numis docemur. Ejus quidem marmoris fidem in critica sua lapidaria acriter impugnavit Scipio Maffeius [d]), sed credo immerito, ut plura alia in eo opere. Etiam filium Ptolemaeum ex numis IIvirum probari, mox videbimus. Flos loti ad genus uxoris Cleopatrae ex Aegypto ductum, instrumenta pontificalia ad Cn. Atellii PONTI*ficatum* adludunt.

AR. R.

Numi Iubae II. et Cleopatrae.

REX. IVBA. *Caput regis imberbe diadematum.*
Sine epigraphe. Caput Cleopatrae. AR. III. (Pellerin.)

Eadem adversa.
ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. *Hujus caput.* AR. III. (Mus. Caes. Morelli Spécim. tab. 23.)

Eadem adversa.
ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. *Astra*

a) de ora marit. v. 275. b) Misc. p. 145. c) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 101. d) pag. 407.

Digitized by Google

solis et lunae. AR. III. (Harduin, Catal. d'Ennery p. 318.)

Eadem adversa.
BACIΛI. KΛEOΠATPA. *Lotus et sistrum.* AR. III. (Pembrock P. II. tab. 74. Catal. d'Ennery l. c.)

REX. IVBA. *Caput regis diadematum prominente retro clava.*
BACIΛICCHC. KΛEOΠATPAC. *Flos loti.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vides, Iubam inscribi Latine, uxorem Cleopatram Graece. Nimirum Iuba, qui Graecus non fuit, uti malebat lingua Latina, quae tum in ejus aula plurimum valuit; at placuit Cleopatrae retinere linguam Graecam sibi domesticam. Ad unam Cleopatram pertinent lotus et sistrum originis Aegyptiacae argumenta, ut et astra solis et lunae, quibus indicantur Alexander et haec Cleopatra, quos uno partu editos Antonius IIIvir et Cleopatra solem et lunam appellavere, et constat ex Dione, Alexandrum hunc solem capta Aegypto Octaviani permissu sororem lunam in Numidiam secutum [a]), nisi forte hic typus adludit ad solis lunaeque cultum, quem in hoc Africae tractu valuisse narrat Herodotus [b]).

AR. R. AE. RRR.

Numus Cleopatrae solius.

Caput reginae peregrino cultu, cujus vertici lotus imminet, in area astra solis et lunae. ☧ *Tres spicae.* AR. III. (Pellerin Rois p. 55.)

Multa sunt, quae purgatum Pellerinii judicium confirmant, drachmam hanc numum, etsi anepigrapha sit, huic Cleopatrae tribuentis, lotus, solis et lunae astra, quae ejus reginae amica fuisse symbola ex praecedentibus numis vidimus. Deinde plerique regum Numidiae et Mauretaniae numi, ut praesens, argentei sunt, et drachmae pondere, repertum etiam suum eo loco, ubi hodiernum est Alger, testatur Pellerinius. At quod plurimum huc facit, in filii Ptolemaei numo eadem est aversa trium spicarum.

AR. RRRR.

PTOLEMAEVS.

Videtur a patre adhuc vivo in regnum adscitus, ut colligo ex numis. Eum Tiberius beneficiis auxit, quod Romanos in bello adversus Tacfarinatem juvit. A consobrino Caligula Romam evocatus, cum hujus odium seu propter opes, seu regii cultus magnificentiam incurrisset, positis insidiis e medio tollitur V. C. 793.

Numi:

Hujus regis numos sibi cognitos collegit ediditque Frölichius [c]). Ab eo tempore proditi alii. En eorum syllabum:

PTOLEMAEVS. REX. *Caput diadematum.*

a) L. LI. §. 15. b) L. IV. c. 188. c) reg. vet. num. p. 84.

Digitized by Google

R. A. I. *Palma arbor.* AR. III. (Pembrock P. II. p. 74.)

Eadem adversa.
R. A. Δ. *Duae sellae curules, quibus corona imposita, ad dexteram hasta transversa.* AR. III. (Frölich. l. c.) Addita nota numeralis haud dubie senarius est:

Eadem adversa.
R. A. X. *Capricornus cum gubernaculo et cornucopiae.* In alio: *Leo currens.* In alio: *Palma arbor.* In alio: *Tres spicae.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin, Spanheim, Mus. M. Ducis.)

Eadem adversa.
Astra solis et lunae. AE. III. (Vaill. ad Seguin. p. 404.)

Literae R. A. addito numero *Regni Annos* indicant, qui mos jam in moneta patris obtinuit. Typi explicatione non egent, si numum ex adlatis secundum demas, quem non ambigue explicat Tacitus [a]): *Cognitis dehinc Ptolemaei per id bellum* (Tacfarinatis) *studiis repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus, qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque et socium atque amicum appellaret.* Similia collati regibus exteris honoris argumenta adfatim videas in numis Regum Thraciae et Bospori. Accedit, quod annus VI. Ptolemaei revera in annum V. C. 777., quo finitum est bellum Tacfarinatis, incidat, si annum, quo solus regnare coepit, statuamus V. C. 772., quo mortuum patrem supra diximus. Decretos ergo sibi a Tiberio honores, sellam curulem, et hastam, seu scipionem eburnum continuo grati animi causa numis insculpsit.

* * *

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput Augusti nudum.* Ϫ REX. PTOL. *intra coronam; in numi peripheria:* C. LAETILIVS. APALVS. II. V. Q. AE. II. (Florez T. II. tab. LVI. n. 8.) AE. III. (Mus. Caes.)

Patrem Iubam coloniae IIvirum supra vidimus, en similem honorem a filio Ptolemaeo quoque admissum. Sed enim difficultatem non levem creat illud, quod Ptolemaeus in numo dicatur REX., qui vivo adhuc Augusto signatus eo intelligitur, quod abest appellatio DIVI, et omnis ejus consecrati character. At constat, Ptolemaeum regnum adivisse, cum jam annus V. ab Augusti morte iret. Ejus expediendi nodi aliam non reperio rationem, quam si statuamus, Augusto adhuc vivo, et hoc permittente Ptolemaeum patris in regno conlegam agnitum. Quid quod veteres honoris causa nonnunquam reges dixere illos, qui fuere regum filii, cujus exemplum altius dedi in numis Herodis M. (Vol. III. p. 485.) Verisimile est, numum hunc Carthagine Nova cusum, perinde atque numum patris, ut in hujus moneta diximus.

* * *

Eodem loco Frölichius numum drach-

a) Ann. IV. c. 26.

Digitized by Google

mae pondere edidit, et huic Ptolemaeo tribuendum conjecit, in cujus una parte est caput diadematum addita epigraphe, ut vir eruditus legerat: ΠΤΟΛΕΜΑΙ. In aversa est: C. MAMIL. LIMETAN. typo Vlyssis gradientis, cui adblanditur canis. Rei insolenti cum non statim fidem haberem, numum hunc, qui una cum museo de France Vindobona Londinum in gazam Hunterianam concessit, iterato inspexi, et continuo adverti, esse ex eorum genere, quos barbari ad exemplar numorum Romanorum frequentes signavere, de quibus a me non multo post agetur.

Digitized by Google

NVMI POPVLORVM,

VRBIVMQVE INCERTARVM.

Exstant hujus classis numi non pauci, qui ignobilem incertorum stationem occupant, et diu, ac forte semper occupabunt. Ejus vitii causae sunt complures, sive cum loci natalis mentionem plane reticent, quo malo numi operis pervetusti saepe laborant, aut cum urbis nomen litera tantum una binisve absolvitur, inscripto tantum v. g. Σ, vel ΣA, aut Φ, vel ΦA, scilicet multis urbibus ab his literis incipientibus; sive cum urbis nomen cum multis aliis commune est, neque certum aliud adest discrimen, cui urbi potius prae alia tribuendus sit numus, quo nomine negotium saepe facessunt numi, qui Apolloniae, ac multo magis, qui Heracleae nomen inscriptum offerunt; sive cum temporum injuriis vexati exesa penitus literarum parte, aut saltem attrita dubiam oculis epigraphen offerunt. Multis fortuna dedit, ut, cum diu incertorum agmen augerent, tandem, cujates essent, intelligeretur, nimirum cum in lucem prodirent similes alii, qui epigraphen aliquam addidere, aut saltem minus parcam, aut pro vitiata illaesam, magisve integram. Sic cum diu dubitaretur, quorsum essent vocandi numi quidam inscripti solo Σ, vel ΣA, docuit denique similis numus Hunterianus pleniore vocabulo ΣAMIΩN, ex Samiorum eos officina prodivisse. Similia ejus modi exempla alia passim per hoc opus occurrunt. Quid quod ad noscendos veros numorum natales saepe profuit erudiri, qua in regione ac vicinia majore numero soleant reperiri. Ita cum inde a Goltzio omnibus esset persuasum, argenteos satis obvios operis perantiqui, qui violentum virginis raptum sistunt, esse Lesbios, nunc satis constat, in Macedoniam esse revocandos, quia certos habemus auctores, in hac eos frequenter effodi.

Horum ope subsidiorum cum multis suam patriam reddidimus, ita saepe dubitamus adhuc, aut plane ignoramus, quam esse de multis aliis ferendam sententiam putemus. Lubet pauca similium numorum exempla proferre.

Digitized by Google

* * *

Caput muliebre cum corona fastigiata, et floribus distincta. Ꜩ IAΣΩ. *Serpens ab ara adsurgens.*

Hunc numum ex auro vidi in museo M. Ducis, aeneum produxere auctores non pauci, quos vide apud Rasche in Lexico [a]). Hos alii esse Iassi Cariae edixere, alii ejusdem nominis urbi Achaiae, alii vocabulo IAΣΩ intelligendam filiam Aesculapii ejusdem nominis etc. Hactenus incerta omnia.

* * *

MEP. *(literis perantiquae formae) Bacchus barbatus et nudus stans d. extenta aliquid lunae crescenti simile, intra brachium sinistrum surculum vitis ad pedes usque dependentem stringit.* Ꜩ *Racemus pendente botro.* AR. I.

Numi hujus iconismum princeps Turris Muciae Raschio viro clarissimo misit, qui eum in Lexico suo aeri incisum dedit [b]). Existimat eruditus princeps, eum deberi *Meroe* Lyciae urbi. Raschius respondit [c]), videri sibi, esse numum Coorum, quorum insula *Merope* antiquitus vocata fuit. Cl. Sestinus utriusque sententiam in examen vocans, qui numum ipse in museo Baronis Astuti vidit, numum esse Siculum non dubitat, praecipue cum repertum in Sicilia constet, et forte adeo dandum urbi Siculae, dictae *Mezaca*, vel *Mazaca* [d]). Omnibus his conjecturis nihil hactenus provectum. Esse numum Lyciae, vel Co insulae, nemo peritior sibi persuaderi patietur, qui tamen vix adhaerebit in Sicilia, vel saltem Graecia magna signatum profiteri, adeo omnia hujus tractus monetam, sed antiquissimam, spirant. Esse Mezacae, tum denique credam, cum quis fidem fecerit, postremam literam P positam esse pro Z, (in numis Zancles, qui huc in testimonium vocantur, elementum P non est positum pro Z, sed est certum Δ) aut exstitisse in Sicilia urbem aliquam dictam *Mezaca*. Erit igitur numus hic alicujus urbis, quae aut nomen suum mutavit, ut ex Zancle facta est Messana, aut cujus propter ignobilitatem, aut quod dudum deserta jacuit, auctores veteres non meminere. Quod Bacchum dixi lunae specie dextera praeferre, haud dubium est cornu, quo vetustissima aetas pro poculis uti consuevit.

* * *

Caput turritum. Ꜩ APTA--KAIΩN. MHTPOΠOΛEΩΣ. *Spicae cum monogrammate utrinque.* (Maffei Ant. Gall. epist. 22.)

Caput muliebre turritum. Ꜩ APTA-KAIΩN. MHTPOΠOΛЄΩC. *Spica, in area* IB, *et duo monogrammata.* AE. III. (Mus. Muselli T. I. tab. IV. urbb.)

Maffejus numum suum Artace Bithyniae, aut Artacoanae, quae fuit caput Arianae regionis, tribuit. Huic judicio non adversatur quidem Frölichius, addit tamen, a cl. Corsino tribui Phrygiae [e]). In museo Musellii dicitur esse *Artaclii*, sed cujus haec regionis urbs? Operae pretium non esset, in ea investiganda tam esse curiosum, nisi addi-

---

a) Sub IAΣΩ. b) T. III. P. II. in praef. c) in praef. ad Tom. seq. d) Lettere T. III. p. 80. e) Notit. elem. p. 76.

Digitized by Google

tus *metropoleos* titulus cupiditatem intenderet.

* * *

ΛΑΝΔΙΝΑ. OC. *Caput muliebre.* Ɪ *Mulier sedens.* AE. III. (Pellerin Rec. I. tab. X. n. 6.)

Caput Apollinis. Ɪ ΛΑΝΔΙΝΑ. *Mulier stans d. coronam.* AE. III. (Ibid.) n. 7.)

De urbe quapiam dicta *Landina* nihil ex veteribus constat. Pellerinio ex Italia advenere.

* * *

Caput virile laur. Ɪ ΠΟΙΗΤΟΥ ΚΑ ΧΟΡΤΩΝΟC. *Duo ligna parallelo situ posita.* AE. III. (Sestini Tom. I. tab. IV. n. 25.)

Auctor per universum suum opus numi hujus ne verbo quidem meminit, et tamen causa insolentis suae inscriptionis promereri istud videbatur.

* * *

Quadrupes alatus instar leonis vel gryphi, vel: *Caput leonis adversum*, vel: *Duae boum protomae conjunctae averso situ*, vel: *Leo bovem depascens*, vel: *Pegasus etc.* Ɪ *Epigraphe varia*, ΚΟΠ. ΚΟΠΡΑΛΕ. ΡΑΨΑΡΕ. *in nonnullis mixtae literae peregrinae incerti valoris. Triquetrae quaedam species intra quadratum.* AR. II. III. (Hunter tab. 66. n. XXIII. — XXVII. Pembrock P. II. tab. 15. Mus. Caes.)

Numi hi longae antiquitatis omnia praebent specimina, sed dolendum, ad noscendam eorum patriam nihil posse certi adferri. Typus triquetrae, in Aspendi et Selges numis frequens, ut et horum numorum apparens fabrica opinari jubet, in Pisidia aut vicino tractu fuisse signatos.

* * *

Caput Iovis. Ɪ $\frac{\text{APTЄ}}{\text{MЄN}}$ *Gubernaculum, inferne sagitta.* AE. III. (Mus. princ. de Waldeck.)

Eundem numum cl. Odericus ex museo Benedicti vulgavit, sed quidquid ad epigraphen explicandam attulit, non effecit, ut numus ex incertorum statione possit eximi.

* * *

En tibi ex amplo agmine numos tantum aliquot, de quorum patria jure adhuc dubitatur. Erat principio animus construere catalogum numorum omnium hoc vitio laborantium. Verum abjeci consilium, non quo molestum laborem subterfugerem, sed quia praevideram, lectorem eruditum parum inde utilitatis hausturum, quoniam, cum explicandis numis dubiis impendimus operam, necesse est, vel numos ipsos usurpare oculis, vel certe fideles eorum imagines. Vtile tamen visum, commemorare virorum eruditorum opera, in quibus hujus naturae numi continentur, quod indicium secuti ii, qui nostris studiis vacant, saltem molesto eos investigandi labore se levatos experientur. Enimvero non parum ad solidam artis hujus cognitionem confert, istud numorum genus per intervalla oculis percurrere. Profecto nunquam egomet hunc mihi laborem sumpseram, quin insignio-

Digitized by Google

rem aliquem locatae operae fructum reportarem.

Primus fuit Pellerinius, vir ab artis nostrae studiosis nonnisi summo semper cum honore nominandus, cui e re visum, numis urbium certis, quos vulgavit, addere ad calcem numos ambigui explicatus. Hunc deinde ducem secuti sunt plerique, qui numorum anecdotorum seriem in lucem dedere, quorum tibi nunc omnium opera indicabimus. Monendum tamen, ab hoc censu excludi numos peregrinis, ignotisque literis inscriptos, quos certis suis, quorsum pertinent, stationibus inseruimus.

* * *

PELLERIN. Praeter incertos Hispaniae, Galliae, Italiae, quos singularum regionum numis adjecit, et de quibus loco proprio egimus, eorum justum numerum parte operis sui inscripta *Recueil* Tomo III. tabula CXV. et pluribus sequentibus obtulit. Vix paucos in operibus, quae deinceps edidit, reperias.

KHELL. Horum nonnullos obtulit in *Adpendiculae II.* tab. III. et IV.

EGO in variis meis operibus, quae post hos IIviros edideram, incertorum numerum non parum auxi. Licuisset utinam minuere. Ac primum quidem in meis *Numis veteribus* pag. 308 eorum nonnullos dedi. Majus deinde agmen in *Catalogo musei Caesarei* fine Tomi I. Denique in mea *Sylloge I.* pag. 76.

NEVMANN. In praeclaro suo opere *Populorum et regum numi* complures hujus generis edidit Parte II. pag. 170.

COMBE eruditus musei Hunteriani praeco, inde a tabula 66 longum eorum agmen in conspectum dedit.

En tibi auctores, qui numos id genus ἀδέσποτους in lucem dedere eo consilio, ut, quos ipsi ignorarent urbium natales, felicius eruerent aliorum sive ingenium, sive facultas. Revera secuta antiquariorum industria et sagacitas a multis adhibita quaestione patriae suae confessionem extorsit, cujus exempla copiosa hactenus ipse videris.

Sunt hujus classis numi non pauci, quos eruditi varii certis esse populis urbibusque proprios sanxere, at non iis argumentis, quae nostrum hactenus adsensum potuerunt sibi impetrare. Exemplo sunto v. g. numi illustres argentei inscripti ΜΩΔΑΙΩΝ, quos esse Pergamenos Mysiae conjecit Pellerinius, alii: ΑΖΕΤΙΝΩΝ, aliquibus moneta Attica crediti, alii: ΤΡΙΑ., quos Combius esse Triadizzae Moesiae, Sestinus Traelii Macedoniae sanxerunt, sed quos, quorumque similes alios quamplurimos etiam post qualescunque eruditorum conatus non minus hodieque in incertis putamus. Sane in arte nostra nihil est, quod magis stomachum moveat, quam commentarii in hac causa bene longi, et saepe magno eruditionis apparatu conscripti, quibus perlectis aut aeque incertus es, ac fuisti dudum, aut intelligis, auctorem incautius inconsultiusque scribere aggressum longe a scopo aberrasse. Numos hoc modo adhuc incertos hoc loco non producimus, quia eos jam in judicium vocavimus in moneta earum urbium, quibus aut inique, aut nulla verisimili causa fuere adjudicati. Sic de numis ΜΩΔΑΙΩΝ egimus in moneta Pergami etc.

Digitized by Google

Inter numos incertos hucusque vulgatos magnus est eorum numerus, qui, praeterquam quod exigua appareat spes eruendi natalis eorum soli, etiam hoc denique cognito philologiae causis, cui uni nostris his studiis litamus, nihil, aut perparum prodessent. Quocirca nimia mihi saepe visa est diligentia eorum, qui tantopere desudant in reperiunda similium numorum patria, et augent conjecturas conjecturis, operosis iis quidem, sed sane, ut necesse est, inanibus, cum meminisse oporteret, cordatum quemque lectorem pertinacem in re levi contentionem aversari, neque illi certius illudi, quam cum conjecturis nullius meriti ludimus. Cum non adsunt certae adserendi causae, opinionem nostram aut paucis, et citra pertinaciam absolvamus, aut permittamus aliquid posteritati, quae aliquando certius ac minus operose judicium suum peraget, capto forte indicio ex loco, qui eos majore numero ex terrae sinu emittit, quod profecto validissimum est argumentum, cum in numorum patriam inquirimus.

Digitized by Google

NVMI REGVM,

PRINCIPVMQVE INCERTORVM.

Sunt in moneta vetere numi, qui nomina continent principum, quorum scriptores veteres non meminere, sic tamen, ut, qua in regione imperaverint, ex certis, aut verisimilibus indiciis satis intelligamus. Hac ratione comperimus Philistidem reginam Syracusarum, Pepaepiridem Bospori, Oradaltidem Bithyniae, Xerxem et Samum Armeniae reges tum et regulos Gallicos. At leguntur etiam in numis reges principesve, quos hactenus, cui regioni imperaverint, ignoramus, et necdum ex incertorum statione eximere licuit. Modicus est eorum numerus, possuntque facile coram proponi.

* * *

BALLAEVS.

Caput regis nudum imberbe curtis capillis. Ʃ ΒΑΛΛΑΙΟΤ, *sic ut plerumque* ΒΑΛΛ *sit scriptum recte*, ΑΙΟΤ *retrograde. Rarius* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΛΛΑΙΟΤ. *Vir habitu succincto gradiens d. facem praetendit, s. duo jacula.* In aliis: *Mulier stans d. facem, s. femori impositа.* Sunt AE. infra III. formam, crassiusculi, plerique operis fere barbari.

Numuli hi, ex quo nosci coepere, varia experti sunt eruditorum judicia. Eos Passerius in symbolis Gorianis Florentinis *Bali* Cyrenaicae tribuit [a]). Frölichius, cum horum similes iterato antea vulgasset, *Balam* Syriae, vel *Balatkam* Mesopotamiae imprudens respexit [b]). Idem olim, cum regios esse numos non dubitaret, et in eorum uno legendum sibi videretur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΑΝΟΤ, *Alanum* regem Alanorum, qui ad Istri ostia sedes habuere, his in numis exhiberi conjecit [c]). Serius nactus numum, in quo apparebat scriptura: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΛΑΝΟΤ, credidit, eo intelligendum *Balanum* Galliae Transalpinae regulum, qui teste Livio legatos Romam misit, per quos auxilia Romanis in bello Macedonico polliceretur, et sic retractavit, quae antea de rege Alanorum scripserat [d]). At ego multum dubitem, utrum in horum aliquo legatur ΒΑΛΑΝΟΤ. Sane Frölichius ipse numum, ex quo nomen istud excepit, parum esse integrum profitetur,

a) Tom. IV. p. 122. b) Not. elem. p. 78. num. reg. accessio p. 82. Not. elem. p. 157. c) Reg. vet. numismata p. 119. d) Ad

Digitized by Google

et haud dubie illud sibi legendum visum fuerit, quia hoc nomine regem apud Livium reperit. Enimvero numi omnes, quos aut ego, aut alii majore numero viderunt, inscriptum BAΛΛAIOT offerunt. Cl. Odericus aliquem per Asiam regem, dictum Balanum, investigandum putat [a]). Postremus Pellerinius ex fabricae causis conjecit, hos numos cusos in Illyrico, et esse Ballaei ejus tractus regis, cujus historia non meminit [b]). Pellerinii sententiae tanto subscribo libentius, quia nobis, utpote Illyrico vicinioribus, rari non habentur. Inter numos complures, qui ante annos non multos mihi Venetiis missi sunt, fuere hujus Ballaei numi VI., qui omnes in museum ill. Com. Vitzai migravere, et quod amplius est, testatur cl. Neumannus, sibi numos id genus omnino XIV. haud ita pridem fuisse oblatos, repertos omnes apud Scodram Illyrici, hodie *Scutari* [c]).

HELIOCLES.

Caput regis imberbe diadematum. ℞ BAΣIΛEΩΣ. HΛIOKΛEOTΣ. ΔIKAIOT. *Iuppiter gradiens vultu fere adverso d. fulmen, s. hastam, in area monogramma.* AR. m. m.

Singularis hic numus vulgatus exstat in Catalogo musei d'Ennery [d]), ubi perhibetur fabricae esse Syriacae. Ceterum Helioclis regis nomen mihi plane ignotum.

SARIAS.

Caput mulieris velatum, et quasi spicis ornatum. ℞ BAΣIΛ. ΣAPIA. *Duae spicae erectae.* AE. III.

Caput imberbe nudum senili vultu. ℞ BAΣI. ΣAPH - - *Pharetra.* AE. III.

Vtrumque numum ex museo Savorgnan promulgavit Frölichius [e]), sed quis sit *Sarias*, si modo verum est istud nomen, non constat.

CANOG - -

Caput Apollinis laureatum. ℞ BAΣIΛEΩΣ. KANOΓ - - - *Mulier stans s. cornucopiae, infra* ΠOΛT. AE. II.

Hunc incerti regis numum protulit Pellerinius [f]).

PATRAVS, LYCCEVS.

Caput imberbe laureatum. ℞ ΠATPAOT. *Eques galeatus virum galeatum humi jacentem hasta impetit, pone diota.* AR. I. (Beger Thes. Br. T. I. p. 283.)

Caput juvenile diadematum. ℞ ΠATPAOT. *Aquila stans, in area quid instar ancorae.* AR. III. (Mus. Caes. et a me olim vulgatus in meis numis vet. p. 223.)

Caput virile imberbe laureatum. ℞ ΛTKKEIOT. *Hercules humi sedens s. leonem premit, dextero pugno ictum intentat, infra pharetra.* AR. I. (Mus. M. Ducis, et a me editus ibidem.)

---

a) de numo Orcitirigis p. 19. b) Rois p. 201. c) Num. pop. P. II. p. 154. d) p. 40. e) Notit. elem. p. 202. f) Rois. p. 202.

Digitized by Google

Begerus nomine *Patrai* intelligendum Patreum, notum Patrarum Achaiae conditorem, contendit [a]). Abunde hanc sententiam olim refutavimus [b]), diximusque, hos *Patrai* et *Lyccei* numos, quoniam similis sunt cum Audoleontis numis fabricae, videri in Illyrico signatos, et utrumque adeo huic regioni, aut parti imperasse. Auget suspicionem, quod in Audoleontis quoque numorum area aliquid plerumque comparet, quod triquetrae, vel ancorae speciem refert, qualem offert numus ex descriptis alter.

a) l. c. b) Num. vet. p. 221.

Digitized by Google

NVMI BARBARORVM.

Postremum laborem monetae barbarorum impendemus, estque ejus operae pretium, et nostri plane instituti, quia vetus, quia metalli nobilitate illustris, et copiosa. Neque tamen hoc loco generatim numos barbarorum, v. g. Hispanorum, Gallorum, Parthorum etc. recensebimus, de quibus, quia de patria satis constabat, in horum moneta populorum egimus, sed eos tantum barbarorum numos in judicium vocabimus, quorum vera patria saepe etiam artis nostrae peritissimis fuit ignota. Antequam ad rem aggredior, lubet praemittere catalogum numorum similium, quos esse praesentis examinis materiam propositum est.

* * *

1) *Caput virile imberbe coronatum.* ℞ ADNA. MATI. *Eques citato cursu d. jaculum intorquet.* AR. et AE. I. (Mus. Caes.)

2) *Protome juvenilis in medio duorum, ut videtur, ramusculorum.* ℞ AHVO. XIR. *in aliis:* FARIΛIΩ. *Caput muliebre retrorsum spectans, et impositum trunco gallinae gradientis.* AR. I. (Mus. Caes.)

3) *Caput virile laureatum, in alio: Caput imberbe cultu barbaro.* ℞ ATTA. *Eques citato cursu d. protenta jaculum, infra equitem nonnunquam tridens.* AR. I. (Pellerin Rec. I. tab. II. n. 24. Mus. Neumann.)

4) *Caput virile nudum.* ℞ BIATEC. *Eques citato cursu d. ramum.* AR. I. (Mus. Caes.)

5) *Capita duo jugata, quórum anterius est laureatum, posterius galeatum, addito in nonnullis* BIA. ℞ BIATEC. *Typus similis.* AR. I. AE. I. (Mus. Caes.)

6) *Caput muliebre colligatis filo crinibus.* ℞ BIATEC. *Aper venabulo trajectus.* AR. III. (Editus in Catal. Mus. Caes. Tab. VI. n. 17.)

7) BIATEC *scriptum per medium numi, superne velut manus divaricatis digitis.* ℞ *Luna crescens, ut videtur, divergentibus radiis.* AV. III. (Mus. Caes.)

8) BIAT. *scriptum in parte numi convexa.* ℞ *Bina velut ova conjuncta, oram ambiunt lineae in angulos ductae.* AV. III. (Mus. Caes.) Vide hujus numi iconismum in Catalogo mus. Caes. T. I. tab. VI. n. 16, et apud Neumannum Num. pop. P. I. p. 140.)

9) *Protome muliebris colligatis pone*

Digitized by Google

crinibus, prae illa ramusculus. ℞ BVSV. *Caput muliebre alatis humeris et respiciens impositum trunco equi cum cauda leonis sursum elata.* AR. I. (Mus. Caes.)

10) *Capita duo jugata, fere ut supra num.* 5. ℞ COBISOVOΔΛΙ. *(literis dubiis) Leo currens, infra quem.* RV. AR. I. (Mus. Caes.)

11) *Caput virile imberbe.* ℞ COISΛ. *Quadrupes, quae ursa videtur, arrecto corpore humi sedens, juxta stans vir succincto habitu d. hastam, omnia intra coronam.* AR. I. (Mus. Caes.)

12) *Caput virile diadematum.* ℞ CONGE. *Eques citato cursu, d. hastam intorquens.* AR. I. (Mus. Neumann.)

13) COVNOS. *Protome Palladis cum aegide.* ℞ *Eques nudus citato cursu intra coronam.* AR. I. (Neumann Num. pop. P. I. tab. IV.)

14) *Caput virile diadematum.* ℞ EC-CAIO. EICCAIO. *Eques citato cursu d. hastam intorquet, in area monogramma* ΛR. AR. I. (Mus. Caes.)

15) *Protome juvenilis nudo capite prae quo hedera adsurgens, pone* ΛA. ℞ EVOIVRIX. *Equus currens, sed cujus pedes pro ungulis habent ungues avis rapacis, et cauda est leonis.* AR. I. (Mus. Caes.)

16) *Caput virile diadematum.* ℞ EL-VIONA. R. *Eques citato cursu.* AR. I. (Mus. Neumann.)

FARIEΩ, vel FARIΛIΩ vide supra num. 2.

17) *Caput virile diadematum.* ℞ ΛE-NET. *Eques d. hastam.* AR. I. (Mus. Caes.)

18) *Protome juvenilis, prae qua ramus.* In aliis: *Caput juvenile.* ℞ NON-NOS. *(etiam retrograde.) Eques citato cursu variantibus attributis.* AR. I. (Mus. Caes.)

19) *Protome virilis capite nudo intra coronam.* ℞ NONNOS. *(retrograde.) Panthera currens.* AR. II. (Mus. Caes.)

20) *Arbor ramis opaca, in cujus medio aries.* ℞ SVICCA. *Eques citato cursu, in area monogramma* AR. AR. I. (Mus. Caes.)

Addi his possent plures alii, quorum inscriptio literas continet integras quidem, sed quarum potentiam nequeo definire. Addi possent similis naturae alii, sed anepigraphi, sed quos praestat negligere, quia nihil praeterea amplius docent.

* * *

Hujus ergo operis numi, argenti et probitate, et mole (nam crasso sunt omnes orbiculo) conspicui, quam sibi velint patriam, inquirendum. Quam iniique eorum aliquos viri eruditi in varias orbis plagas extorres fecerint, infra in singulis intuebimur. De eorum natali solo jam olim disputaveram dissertatione singulari, quae inserta est Diario apud nos Vindobonae edito: *Real-*

Digitized by Google

zeitung 1. *April* 1777. Idem argumentum serius majore ἀκριβείᾳ tractavit cl. Neumannus noster [a]). Vtriusque nostrum una est, et concors sententia, veterem Daciam, Moesiam superiorem, Pannoniam inferiorem, tum et mediterranea montanaque Moesiae inferioris, Thraciae, Macedoniae, Pannoniae, Illyrici similium esse numorum certam patriam. Causa hujus judicii una, eaque, quae fallere non potest, id genus numos incredibili copia his in terris hodieque effodi. Vnde sit, ut musea nostra propter viciniam hac merce abundent, et passim hi numi propter vilitatem furno soleant mandari. Proposita hac sententia, quam a multis annis quotidiana fere experientia habemus comprobatam, possum abstinere argumentis aliis, quae laudatis locis praesto habes. Superest, ut variorum lapsus in definiendo eorum natali solo, tum si qua de horum nonnullis observatu digna videbuntur, commemorem, ac denique de eorum charactere aliisque causis aliqua addam.

Num. 1. ADNA. Numum sic inscriptum Pellerinius binis locis proposuit, utrobique esse numos veteres Hispanienses judicavit [b]). Idem ejus fuit judicium de nonnullis sequentibus, ut patebit. Sequeretur ergo, majore eos copia in ipsa Hispania reperiri. Sin istud, cur eos praestans Florezius, veteris monetae patriae non praeco solum eruditus, sed et indagator indefessus in catalogum numorum Hispaniensium non recepit, et ne tum quidem, cum eos sibi a Pellerinio indicatos vidit? Ex quo apparet, insigni eos viro, quia non profert Hispania, nunquam numos Hispanienses fuisse creditos, ac propterea neglectos, tanquam monetam ad propositum non pertinentem. Omnes ergo conjecturas, quas de numis similibus propinavit Pellerinius, venti irritas abstulere.

Num. 2. FARIAIΩ, ut legitur in meo. Pellerinius in suo non multum absimili legit FAPIAIΩ, eumque tribuit *Phariae*, hodie *Liesina*, Adriatici insulae juxta Illyricum [c]). Hujus fallaciam judicii jam agnovit nobil. Iacobus Gradenigo, qui ad me scripserat, sibi ejus insulae saepe hospiti numum similem nunquam fuisse oblatum. Vidi ejus generis plures alios in nostris museis. Cum in numis similibus aliis, et multo adhuc magis apud nos obviis, legatur AIIVO XIR, patet, nihil jam de Pharia cogitandum.

Num. 3. ATTA. Hunc quoque Pellerinius Hispaniensem putavit.

Num. 4, 5, 6, 7, 8, BIA. BIAT. BIATEC. De numis sic inscriptis mirum, quam fuerint varia eruditorum judicia. Potes ea intelligere ex fastidiosa Archaeophili et Dulodori apud Begerum contentione, variantibus studiis jam pro urbe Messeniae, in qua Bias amnis, jam pro Biatia Hispaniae, jam pro Bisaltis, vix tandem ab intervenient te Philormo lite dirempta [d]). Pellerinius sibi constans in BIATEC regulum Hispaniensem vidit. Istud certum, nostris in museis nihil esse hoc numorum

a) Num. pop. P. I. p. 135. seq. b) Rec. I. p. 11. Suppl. I. p. 9. c) Rec. III. p. 118.
d) Thes. Brand. T. I. 522.

Digitized by Google

genere vilius tritiusque. Numi 7. 8, quia aurei, et necdum aliunde cogniti, observari merentur, et habet museum Caesareum utriusque plura exemplaria, sed in quibus deest epigraphe, tamen quia typos, pondus, fabricam habent plane geminam, nemo sanus adhaerebit, quo minus et hos anepigraphos eodem cusos auctore adfirmet. Erant, qui opinabantur, numulos similes posse accenseri iis aureis, qui frequenter, et magna nonnunquam copia in Bohemia effodiuntur, quia illis spectato pondere et fabrica proxime accedunt. Vide, quae de hoc dubio prolixius disseruit Neumannus [a]). Sin istud, certum perinde erit, etiam numos inscriptos BIATEC esse Bohemicos. Tamen certissimum est, hos, de quibus agimus, aureos nihil habere commune cum Bohemicis illis, partim quia tam nitida scriptura BIATEC fastidit saecula illa medii aevi barbara, quibus aureos illos Bohemicos cusos constat, partim quia numi id genus aurei mihi ex Hungaria et Transilvania adlati fuere, partim quia tum argui posset ac deberet etiam argenteos inscriptos BIATEC esse Bohemicos, cum verisimile non sit, regulum ejusdem nominis fuisse et in Bohemia, et in Oriente, et tamen argentei hi omnes ex Oriente nobis adferuntur, partim denique, quia in numis certis Bohemicis, etsi spectatis nonnullis causis videantur his nostris esse similes, tamen iidem typi comperti nondum sunt, ut patet ex iconismis numorum, qui anno labentis saeculi LXXI. prope Podmokl Bohemiae pagum pondere librarum LXXX. reperti sunt, quosque aeri incisos dedit Adauctus Voigt in dissertatione Pragae forma epistolari edita, cui titulus: *Schreiben an einen Freund etc.*

Num. 20. SVICCA. Numos quoque sic inscriptos in Hispaniensibus putavit Pellerinius.

* * *

Characterem horum numorum constituunt typi, modus picturae, et fabrica.

Antica offert caput aliquod, adstituto saepe, etiam utrinque, ramusculo, numi oram praeter globulos, quos *Gronatis* appellamus, claudentibus variae formae anfractibus. Aversam plerumque occupat eques, typus tam cultis, quam barbaris populis placitus. Sed et amabant animalia ex variis naturis composita, quod institutum barbarum diceremus, nisi eos excusarent Graecorum Chimaerae, Sphinges, Centauri etc. Vtrum valuerint in symbola, et allegorias, an ex mythologia privata fuerint petita, ignoramus, *curent quia vate sacro*. De captis ex alieno typis agemus articulo sequente.

Picturae modus barbariem omnino spirat. Apparet haec cumprimis ex capitibus anticae, et equis aversae. Quam haec saepe fuerint monstris, ac portentis similia, dicetur proxime.

---

a) Num. pop. p. 140.

Digitized by Google

Materia numorum est argentum, perrarum aes. Ex quo efficitur, numos hos deberi regionibus, quae argento fossili abundabant, quo sane abundasse eas, quibus istud numorum genus tribuimus, satis constat. Sunt etiam aurei, sed rari. Argentum est solidum crassumque, sed sunt etiam aurei argenteique metalli tenuioris, parte una convexi, alia concavi. Aurei parvi inscripti BIAT., quos dedimus in catalogo numero 8, hujus sunt formae, ac propterea in *scutellis iridis* habiti, de qua anili fabula lege laudatam supra epistolam Adnncti Voigt.

Vocabula his numis inscripta esse principum barbarorum ejus tractus, dubitari nequit; nam si essent urbium, non potuissent ea sic interire, ut eorum nullum omnino exstaret indicium sive in historicis, sive geographis. Horum nomina regulorum historiae fuerunt indicta, quia latibulis suis inclusi emergere aut noluere, aut ausi non sunt. Quis Decebalum hodie novisset, nisi bello cum Romanis fuisset collisus?

Superest, ut de horum aetate numorum judicemus quoque. Quia literis sunt Latinis inscripti, necesse est signatos eos fuisse tum, ex quo Romani coeperunt eorum ditioni propius imminere. Iam inde a capta Macedonia, et maritimo Illyrico Roma mediterraneis his populis coepit innotescere et timeri. Propiores deinde causae imperante Augusto, Romanis per bella Dalmatica, Illyricana, Pannonica magis introrsum progressis, capta denique etiam omni Thracia, deletisque vicinis barbaris. Factum ex hac utriusque populi vicinia, ut magna pecuniae Romanae vis etiam in regiones trans Istrum positas ope commercii inferretur, quod quidem factum fuisse satis mature, non modo verisimile est, sed etiam plane evidens propterea, quia ingens monetae quoque consularis numerus in Transilvania, quae veteris Daciae pars fuit, fere indies eruitur. Paullatim ergo barbari literarum usum didicere, quo modo et Galli veteres parte Galliae, quae in meridiem vergit, in provinciam redacta, Latinis literis suam coeperunt insignire monetam. Vide ad hoc argumentum pertinentia alia articulo sequente. Ab hac ergo epocha istud numorum genus tuto licebit ducere, neque antea, quia Romani tum adhuc ignoti, et constat experientia, barbaros tum sibi Graecorum potius monetam imitandam sumpsisse, ut dicetur proxime. Neque ultra Trajanum ejus velim fines prorogari, quia verisimile est, Dacia ab hoc Romano imperio subjecta barbaras ejus tractus nationes deinceps a feriunda pecunia abstinuisse.

Ex quibus liquet, numos similes, tum et eos, quos continuo in plagiis enumerabimus, male a Patino [a]), et Iberto [b]) vocari *Gothicos*, cum eorum aetas, ut alias causas negligamus, longe Gothorum aetatem antevertat. Longe etiam a vero aberravit Frölichius, cum

a) Hist. de Méd. cap. XII. b) Science des Méd. T. I. p. 96.

Digitized by Google

conjecit, numos similes, qui sunt laboris mediocris, signatos quarto saltem aerae Christianae saeculo, qui pessimi, post sextum fere saeculum a variis barbaris, Moesiam, Macedoniam, Thraciam, Pannoniam inundantibus, Hunnis, Slavis, Bulgaris aliisve procusa videri [a]). Vel solae causae, quod hac aetate nuspiam tanto pondere, et crassitie numi signati non sunt, et quod, si qui horum populorum ea aetate monetam suam habuere, eam plane ad morem communis tum monetae Byzantiae signaverunt, hanc conjecturam plane evertunt.

a) Ad num. regg. vett. accessio nova pag. 46.

Digitized by Google

PLAGIA BARBARORVM NVMISMATICA.

Cum ante annos complures musei Caesarei numos veteres in ordinem redigerem, justo numero sese mihi obtulere numi operis haud dubie barbari, sic tamen, ut satis appareat, barbaros, quicunque ii fuere, typos monetae seu Graecae, seu Romanae sibi imitandos sumpsisse. Quoniam ad varias rei numismaticae causas non parum prodesse videbatur, barbarorum istud institutum manifesta quadam ratione explicatum proponere, coepi numos similes in unum locum conferre, hac tamen lege, ut singulis adstituerem archetypon sive Graecum sive Romanum, quod barbaris imitari placuit, et quod cum nume barbaro collatum imitationis servilis dubium omne continuo aufert. Placuit istud hominum incultorum institutum vocare *plagium*, cujus causam non tribuimus voluntati barbarorum in alienum honorem fraude involandi, sed stupori gentis, et ignorantiae, cui recte applicaveris illud Horatii: *O imitatores, servum pecus!* Res ab exemplis manifesta fiet. Dabimus ergo primum praecipuorum hujus classis numorum aliquem conspectum, deinde quae observanda venient, paucis praecipiemus. Numi omnes capti sunt ex museo Caesareo.

* * *

1) *Caput Bacchi.* ℞ *Hercules stans.* AR. I.

Thasiorum nota tetradrachma imitatus est monetarius barbarus. Nihil plane ex archetypo idem neglexit, sed expressit modo, quo potuit. Epigraphen ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΘΑΣΙΩΝ finxit globulis parallelo sita positis. Pictura ipsa ultimae est ruditatis argumentum. Vide quae de similibus numis in moneta Thasiorum notavimus.

2) *Caput Apollinis laur.* ℞ *Vir bigis vectus, infra fulmen.* AV. II.

Exemplum petitum ex numis aureis Philippi Amyntae. Epigraphen ΦΙΛΙΠΠΟΤ barbarus item sex globulis absolvit. Reliqua omnia ingenio barbaro digna. Exstant etiam similes aurei III. formae, quos frequenter reperiri in Gallia testatur Pellerinius, de quibus vide, quae notavi in Prolegomenis ad numos Galliae.

3) *Caput Iovis.* ℞ *Epigraphe literis luxatis. Eques.* AR. I.

Digitized by Google

Horum exemplum numorum sunt tetradrachma ejusdem Philippi II. Nihil hae rei numariae veteris illuvie ac sordibus magis tritum, arte plerumque, an scelerata dicam, an magis ridenda? Nemo Apelles barbariem felicius scitiusque pinxerit, quam in his barbaries semetipsam expressit, aut verius imitando superavit. Vt difficile est, eorum naturam accurate describere, sic neque necessarium, quia parabiles sunt, et in omnium manibus versantur. Itali eos ab imagine generatim vocant *Caballos*. Vide, quae de his alia jam monui in numis Philippi II., et monebo adhuc infra.

4) *Caput Palladis.* ℞ *Victoria stans.* AV. II. III.

Typi capti ex moneta aurea Alexandri M. Par in his ruditas, gemina barbaries.

5) *Caput Herculis.* ℞ *Iuppiter aetophorus.* AR. I. III.

Nota moneta argentea ejusdem Alexandri M., ex qua hi typi sunt deprompti. Quo loco in hac est epigraphe ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, eodem in his barbaris leguntur literae distortae, et nullo sensu. Non satis Pellerinio hujus mercis natura perspecta fuit, qui numum similem, qui etiam est in museo Caesareo, esse Thessalonicae, vel Thespiarum conjecit [a]). Nobis, quibus efferata haec moneta fere domestica est, verum de ea judicium in proclivi est.

6) *Caput Dianae prominente pone arcu et pharetra.* ℞ *Eques.* AR. I.

Imago partis anticae capta est ex obviis tetradrachmis inscriptis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. Hos frequentius barbaris imitari placuit, quia ex vicino petiti. Copiosos vidi variis modis barbaros, seu typis, seu literarum inconcinna forma, quorum unum aeri incisum dedit Neumannus [b]).

* * *

En numorum exempla, qui captos ex Graecorum moneta typos aperte profitentur. Nimirum barbari, cum monetae usum ad causas commercii opportunum viderent, atque ipsi abundarent metallo, coepere et ipsi intra fines suos eam ferire. Sive autem in se nihil reperere subsidii ad reperiundos typos, qui ad se unos pertinerent, sive magis conducere commerciis est visum, si monetam suam adcommodarent ad eam formam, qua usi sunt finitimi, placuit denique horum monetariam legem spectatis typis, et saepe pondere ac metallo imitari. Idem fecisse barbaros Gallos imitando numos Graecorum Massiliensium, diximus in prolegomenis ad numos Galliae. Numi, quos descripsi, quorum fuerint barbarorum, facile est intelligere. Archetypa, ut vidimus, sunt Thasiorum, qui insulam Thraciae, fere contiguam inhabitabant, et Macedonum. Ergo necesse est, numos hos signatos fuisse a barbaris, qui his vicini fuere, et propter viciniam archetypa,

a) Suppl. I. p. 11. b) Num. pop. P. II. p. 137.

Digitized by Google

quae imitarentur, prae manibus semper habuere, ergo a nationibus barbaris a Thracia maritima et Macedonia in septentriones positis, scilicet ab iis ipsis, a quibus numos articulo praecedente descriptos dixi fuisse cusos. Atque haec quidem causa est, cur in hac numorum classe non compareant, saltem quod ego norim, vocati ad imitationem numi Atheniensium, Boeotorum, Epirotarum, aliorumve populorum, quorum moneta passim est obvia. Nimirum quia hi longius ab suis finibus distabant, eorum etiam numi minus sibi fuere cogniti, neque in commercii usum recepti. At vero quantum olim hujus tractus barbari abundaverint numis Thasiorum, Philippi II., ejusque filii Alexandri, tum et numis MAKEΔONΩN. ΠPΩTHΣ, argumento esto, quod horum ipsorum ingens copia ibi frequenter ex terrae sinu emergit, quos adeo fere solos sibi ob dictas causas imitandos sumpsere. Praecipuus fuit ad imitandos Philippi II. numos ardor et contentio; nam omnia musea abundant tetradrachmis barbaris, in quorum una parte est caput Iovis, in altera eques. Iam iisdem typis ab eodem archetypo captis usus est in moneta sua Audoleon Paeoniae rex Philippi II. aequalis, atque jam in hujus numis observare licet opus saltem semibarbarum, etsi Paeonia cultae Macedoniae fuit finitima. Ergo necesse est credere, numos cum iisdem typis, sed pictura plane abnormi, signatos fuisse a barbaris magis intus loca mediterranea obtinentibus, et a Graecorum cultura remotioribus. Denique ne dubitari possit, eum, quem dixi, tractum certam esse horum numorum patriam, sciendum est, ibi, neque alibi obscoenam hanc mercem supra quam credi potest, copiose ac frequenter indies reperiri. Barbaras hujus monetae origo ducenda videtur ab ejus ipsius Philippi II. aetate, qua propter incredibilem ejus numorum copiam, tum et viciniam barbaris pecuniae commoda magis coeperunt innotescere. Forte monetae Thasiae imitatio remotius sibi aevum postulat. Numos MAKEΔONΩN. ΠPΩTHΣ. barbari nonnisi post captam a Romanis Macedoniam imitari poterant. Iidem serius cognita Romanorum moneta, et jam magis magisque invalescente ad hujus typos in suam transferendos deflexere, ut dictum articulo proximo, et dicetur continuo.

* * *

Procedimus ad barbarorum artem monetae Romanae imitatricem allatis aliquot ejus exemplis.

7) *Caput Palladis galeatum alatum, addita nonnunquam etiam poho nota* X., non raro obvium in numis Gallicis, exemplo sumpto a denariis Romanorum consularibus.

8) *Caput genii barbatum diadematum.* X RAVIS. *Sceptrum laureatum, globus, gubernaculum.* AR. III. Typus ex denariis Corn. Lentuli.

9) *Caput Iunonis Sispitae.* X RAVIS *Gubernaculum, globus, tridens, vel fulmen.* AR. III. Antica ex denariis gentis Papiae vel Rosciae, aversa ejusdem Corn. Lentuli.

Digitized by Google

Inscriptum his numis RAVIS videtur esse nomen barbari reguli perinde ac BIATEC, et similia alia.

10) IMP. SPONSIANI. *Caput radiatum.* ℞ C. AVG. *Columna, super qua statua d. hastam tenens, ex columnae basi exsurgunt duae spicae, adstat hinc figura togata utraque manu incertum quid tenens, et pede sinistro aliquid incertum premens, inde vir augurali habitu cum lituo.* AV. II. Typus aversae est ex denariis C. Minucii Augurini, qua de causa ad hanc classem numus hic certe pertinet. Ceterum quae mea sit de praetenso hoc *imperatore Sponsiano* sententia, aperiam in moneta imperatorum post numos Philipporum.

11) PLAVTIVS. *Persona adversa.* ℞ *Aurora gradiens d. hastam, s. binos Solis equos freno ducit.* AV. II. Vtriusque partis typus est ex denariis gentis Plautiae.

Exstant in museo Caesareo similes aurei tres, etsi hujus generis alius ex locupletissimis museis editus necdum sit. Reperti sunt anno 1713 in Transilvania cum pluribus aliis barbaris aureis, et in museum Caesareum illati. Vide de his plura in numis gentis Plautiae.

12) *Capita jugata virile laureatum, muliebre galeatum.* ℞ BIATEC. *Eques citato cursu.* AR. I. Antica est ex denariis gentium Fufiae et Muciae.

13) *Caput muliebre colligatis filo crinibus.* ℞ BIATEC. *Aper venabulo trajectus.* AR. III. Antica est ex gente Carisia, aversa ex Hosidia.

Addendi his numi familiarum, quos barbari spectatis typis, metallo, pondere plane geminos restituerunt, sed picturae legibus tam perversis, ut in risum solvi necesse sit spectatorem elegantibus culti populi formis adsuetum. Ejus generis exempla plura dedi in Catalogo musei Caesarei a). In his imitandis tam anxii et diligentes fuere monetarii barbari, ut ne quidem literas solitarias, aut minuta sigilla areae numi impressa negligenda putarent.

Neque a restituendis hoc modo Augustorum numis barbarae manus sese abstinuere. Notus denarius Augusti, in cujus aversa: C. L. CAESARES. etc. *Cajus et Lucius togati stantes etc.* ab iis, nescio cur, impensius fuit lectus, in quo artem suam exercerent. Sunt ejus in museo Caesareo exempla quinque variarum matricum, operis omnia insignite pravi, quorum aspectum vix perferant oculi. Sunt etiam aliorum imperatorum numi ejusdem artis in omni metallo et forma.

* * *

Iam supra indicavi, paullatim viciniam Romanorum occasionem dedisse barbaris, ex eorum moneta typos petendi. Vt opus monetarium, sic et typorum dilectus fuit dignus barbaro populi ingenio. Nemo enim sibi persuadebit, in hoc eos certam aliquam rationem et consilium secutos. Quo enim pacto bar-

a) P. I. p 291.

Digitized by Google

bari adcommodare sibi poterant typos, quos Romani ex civitatis suae rebus gestis petivere? aut quid barbaris cum Romanorum mythologia, institutis, belli pacisque artibus, cum illi suam haberent religionem, suisque se ipsi legibus regerent? Atqui hanc ipsam optionem fuisse argumentum ingenii barbari, neque hujus tantum aevi, aut populi, docebunt numi, quos multis abhinc saeculis barbari alii alio sub sole positi signavere, quorum postremo meminisse juvat.

* * *

Postremum plagii numismatici exemplum suppeditant numi Arabum, quorum, etsi extra instituti mei fines se porrigunt, oportet tamen meminisse, quia eorum argumenta capta sunt ex numis intra ditionem meam positis. Huic causae nequaquam diu immorabor, contentus indicasse egregiam dissertationem, quam de his praestantissimus in studiis nostris Barthelemyus magno cum judicio, additis etiam numorum imaginibus conscripserat a). Pauca inde excerpam. Sunt hi Arabum numi omnes Mahometo posteriores, quin non ante saeculum post Christum natum XII. signati. Patria iis Mesopotamia, Syria, aliaeque regiones vicinae. Continent nomen principis, et aliquam ex Corano sententiam, tum et non raro annum Hegirae, atque haec omnia Arabum lingua, etsi difficile sit saepe literarum valorem definire, quia punctis vocalibus, aliisque signis destituuntur. Plagii vero indicium certissimum sunt capita, aut typi ex numis seu Graecis, seu Romanis petiti. In horum uno v. g. est caput luculentum veteris cujusdam Syriae regis, quod Seleuco VI. tribuit Frölichius, qui numum in suis Syriae annalibus ex museo Caesareo vulgaverat, at Barthelemyus ex simili suo esse Antiochi VII. conjicit. In aliis comparent capita Gordiani, Constantii, vel imperatorum Byzantiorum, quin et protome Christi capite nimbato, et evangeliorum librum manu gestantis, quae in numis Byzantiis obvia est. In aliis stat virgo deipara, quae adstanti imperatori diadema imponit, obvius item typus in Byzantiorum moneta, nisi quod religiosus monetarius Arabs cruculam, quae in his diademati, et globo, quem imperator manu praefert, imminere solet, omisit, nimium scilicet manifestam Christiani ritus notam. Atque ne de plagio vel minimum dubitari possit, adfert Barthelemyus numum, in cujus una parte; *Epigraphe Arabica sine typo*, in altera: VICTORIA. CONSTANTINI. AVG. *Victoria stans tabulam praefert, cui inscriptum:* VOTA. XXX. *infra* SIS., qui typus totus captus est ex aversa numi Constantini M. Ab his ergo exemplis jure arguit auctor eruditus, quoniam hi typi nullum habent cum Arabum rebus nexum, barbaros horum monetarios in alienos numos, qui primi sibi occurrerant, temere nulloque consilio involasse, quin, quorum sint ea capita, ipsi intelligerent, parumque solicitos, utrum arrepti ex alieno typi cum moribus et institutis suae gentis

a) B. L. Tom. XXVI. p. 557.

Digitized by Google

possint componi. Quorum dynastarum Arabum sint hi numi, et quo pacto hi sibi permissum putaverint, signare in monumentis publicis imagines Mahometi lege vetitas, vide apud laudatum auctorem. Quam longe a vero aberraverit Hadrianus Relandus in dissertatione de marmoribus Arabicis, et numo Arabico, quae inserta est Memoriis Trevoltiensibus in Februario 1706 pag. 227, ex praeclaris his Barthelemyi commentariis patet. Ceterum habuisse Arabas jam saeculo VII. post Christum monetam suam, eamque auream, et propria sua nota insignem, docuit diserte Zonaras [a]), de quo testimonio agetur alibi.

* * *

Denique barbari etiam plagii piaculo se obstrinxisse videtur numus Hadriani I. papae rarissimus, ac singularis, quem ex museo suo in lucem protulit Benedictus Floravantes [b]).

HADRIANVS. PP. *Protome Hadriani.* ✠ VICTORIA. DNN. *Crux super basi, hinc* R *illinc* M, *in imo* CONOB.

Nemini ignotum, numi hujus aversam in numis aureis imperatorum Orientis obviam esse, tritamque. Verum quis Victoriae cum pontificis R. imagine nexus? Rem insolentem sic explicat Muratorius, qui numum hunc restituit [c]): *Ius cudendae monetae jam accepisse videntur Romani pontifices a Graecis imperatoribus. Sed quis adhuc urbis dominus foret, indicatur per siglas illas DNN. significantes aut domini nostri, aut dominorum nostrorum.* Verum hanc explicationem ejus temporis peristases non admittunt. Hadrianus I. pontificatum suscepit anno Christi 772. At jam inde a Leone III. Isauro, qui anno Chr. 717 Orientis imperium adivit, pontifices Romani, et Italia cum imperatoribus collisi, quod sanctarum imaginum cultum ejurare jubebantur, detrectato denique obsequio, caesis, aut pulsis Graeci nominis omnibus in libertatem sese adseruere. Vrgentibus deinde Longobardis, et Romae ipsi imminentibus, cum imperatores Graeci ferre opem aut nollent, aut non possent, coacti sunt pontifices R. Francorum, et qui tum his praefuere, Caroli Martelli, Pipini, Caroli M. auxilia sibi adjungere. Horum ope fractis primum barbaris victor Pipinus pontificibus exarchatum Ravennatem cessit, quem iis non multo post Carolus M. Desiderio postremo Longobardorum rege in exilium ejecto confirmavit, quod factum anno Chr. 774, qui fuit tertius Hadriani I. Ergo is facta ad vires sacras opis profanae accessione altius coepit efferre caput, et jacere fundamenta ejus potentiae, quam deinde in omnis fori causis paene infinitam expertus est orbis, cujusque velut quidam cardo, praeludium, primumque tentamen fuit moneta publica, imagine sua, imperantium principum more, insignis, cujus pars est numus, in quo sumus, quod ne ipse quidem Floravantes inficiatur, haec in ejus explicatione ponens [d]): *praetermissum in eo imperatoris nomen ostendit,*

a) L. XIV. c. 22. b) Antiquiores Pont. Rom. denarii p. 1. c) Antiq. Ital. med. aevi T. II. diss. XXVII. p. 548. d) l. c. p. 10.

Digitized by Google

tunc penes Romanos pontifices summam urbis dominationem, cudendaeque monetae jus omne, ac potestatem exstitisse. At pars aversa violenter ex numis imperatorum Orientis in monetam pontificiam translata non inique numo praesenti in hac plagiorum classe stationem adsignat, urbe Roma, omnique Europa saeculo VIII., et quae secuta sunt, non multo minus barbara, atque olim fuere Dacia, Moesia, aliaeque, quas commemoravi.

Digitized by Google

OBSERVATA GENERALIA

AD PARTEM I. HVIVS OPERIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Enarratis, explicatisque urbium, populorum, regumque numis nondum mihi omnia ad communem utilitatem satis videbantur esse provisa, nisi et generales quasdam causas, ac peristases, quas complures hujus classis numi inter se communes habent, tractandas exponendasque susciperem. Et vero separato eas loco, confertasque fuisse proponendas, tum et explicandas, ipsa rei natura palam est visa postulare. Enimvero, ut paucis isthaec exemplis illustrem, cum non una fuerit urbs, sed plures aliae, quae v. c. Asiarchas, epocham Seleucidarum, formulam ΑΝΕΘΗΚΕ, ludos Pythios, certos quosdam honorum titulos etc. numis suis inscripsere, nullam habui certam rationem, cur varia haec inscripta, et quae ad haec observanda fuere, in numis potius Ephesi, quam Pergami, Byzantii, quam Sardium memorarem. Ad haec uno etiam quopiam, certoque loco explicanda sunt, quae ad evolvendam epocharum naturam, easque computandi modum, coloniarum, municipiorumque, tum et metropolium variam significationem, et quae sunt id genus alia, pertinent. Viderit hactenus lector, numos heroum, heroidum, conditorum, personarumque illustrium a me non in certam quampiam classem, quod a plerisque hactenus factum, fuisse tributos, sed enarratos in iis urbibus, ex quarum officinis monetariis prodivere. At proxime singulorum revocabuntur nomina addito natali solo, cujus eos seu veneratio, seu adfectus

Digitized by Google

monumentis publicis inseruit, tum et commemoratis honoribus, et cultu, quo urbes Graecae heroes suos, conditoresque ornare publice, et praedicare consueverunt.

Haec et similia, quod reliquum est hujus voluminis, omne complectetur, quo perlecto facile quis intelliget, commentarios hos non modo continere eruditionem ejus generis, quae cum re numismatica proxime connectitur, sed et varias amoliri difficultates, quae progressum in praestantissima hac arte vulgo solent impedire. Eodem olim consilio Vaillantius quoque operi suo, quo imperatorios Graecorum numos in unum contulit, adjecit prolixos commentarios, in quibus sparsam disjectamque per totum opus variae indolis materiem revocavit, et in certas classes distribuit, explicavitque. Verum multa is neglexit, quia ad institutum suum non pertinuere, multo in iis plura corrigenda, quae auctior, sinceriorque nostra hac aetate numorum veterum supellex aliter esse capienda palam imperat.

Quae sint variae partes, quibus universus hic tractatus componitur, indicatas reperies in conspectu, quem principio hujus voluminis IV. praefiximus.

Digitized by Google

OBSERVATA GENERALIA.

CAPVT I.

DE MAGISTRATIBVS ET TITVLIS HONORIFICIS.

Magistratuum perfrequens est in moneta urbium populorumque, tum et nonnunquam regum mentio, cujus adferre exempla supervacaneum. Nam cui ignota esse possunt numismata Dyrrhachii, Apollohiae, Athenarum, Chii, Cyrenes etc.? Saepe duos vel tres, eosque variae potestatis unus, idemque numus continet.

Hi magistratus vel enunciantur simpliciter nulla praefixa particula, et vel in recto, vel obliquo, ut in Dyrrhachenis hinc MENΙΣΚΟΣ, illinc APXIΠΠΟΥ, vel adjunctam habent praepositionem aliquam, ex quibus usitatissimum est ΕΠΙ, *sub*, de quo latius agemus infra in tractatu de magistratu eponymo cap. II. Frequenter, ac praecipue in numis urbium Moesiae praefigitur ΤΠΟ. Insolentior est praepositio ΔΙΑ Phrygiae nonnullis urbibus familiaris, ut: ΔΙΑ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ. Vide hanc

Digitized by Google

phrasin explicatam in moneta Attudae Phrygiae. (Vol. III. p. 142.) Praefixum ΠΑΡΑ in unico Apameae Phrygiae numo observavi: ΠΑΡΑ. ΑΤΡ. ЄΡΜΟΥ.

Magistratuum nominibus adjicitur nonnunquam mentio patris, ut in numis Erythrarum Ioniae: ΓΝΩΤΟΣ. ΕΚΑΤΩΝΤΜΟΥ, vel ΠΟΛΥΚΡΙΤΟΣ. ΠΟΛΥΚΡΙΤΟΥ, rarius avi, ut in numo ejusdem urbis: ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΣ. ΗΡΑΚΛΕΟΥ. ΤΟΥ. ΕΠΙΚΟΥΡΟΥ.

De magistratibus, qui dignitatem suam in numis non addunt, in praesente commentario agere non instituo. Neque enim de his aliud praeter conjecturas aridas adferri potest. Quod si quid de his certum, dignumque potest perhiberi, istud in ipsis ejus urbis, cujus fuere magistratus, numis sumus persecuti. Hujus ergo loci tantum erunt magistratus illi, qui, cujus generis fuerint, in moneta sunt confessi, aut quorum etiam non confessorum dignitas, quod tamen rarius factum, facile potest intelligi.

Praesens tractatus suapte in sectiones binas dividitur, quarum prima continet magistratus domesticos urbium, populorumque, altera magistratus Romanos, quos civitates subjectae observantiae causa monetae suae inscripserunt. Vtraque magistratus sacros aeque, ac profanos continebit, omissis tamen NEOCORIS utriusque sexus, quos opportunius in tractatum de populis, et urbibus neocoris differemus. Addemus etiam, qui magistratus non fuerunt, sed tituli tantum honorifici, cujusmodi fuit *sophistarum*, quorum condito προαιρεσις tantum fuit, id est, vitae institutum, aut *parentum*, vel *patronorum*, quos titulos solus adfectus, et observantia parturivit.

Erit ergo partium praesens caput constituentium ordo sequens:

SECTIO I.

MAGISTRATVS DOMESTICI.

§. I. De Ordinibus civitatum.
§. II. De Archontibus, Praetoribus, Scribis.
§. III. De Ephoris.
§. IV. De Prytanibus.
§. V. De Quaestoribus.
§. VI. De Pontificibus.
§. VII. De Asiarchis.
§. VIII. De Stephanephoris.
§. IX. De Panegyriarchis, Agonothetis, Gymnasiarchis.
§. X. De Theologis.
§. XI. De Hieromnemone.
§. XII. De Amphictyonibus.
§. XIII. De Curatoribus, qui in numis: ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙ, ΕΠΙΣΤΑΤΑΙ.
§. XIV. De Sophistis.

Digitized by Google

SECTIO II.

MAGISTRATVS ROMANI.

§. I. De Ordinibus Romanorum.
§. II. De Consulibus.
§. III. De Proconsulibus, Prepraetoribus, Legatis, Praesidibus.
§. IV. De Quaestoribus, Proquaestoribus, Quaestoribus pro consule, Quaestoribus pro praetore.
§. V. De Procuratoribus.
§. VI. De Pontifice, Septemviro Epulonum.
§. VII. De Parentibus, Patronis.

§. I.

DE ORDINIBVS CIVITATVM.

Vt Romanorum status politicus divisus fuit in ordinem senatorium, equestrem, et popularem, iisque impositi annui consules, sic et civitates Graecae constabant senatu, populo etc. quibus praefuit annuus archon, praetor, prytanis, aut quocunque alio nomine magistratus, atque ut obvium est illud Romanorum, *placuit senatui, populoque Romano*, sic et obvium illud Graecorum: ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ Σμυρναίων, Περγαμηνῶν, Ἐφεσίων κ. τ. λ. Non raro ordines plures Graecorum psephismatis praefiguntur, velut in marmore, quod edidit Cuperus [a]): Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΚΑΙ. Η. ΓΕΡΟΥΣΙΑ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΝΕΟΙ. ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ. ΑΤΤΑΛΟΝ. κ. τ. λ. *Senatus, et populus, et seniores, et juniores honorant Attalum etc.* qui quidem varii ordines collecti uno vocabulo ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ in numis Tarsi et Anazarbi Ciliciae urbium expressi mihi videntur, quemadmodum eosdem ordines, aut certe totum archontum collegium vocabulo ΣΥΝΑΡΧΙΑ in numis Antiochiae Cariae indicatum alias diximus [b]).

Non est mihi propositum, variorum horum ordinum omnes causas, fines, jura exponere, praecipue cum haec in singulis urbibus variaverint, et nos in his explicandis plerumque destituant superstites scriptores veteres. Eos tantum hoc loco commemorabo, quorum numi meminere.

ΒΟΥΛΗ. vel ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. *Sena-*

a) Lettr. de crit. p. 246. b) Vol. II. p. 574.

Digitized by Google

tus, *sacer senatus*, frequens in numis, praecipue provinciae Asiae. Etiam conjunctim ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟϹ. in numo Nicopolis Moesiae, ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟϹ. ΟΜΟΝΟΙΑ. in numo Nicomediae, vel: ΒΟΥΛη ΓϵΡΟΥϹια, in numo Tiberiopolis Phrygiae. Fingitur hic civitatum senatus capite muliebri velato, in nonnullis velato et laureato, etiam capite viri juvenis nudo, aut laureato; in numo dictae Tiberiopolis typo mulieris stantis d. caduceum tenentis. Ceterum nomine ΒΟΥΛΗϹ notari senatum urbium Graecarum, ut nomine ϹΥΝΚΛΗΤΟΥ senatum Romanum, probabimus infra in Ordinibus Romanorum.

ΔΗΜΟϹ. - ΙϵΡΟϹ. ΔΗΜΟϹ. *Populus*, *sacer populus*, vel ΔΗΜΟϹ. ΑΤΤΟΥΔϵΩΝ. *Populus Attudensium*, et similiter. Saepe occurrit, ac frequentius in numis provinciae Asiae. Typus est caput juvenile nudum, vel laureatum, vel diadematum. In numo Laodiceae Phrygiae est caput barbatum laureatum. In numis Latinis Corinthi: POPVL*us* COL*oniae* COR*inthi*, vir togatus sedens dextera sublata. Varia populorum simulacra allegorica habemus apud Plinium et Pausaniam. Teste Plinio [a]) *pinxit Parrhasius demon* (populum) *Atheniensium*, *argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium*, *iracundum*, *injustum*, *inconstantem*, *eundem exorabilem*, *clementem*, *misericordem*, *excelsum*, *gloriosum*, *humilem*, *ferocem*, *fugacemque*, *et omnia pariter ostendere.* Qua quidem in narratione nescio, utrum magis mirer, artificiumne pictoris, sin revera praestitit, quod adseritur, sin minus, quod magis verisimile, credulum Plinium. Refert Demosthenes [b]), decrevisse Byzantios, ut erigerentur in Bosporo statuae, sexdecim singulae cubitorum, argumento populi Atheniensis coronati a populo Byzantiorum et Perinthiorum, et teste Polybio Hiero, et Gelo binas statuas Rhodi posuerunt, nempe populum Rhodiorum a populo Syracusano coronatum [c]).

ΓϵΡΟΥϹΙΑ. Si vocabulum spectes, respondet Latinorum *senatui*; nam ut hoc a *senibus* dicitur, sic illud ἀπο των γϵροντων. Et revera fuisse in nonnullis civitatibus Graecis ordinem seniorum, cui oppositus fuit ordo juniorum, discimus ex citato supra marmore Cuperi, in quo memorantur Η. ΓΕΡΟΥΣΙΑ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΝΕΟΙ., *ordo senum et juniorum*. In alio ejusdem Cuperi [d]), quod stetit Magnesiae Ioniae: ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΓΕΡΟΥΣΙΑ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΝΕΟΙ. κ. τ. λ. Atque ut ΓΕΡΟΥΣΙΑ, *senatus*, sic et ΓΕΡΟΝΤΕΣ, *senes*, in marmoribus produntur. Legitur in Oxoniensi [e]): ΤΩ. ΣΕΜΝΟΤΑΤΩ. ΣΥΝΕΔΡΙΩ. - - - ΤΩΝ. ΕΝ. ΣΜΥΡΝΗ. ΓΕΡΟΝΤΩΝ. *summe venerando conlegio seniorum Smyrnae*, qua in oratione cumprimis observandum vocabulum σεμνοτατος, quod senibus proprie competit, tum et συνεδριον, quod conlegium et ordinem notat. Sic et teste Plutarcho [f]) additos regibus Spartanis optimates causa senii Apollo Delphicus vocavit πρεσβυγενεας, Lycurgus γερουσιαν, quam quidem Pausanias vocat συνεδριον Λακεδαι-

a) L. XXXV. cap. 10. b) de corona p. 487. c) Hist. L. V. c. 88. d) Lettr. de crit. p. 281. e) num. 167. f) an seni ger. resp. p. 789.

Digitized by Google

μονιοις κυριωτατον της πολιτειας, *conlegium, penes quod apud Lacedaemonios summa civilis regiminis est auctoritas* [a]). Ejusdem rationis fuère secundum Livium missi a Carthaginiensibus ad petendam pacem *triginta seniorum principes*, de quibus continuo addit: *id erat sanctius apud illos consilium, maximaque ad ipsum senatum regendum vis* [b]). Vide de hoc argumento plura apud Hesychium, Festum, Varronem. (L. IV. de lingua Lat.) Fuisse vero γερουσιαν et βυλην ordines diversos, jam vidimus ex citato Tiberiopolis numo, in quo ΒΟΤΛΗ ΓΕΡΟΤσια, tum etiam ex citato marmore Cuperi: Η. ΒΟΤΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΚΑΙ. Η. ΓΕΡΟΤΣΙΑ. κ. τ. λ. Omnium vero certissime varios hos ordines distinguit Dio Chrysostomus: ἐχ ὡς πρωην, inquit, χωρις ἠν ὁ δημος, και χωρις ἡ βυλη, και νυ ἐτι καθ' ἑαυτους οἱ γεροντες, δια το συμφερον ἑκαστοις δηλονοτι σκοπουντων, *non ut antea seorsim sua curabat populus, seorsim senatus, atque ut adhuc nunc sui juris sunt seniores, dum videlicet singuli sua unice commoda considerant* [c]). Et paullo infra [d]): ἱνα γαρ την βυλην ἀρω, και τον δημον τε και τους νεους και τους γεροντας, *ut enim senatum mittam et populum, et juvenes et senes.* Video etiam locum ipsum, in quo congregabantur οἱ γεροντες, vocatum Γερουσιαν. Ejus testem produco Plinium juniorem [e]): *Nicomediae vastissimum incendium multas privatorum domos, et duo publica opera, Gerusian, et Isson,* (forte Iseon) *absumpsit.* Et Vitruvius [f]): *Croesi domus, quam Sardiani civibus ad requiescendum aetatis otio seniorum collegio Gerusiam dedicaverunt.* Quod et confirmat Plinius senior [g]).

Γερουσιαν bini tantum numi memorant, et quidem

Hierapolis Phrygiae: ΓΕΡΟΤΣΙΑ. *Caput juvenile laureatum.*

Tiberiopolis Phrygiae: ΓΕΡΟΤσια, *Vir togatus et velatus stans s. ramum dependentem,* ΒΟΤΛΗ, *Mulier stans d. elata caduceum.*

Qua ratione pingi solita sit gerusia, docet Dio Cassius narrans Trajani, antequam imperium susciperet, somnium [h]): Εδοκει ἀνδρα πρεσβυτην ἐν ἱματιῳ και ἐσθητι περιπορφυρῳ, ἐτι δε και στεφανῳ ἐξολισμενον, ὁια πω και την γερουσιαν γραφουσι, κ. τ. λ. *Visus sibi est videre virum senem tunica et veste purpurea indutum, coronatumque, quo modo gerusiam pingere solent, etc.* tametsi hoc loco Dio potius videatur designare senatorem Romanum, sed parum interest.

---

a) L. III. cap. 11. b) L. XXX. c. 16. c) Orat. XXXIV. p. 418. d) pag. 419.
e) L. X. epist. 42. f) L. IV. c. 8. g) L. XXXV. §. 49. h) L. LXVIII. §. 5.

Digitized by Google

§. II.

DE ARCHONTIBVS, PRAETORIBVS, SCRIBIS.

Conjungimus triplicem hunc magistratum, cum quod reliquis frequentius in numis reperitur, tum quod explicatio unius alterius etiam naturam illustrat. Singulorum principio damus catalogum, sed diversum ab eo, quem vulgavit Vaillantius in numis suis Graecis, in quo archontes, praetores, scribae ex numis cogniti ordine alphabetico recensentur. Magis utile visum, recensere ipsas urbes, quae vario hoc magistratu usae sunt.

Vrbes et populi, quorum magistratus

ARCHON.

Abydus Troadis: ЄΠΙ. ΑΡΧ. etc.

Acmonia Phrygiae.

Ancyra Phrygiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.

Aphrodisias Cariae: ΤΙ. ΖΗΛΟΤ. ΠΡΩΤΟΤ. ΑΡΧ.

Apollonidea Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.

Attaea Phrygiae.

Bagae Lydiae: ΑΡΧ. Α. Β.

Blaundos Lydiae: ΑΡΧ. Α.

Byzantium Thraciae.

Cadi Phrygiae.

Chius insula: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡЄΙΜΟΤ. Δ'C. — ЄΠΙ. ΑΡ. ΧΡΥCΟΓΟΝΟΤ.

Cidyessus Phrygiae: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡΩτυ ΠЄΙCΩΝΟC.

Cilbiani superiores Lydiae.

Colossae Phrygiae: ΤΙ. ΑΠЄΙΡЄΙΔΟC. ΑΡΧΩΝ.

Cos insula ex numis dubiis.

Cotiaeum Phrygiae.

Cyzicus Mysiae.

Daldis Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Δ.

Dardanus Troadis.

Dorilaeum Phrygiae: ЄΠΙ. ΠΑΤΛΟΤ. Α. nisi το Α. aliud notet.

Germe Mysiae: ЄΠΙ. Γ. ΑΤΡ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΤ. Α. ΑΡΧ.

Gordus Iulia Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.

Hadriani Bithyniae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.

Hadrianotherae Bithyniae: ΑΡΧ. Α.

Halicarnassus Cariae: ΑΡΧ. Γ.

Hyrcania Lydiae: ЄΠΙ. Α. ЄΡΜΟΓЄΝΟΤC.

Hyrgalea Phrygiae: ΑΡΧΟ.

Iulia Phrygiae: ΑΡΧ. ΤΟ. Β.

Maeonia Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.

Midaeum Phrygiae: ЄΠΙ. ΑΤΡ. ΔΙΟΝΤCΙΟΤ. ΠΡ. ΑΡΧ.

Miletus Ioniae.

Myndus Cariae.

Nacolea Phrygiae.

Nicomedia Bithyniae: ЄΠΙ. Α. ΑΡΤЄΜΙΔΩΡΟΤ. ΑΡΧ.

Pergamus Mysiae ex numo varie lecto.

Digitized by Google

Philadelphia Lydiae: ΑΡχοντος ΠΡωτυ Β.
Priene Ioniae.
Saetteni Lydiae: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.
Sardes Lydiae.
Silandus Lydiae.

Vrbes et populi, quorum magistratus

PRAETOR, ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ.

Acrasus Lydiae.
Adramytium Mysiae.
Aegae Aeolidis.
Anemurium Ciliciae.
Apollonia Ioniae.
Apollonia Lydiae: ΧΑΡΜΙΔΗϹ. ΝΕΙΚΟϹΤΡΑΤ. ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ.
Apollonidea Lydiae.
Assus Mysiae.
Attaea Phrygiae.
Attalia Lydiae.
Aureliopolis Lydiae.
Bargylia Cariae.
Blaundos Lydiae.
Ceretape Phrygiae.
Cilbiani superiores Lydiae.
Cius Bithyniae.
Clazomenae Ioniae: ΕΠ. ΣΤ. ΖΩΣΙΜΟΥ. Τ. Ε. id est: *quintum.*
Colophon Ioniae.
Cyme Aeolidis.
Cyzicus Mysiae.
Daldis Lydiae.
Dionysopolis Phrygiae: ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟϹ. - - ΤΡΑΤΟΥ.
Dioshieron Lydiae.
Elaea Aeolidis.
Ephesus Ioniae.
Erythrae Ioniae.
Germe Mysiae.
Hadrianotherae Bithyniae.
Hermocapelia Lydiae.
Hierapolis Lydiae forte.
Hypaepa Lydiae: ΕΠΙ. ΚΗΡΙΝΘΟΥ. Δ. ΣΤΡΑΤ. Α.
Hyrcania Lydiae.
Lampsacus Mysiae.
Laodicea Phrygiae: ΑΓΡΙΠΠΙΝΟϹ. ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ.
Lesbus insula.
Magnesia Lydiae.
Methymna Lesbi.
Metropolis Ioniae.
Metropolis Phrygiae.
Miletopolis Mysiae.
Mostene Lydiae.
Myrhina Aeolidis.
Mytilene Lesbi.
Nacrasa Lydiae.
Nicaea Bithyniae forte.
Nicomedia Bithyniae.
Pergamus Mysiae: ΣΤΡΑ. ΚΕΦΑΛΙΩΝΟϹ. ΤΟ. Β.
Perperene Mysiae.
Phocaea Ioniae.
Pionia Mysiae.
Pitane Mysiae: ΕΠΙ. ΣΤ. Μ. ΑΤΡ. ΠΟΒΛΙΟΥ. ΤΟ. Β.
Sardes Lydiae.
Silandus Lydiae: ΕΠΙ. ΔΗΜΟΦΙΛΟΥ. ΣΤΡΑΤ. Β.
Smyrna Ioniae.
Stectorium Phrygiae.
Stratonicea Cariae.
Tabala Lydiae.
Temnus Aeolodis.
Teos Ioniae.
Thessali: ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ.

Digitized by Google

Thyatira Lydiae.
Tralles Lydiae ex numo dubio.

Vibes et populi, quorum magistratus

SCRIBA, ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ.

Adramytium Mysiae: ЄΠ. ΓΡΑΜΜΑΤ.
Antiochia Cariae: ЕΠΙ. ΓΡ.
Apamea Phrygiae: ЄΠΙ. ΓΡΑΜ. ΤΟ. Β.
Cilbiani inferiores Lydiae: ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ.
Ephesus Ioniae: ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ.
Laodicea Phrygiae.
Magnesia Ioniae.
Megara Atticae.
Mylasa Cariae: ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ.
Nysa Cariae: ΓΡΑΜ. ΤΟ. Β.
Pergamus Mysiae: ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ.
Tralles Lydiae.

* * *

ARCHON spectato etymo est, cui in alios est imperium, fuitque in non paucis urbibus archon appellatus is, cui a populo rerum summa permissa fuerat. Quin ex eadem potestatis causa Graeci nonnunquam archontem quoque dixere proconsulem Romanum, etsi hunc alias magis proprie ἀνθύπατον dicerent, cujus aliquot exempla adfert Spanhemius [a]), quo modo variatum fuisse cum vocabulo ἡγεμών, alias dicetur. Asander Bospori princeps *archontem* se in numis dixit, antequam regium nomen invaderet.

Fuisse Athenis novem archontes, quorum primus erat eponymus, id est, qui anno nomen dedit, alter rex, tertius polemarchus, denique sex thesmothetae, docuit Pollux [b]). Athenarum exemplo non modo harum coloniae archontem sibi praefecere, sed etiam copiosae urbes aliae, quibus Atheniensium instituta placuere, atque in his quoque plures una fuisse archontes, ex numis manifestum fit, inscripto saepe, ut vidimus ΑΡΧ. ΠΡΩτυ, vel pro hoc: ΑΡΧ. Α. id est: *archonte primo.* Si primus, fuit ergo aliquis secundus, vel tertius, atque is primus semper eponymus; nunquam enim legimus, ἄρχοντα δεύτερον, vel Β numis illatum. Archontes binos in insula Thera memorat marmor Sponii [c]).: ΑΡΧΟΝΤΩΝ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ. Β. ΚΑΙ. ΚΟΙΗΤΟΥ. Β. *archontibus Asclepiade iterum, et Quieto iterum.* In numis conjuncti duo semel comperti, nimirum Cilbianorum superierum Lydiae: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΑΥΡΗ. ΔΙΟΝΥCIOY. Κ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. *Archontibus Aurelio Dionysio, et Metrodoro.* Perperam junctos binos in Byzantii numis vidit Cl. Vandale, nimirum ut ipse legit: ЄΠΙ. ΑΡΧ. Γ. CΑΛΛ. ΑΡΙCΤΑΙΝЄΤΟΥ. ΚΑΙ. ΑΙΛΙΔΟC. et: ЄΠ. ΦΡΟΝΤΩΝΟC. ΚΑΙ. Α. ΦΗCΤ. etc. [d]). Additum enim alterum nomen non esse archontis II., sed muliebre, in ejus urbis moneta diximus. Repetitum fuisse archontis munus, ex praefixo catalogo docemur, sic: ΑΡΧ. Α. Β, vel: ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. significat: *archonte primo iterum*, vel pro hoc: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΔΙC. *ar-*

a) T. I. p. 692. b) L. VIII. c. 9. segm. 85. c) Misc. p. 341. n. 64. d) Diss. II. c. 4. p. m. 224.

Digitized by Google

chonte iterum, in numo Daldis; APX. A. TO. Δ. *archonte primo quartum*, nisi forte et hic litera Δ posita pro ΔIC. Sic et in lapide Ancyrano apud Montfauconium a) habemus *T. Flavium Gajanum equitem Romanum et* ΔIC. THN. ΠPΩ-THN. APXHN. APΞANTA. *bis primi archontis munere fuńctum*, et in alio Ancyrano apud Gruterum b): *Alexandrum summum pontificem*, KAI. TO. B. ΠPΩTON. APXONTA. *et iterum primum archontem.*

Cum in numis APX. tantum exaratur, adhibenda cautio, ne APXων pro APXιερεως legatur, et vicissim, in quo aliquoties offendit Vaillantius, ut diximus in moneta Cyzici Mysiae et Daldios Lydiae, et frequenter Vandale dissertatione III. de pontificibus Graecorum.

* * *

ΣTPATHΓOΣ, Latinis PRAETOR, secundum auctores utriusque linguae. Cicero c): *Cum civitate mihi res est acerrima et conficientissima litterarum*, (Temno Aeolidis) *in qua numus commoveri nullus potest sine quinque praetoribus etc.* Rursum propraetor Romanus in numis Cyrenaicae dicitur ANTIΣTPA-τηγος. Iam remotissimo aevo variae urbes Graecae habuere strategum, fuitque is magistratus non solum militaris, sed etiam civilis, nam στρατος olim non modo militares copias, sed etiam coetum civium significavit, quod erudite probat Spanhemius d). Causa discriminis nonnunquam dicti ΣTPATHΓOI. EΠI. TΩN. OΠΛΩN. *armorum praefecti*, et ΣTPATHΓOI. EΠI. TOTΣ. ΠOΛITAΣ. *praetores civiles*, quod ex marmoribus eruit el. Vandale e). Eodem modo Romanorum praetor in utramque partem est acceptus, nam teste Varrone f): *Praetor dictus, qui praeiret jure et exercitu.* Στρατηγον etiam Graeci dixere Romani exercitus imperatorem. Sic in praeclaro marmore Gytheatarum Laconiae, quod vulgavit Pacciaudus g), legitur: TITON. TITOT. KOIΓKTI-ON. ΣTPATAΓON. TΠATON. PΩ-MAIΩN. κ. τ. λ. *Titum Titi F. Quinctium imperatorem consulem Romanorum etc.* in quo nollem ab erudito viro το ΣTPATAΓON Latine redditum *praetorem* pro *imperatorem*; nam quem eundem T. Quinctium Polybius στρατηγον dixit, ἡ συγκλητος ἡ Ῥωμαιων και Τιτος Κοϊντιος στρατηγος h): Livius vertit *imperatorem*, nimirum: *Senatus Romanus et T. Quinctius imperator* i). Verum qui alii fuerint per urbes Graecas strategi varii muneris, hoc loco inquirere non vacat, et potes petere ex citatis hactenus auctoribus. Nam hic tantum agimus de stratego, magistratu urbium Graecarum Romanis servientium jam mere civili, et nullo amplius cum re militari nexu, quem elegere sui, ut jus diceret, pacem publicam procuraret, annumque nomine suo signaret.

Vt eodem tempore in una civitate archontes fuere plures, sic et praetores. Binos dat Mostene Lydiae: ЄΠI. CTPA. M. ATP. ZЄTΞIΔOC. K. ΛOT. TTΛ-

a) Palaeogr. p. 158. n. II. b) pag. 448. 1. c) pro Flacco c. 19. d) T. I. p. 696. e) Diss. V. cap. 3. f) de L. L. Lib. IV. g) Monum. Pelop. Vol. II. p. 101. h) exc. leg. IX. i) L. XXXIII. 32.

Digitized by Google

ΛΙΟΥ. *Sub praetoribus M. Aurelio Zeuxide et Lucio Tullio.* Alterum exemplum forte praebent numi Mytilenes, sed quorum lectio dubia. In citato supra Hypaepae Lydiae numo: ЄΠΙ. ΚΗΡΙΝΘΟΥ. Δ. CTPAT. A. *Sub Cerintho quarta vice praetore primo.* Plures apud Smyrnam memorat marmor Oxoniense, quod est ordine secundum: ΕΔΟΞΕΝ. ΤΩΙ. ΔΗΜΩΙ. ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ. ΓΝΩΜΗ. *Placuit populo de sententia praetorum.* In marmore Sponii Bonnatus dicitur ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ. ΠΡΩΤΟΣ. ΔΙΣ. *Praetor primus iterum* [a]). Temni Aeolidis praesedisse praetores quinque, paullo supra ex Ciceronis testimonio vidimus.

Sic et praeturam saepius iteratam, supra vidimus. In numo Clazomenarum legitur Zosimus praetor *quintum*, quo auctiorem numerum non habemus; quanquam et in Aspendi numo legatur ΘЄΜΙΔΟC. ΤΟ. Є. at in marmore Sponii habemus apud Megara Atticae Onesiclem στρατηγον ΒΙ. id est: *duodecimum* [b]).

* * *

ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ, SCRIBA. Ejus conditio apud varias civitates varia fuit. Viluisse Romae, pluribus testimoniis evicit Spanhemius [c]), quorum luculentissimum est Cornelii Nepotis loquentis de Eumene, *itaque*, inquit, *eum habuit* (Philippus Amyntae) *ad manum SCRIBAE loco, quod multo apud Graecos honorificentius est, quam apud Romanos. Nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur. At apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, et industria cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem.* Tenuem etiam scribarum Syracusis et Athenis fuisse fortunam, ibidem Spanhemius ex veteribus conficit, sic ut etiam ὑπηρεται, *apparitoris* loco haberentur. Eam tamen alibi fuisse illustrem, plenamque dignitatis, atque etiam potestate conspicuam, cum citatus Nepotis locus, tum et monumenta alia affatim testantur. Sed enim dispar haec ratio nihil ad praesentem causam facit. Nimirum non est spectandum nomen, quod dare muneri cuipiam publico civitati placuit, sed quantum dignitatis et potestatis cum hoc nomine fuerit conjunctum. Sic et in populari regimine civitatum Germaniae inter prima magistratus subsellia locum obtinet is, qui *scriba urbis* (Stadtschreiber) appellatur, et longe differt a scribarum vulgo, qui mercenarium tantum manuum ministerium commodant. Iulius Pollux varia scribarum, qui Athenis fuere, munera commemorat; alius nimirum fuit, qui juxta prytaneam electus sorte fuit ad servandas tabulas et decreta, alius electus a senatu ad leges, alius electus a populo, praelegit senatui et populo [d]). Ex quo apparet, in ipsis etiam Athenis inter scribas fuisse honoris discrimen. De varia hac scribarum apud Graecos conditione lege praeclare disserentem Biagium [e]). Ad nostri argumenti numos ut revertar, certum est, in urbibus iis, quarum catalogum dedi, scribam ma-

a) Misc. p. 356. n. 99. b) Miscell. p. 329. n. 20. c) T. I. p. 703. d) L. VIII. segm. 93. e) de Decret. Athen. c. 13.

Digitized by Google

gnae fuisse auctoritatis et honoris, quod ejus nomen monetae publicae intulere. Sane tumultum Paulo ad populum dicente Ephesi exortum progressus in medium scriba auctoritate sua compescuit [a]). Quin et in marmore Ephesio apud Muratorium [b]) T. Flavius Munatius simul Γραμματευς, simul Ασιαρχης dicitur, quae posterior dignitas nonnisi viris provinciae primariis demandata fuit. Quin et in nonnullis civitatibus scribam fuisse magistratum principem, aut saltem e primoribus unum, comprobat marmor editum a Cupero [c]), quo dictante Magnetes Ioniae honorant T. ΙΟΥ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΝ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟΝ. ΜΕΤΑ. ΠΟΛΛΑΣ. ΑΡΧΑΣ. ΚΑΙ. ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΣ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣΑΝΤΑ. ΤΗΣ. ΠΟΛΕΩΣ. ΕΠΙΦΑΝΩΣ. *T. Iulium Menandrum Aurelianum, qui post multos magistratus, et munera publica scribae in urbe munere splendide functus est.* Ex quo sane apparet scribae apud hos Magnetes dignitas, quos alioqui constat, unum scribam monetae suae inscripsisse. Adversari quidem huic sententiae videtur Vaillantius, cum ait [d]): *si archon aut praetor e vita in magistratu exierat, nomen scribae in numis signabatur, quod in urbibus, ubi eorum nomen pro magistratu in numis apponebatur, apparet.* At enim contrarium potius docent numi. Nam cum in numis Antiochiae Cariae, Apameae Phrygiae, Magnesiae Ioniae, Mylasae Cariae, Nysae Cariae, Trallium Lydiae nunquam memorentur archontes vel praetores, semper scribae, sequitur, non tunc demum scribas monetae illatos, quando illi vita excessere, sed scribas fuisse ordinarium earum civitatum magistratum eponymum, nisi velis, archontes et praetores constante ac mirabili lege simul electos, simul vita functos.

Vrbes, quae magistratum scribam sistunt, sunt omnes provinciae Asiae, demptis Megaris Atticae. Fuerintne in omnibus his eodem tempore scribae duo, quod diserte adfirmat Vaillantius [e]), non temere edixero; neque enim in numis hucusque cognitis unquam legitur ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ. ΠΡΩΤΟΣ. vel A, quod in archontibus et praetoribus factum videmus. In unico Magnesiae Ioniae numo bini occurrunt: ΕΠΙ. ΓΡ. ΦΛΑΚΚΟΥ. ΚΑΙ. ΠΑΤΛΕΙΝΟΥ.

* * *

Restant de triplice hoc magistratu nonnulla communitur observanda.

I. Fuere urbes, quae per intervalla jam Archontes, jam strategos numis suis inscripsere, nimirum: Attaea Phrygiae, Apollonidea Lydiae, Blaundos Lydiae, Cilbiani superiores Lydiae, Cyzicus Mysiae, Daldis Lydiae, Germe Mysiae, Hadrianotherae Bithyniae, Nicomedia Bithyniae, Sardes Lydiae, Silandus Lydiae.

II. Factum etiam, ut eadem persona in ejusdem imperantis numis jam scriba, iam praetor diceretur. Sic in numis Hadriani et Sabinae, Laodiceae Phrygiae cusis, jam legas: ΑΓΡΙΠΠΙΝΟΣ. ΓΡΑΜ. jam ΑΓΡΙΠΠΙΝΟΣ. ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ. In numis Sardium, qui prae-

a) Act. Apost. c. XIX. v. 35. b) p. 184. c) Lettr. de crit. p. 281. d) num. Graec. p. 313. e) l. c.

Digitized by Google

tor, idem et archon; sic: CTPA. ЄIO. ΛIBΩNIANOT. in alio: AP. IO. ΛIBΩNIANOT.

III. Magis mirum, unam eandemque personam in eodem numo simul strategum, simul archontem prodi. Sic in numo Sardianorum, quem citat Belleyus [a]), ЄΠI. CTP. HPAKΛЄIΔOT. APX. A. In alio: ЄΠI. CTP. MЄNЄ-CTPATIANOT. APX. si modo rite lecta est horum numorum epigraphe, ut monui in moneta Sardium.

IV. Vrbes quae archontibus usae sunt, etsi, ut vidimus, non raro strategos admiserint, nunquam tamen scribas in moneta sua signavere. Contra ab urbibus, qui strategum magistratum habuerunt, videmus etiam admissos scribas, ut docent numi Adramytii Mysiae, Ephesi, Pergami, Laodiceae Phrygiae.

Varios hos, quod ad magistratus attinet, modos proposui, sed et totidem difficultates, artis nostrae magistris fere intactas. Quam enim causam inconstantiae dabimus, quam loco I. dedi, scilicet inscripti in ejusdem urbis numis jam archontis, jam praetoris? an toties mutatum regimen politicum? quod vix credibile. An perinde habitum, summum suum magistratum an archontem, an praetorem appellarent? Sententia non incommoda: etenim ex pluribus inferioris aetatis testimoniis jam collegit Harduinus, mutato nomine eandem utriusque fuisse potestatem [b]). Sic in glossis: Στρατηγος, *magistratus, duumvir, praetor.* Modestinus [c]): Εαν ὁ της πολεως ἀρχων, τυτεσιν στρατηγος κ. τ. λ. *Si urbis archon, id est, strategus etc.* De Constantino M. narrat Iulianus [d]), βασιλευς γαρ ὠν και κυριος παντων, στρατηγος ἐκεινων ἠξιω καλεισθαι, *rex et dominus omnium cum esset, eorum strategus voluit vocari*, id est: Atheniensium; at constat, summum apud hos magistratum proprio vocabulo non fuisse strategum, sed archontem. Adde proconsules, propraetores a Graecis scriptoribus nullo saepe discrimine jam ἀρχοντας, jam στρατηγους, jam ἡγεμονας appellatos, cujus obvia sunt exempla, atque secundum hunc morem dixere Leo et Constantinus Augg. [e]) το τυ ἀρχοντος ὀνομα γενικον ἐστι, και σημαινει και στρατηγον, και ἀνθυπατον, και παντας τους των ἐπαρχιων διοικητας, *archontis nomen generale est, et significat aeque praetorem, et proconsulem, et omnes provinciarum praesides.*

Hanc igitur magistratuum spectato nomine confusionem si consideremus, possemus sane conjicere, Graecos supremum suum magistratum jam archontem, jam praetorem appellasse. At superest alius nodum hunc exsolvendi modus. Constat, in pluribus civitatibus varios fuisse eodem tempore et variae potestatis magistratus. Fuere Athenis archontes, strategi, scribae. De archontibus, eponymo earum magistratu, vulgo constat. De constitutis ibi strategis, varioque eorum munere vide Spanhemium [f]). De Atheniensium scribis egimus supra. Eandem magistratuum varietatem apud alias quoque urbes obtinuisse et verisimile est, et par-

a) B. L. T. XVIII. p. 128. b) Num. ill. sub Αιζανιτων. c) L. XXVII. dig. tit. I. de excusat. leg. 15. d) Orat. I. e) Tit. VI. de praesidib. f) Tom. I. p. 697.

Digitized by Google

tim ex monumentis certum est. Quo factum, ut jam hujus, jam alterius generis magistratus numis inscriberetur, sive in urbe summus esset, sive eponymus, sive neutrum. Ex duobus, vel tribus viris, quos plerumque tetradrachmis Atticis inscriptos videmus, nullus haud dubie fuit, qui summo Athenis magistratu functus esset. Videmus in numis, praecipue Smyrnae, et Laodiceae Phrygiae, notari omnis generis magistratus tam sacros, quam profanos. Neque vero etiam praefixum ΕΠΙ semper magistratum eponymum notat, sed saepe tantum, hoc sive archonte, sive stratego, sive scriba, sive quaestore, sive pontifice, sive Asiarcha etc. signatos numos, prout nempe huic vel illi demandatum fuit feriundae monetae negotium, aut quis eam suo arbitrio feriandam curavit, eodem plane modo, quo inscriptos numis consularibus jam praetores, jam quaestores, jam aediles, jam IIviros monetales videmus, prout his illisve mandatum signandi argenti opus.

II. Quod idem Agrippinus jam scriba, jam praetor dicitur, factum forte propterea, quod is primum scribae munere functus, in praetoris subinde dignitatem successit. Existimat Pellerinius [a]), absente vel mortuo praetore hujus magistratus jura interim in scribam fuisse translata. At non advertit vir eruditus, et praetorem et scribam dici in numis Agrippinum, et haud dubie esse unum eundemque.

III. Quam hoc loco proposui difficultatem, quicunque volet; enodandam relinquo.

IV. Quod hoc loco observavimus, aliud non probat, quam morem civitatum, quae magistratum hoc illove nomine sibi praeesse voluere.

§. III.

DE EPHORIS.

Illustrem hunc Spartanorum magistratum unicus numus memorat.

ΛΑ. ΕΦΟΡΟ. ΤΙΜΑΡΑCΤΟC. *Clava Herculis cum caduceo.* Est autonomus aeneus Lacedaemonis apud Pellerinium [b]).

In numo Poppaeae apud Ancyram Phrygiae signato cum epigraphe: ΤΙ. ΒΑΣΣΙΛΑΟΤ. ΕΦ. ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΤ. etc. ephorum videre sibi visus est Vaillantius, sed quam lectionem in numis hujus urbis in dubium vocavi.

* * *

Fuere, quod inter omnes constat, ephori collegium V. virorum regiae potentiae oppositum, et annui, quorum

a) Mel. II. pag. 72. b) Suppl. IV. p. 43.

Digitized by Google

unus anno nomen dabat. De eorum muniis et varia potestate vide Nicolai Cragii remp. Laced. L. II. c. 4, et alios passim.

§. IV.

DE PRYTANIBVS.

Paucae urbes magistratum Prytanem numis suis inscripsere. Habes hic earum catalogum:

* * *

Apamea Phrygiae: ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΤ. ΠΡΤΤ. in cistophoris, quos vide.

Cyme Aeolidis: ΑΙΛ. ΕΡΜΙΑC. ΠΡΤΤ.

Pergamus Mysiae: ΑΠ. vel ΑΣ. vel ΕΤ. etc. addito ΠΡΤΤ. vel ΠΡΤΤΑ. in cistophoris, quos vide.

Smyrna Ioniae: ΣΜΤΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΤΤΑΝΕΙΣ. absque nomine, in aureo autonomo, de quo vide numos Smyrnae.

Synnada Phrygiae: ΕΠΙ. ΠΡΤ. ΚΛΟΓΙΕ. ΑΤΤΑΛΟΤ. vel parcius: ΕΠΙ. Π. ΑΤΤΑΛΟΤ.

Addi posset numus: ΕΠ. ΑΡΧ. ΠΡΤΤΑΝΕΙ. ΕΠΙΚΡΑΤΟΤ. Β. ΕΓΙΑΛΕΩΝ. nisi suspicio νοθείας subesset, ut monui ad Aegialum Achaiae Vol. II. p. 234.

* * *

De prytanibus adcurate et copiose scripsere Antonius van Dale [a]), Spanhemius in diatriba de Vesta et prytanibus, postea contractius in magno opere de praestantia numorum [b]). Horum partim usus opera magistratus hujus naturam paucis exponam.

Prytanes Athenis atque alibi concilii publici seu βουλῆς, *senatus*, partem praecipuam constituebant, poterantque convocare senatum ac populum, et agere de rebus reip. bonum spectantibus. Vnde apud Thucydidem [c]) Nicias destinatus ab Atheniensibus in Siciliam dux his verbis prytanin ejus concionis praesidem appellat: *tu vero, o prytani, siquidem ad te pertinere existimas consulere civitati, et civis bonus esse vis, calculos adpone, et iterum Atheniensis sententiam roga, reputans animo, si rem revocare ad suffragia, et rescindere plebiscitum reformidas, tibi in tanta testium frequentia rem istam nequaquam crimini datum iri, sed te civitatis, quae malum consilium ceperit, medicum fore etc.* En amplam sane prytanum in consilio publico potestatem atque auctoritatem. Sed de prytaniarum apud Athenienses statu lege copiose disserentes Corsinium in *Fastis Atticis*, et Biagium in suo de *decretis Atheniensium* opere. Prytanes in multis aliis Graeciae urbibus fuere, quas enumerat Span-

a) Dissert. V. c. 2. b) T. I. p. 700. c) L. VI. c. 14.

Digitized by Google

hemius [a]), at varia potestate. Rhodi fuisse prytanem summum magistratum, dixi in ejus moneta, et fuit tempus, quo et Corinthi prytanes annuum imperium tenuerunt [b]). Tarsi fuisse semestres, tradit Dio Chrysostomus [c]). Fuere et magistratus eponymus Pergami teste marmore Sponii [d]), narrante, A. Clodium ibi TAN. ΕΠΩΝΥΜΟΝ. ΑΠΟ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΝ. ΕΚ. ΓΕΝΕΟΣ. ΔΙΑΔΕΞΑΜΕΝΟΝ, *collatam a regibus in gentem suam eponymam prytaniam inivisse;* quin et fuisse eponymum Ephesi, colligitur ex Iosepho, apud quem legitur decretum Ephesiorum, quod incipit: Επι πρυτανεως Αρτεμωνος, Ληναιωνος πρωτη [e]), et ex marmore Sponii [f]), quod incipit: ΕΠΙ. ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΤΙΤΙΑΝΟΥ. κ. τ. λ. fueritque haud dubie eponymus hic prytanis reliquis dignitate prior; nam et eorum plures una fuisse, docet marmor Smyrnaeum, quod refertur inter Oxoniensia num. XXV., et perhibet Paternianum ΠΡΥΤΑΝΙΝ. ΠΡΩΤΟΝ. In marmore Cyzici, quod praeclare explicat Belleyus [g]) legitur: ΕΠΡΥΤΑΝΕΥΣΑΝ. *Prytanes fuerunt*, et quidem, quod ex sequentibus apparet, menstrui secundum tribus, Atheniensium iterum exemplo. Eximie vero hoc prytanum collegium una cum eorum capite confirmatur marmore Milesio apud Chandlerum [h]): ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ. ΤΟΥ. ΑΡΧΙΠΡΥΤΑΝΙΔΟΣ. ΚΤΗΣΙΟΥ. ΤΟΥ. ΚΤΗΣΙΟΥ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΣΥΝΑΡΧΟΝΤΩΝ. ΑΥΤΟΥ. *Curante archiprytanide Ctesia Ctesiae F. et collegis ejus.* Communicatam etiam cum feminis hanc dignitatem, sed, ut existimo, tantum causa sacrorum, non reipublicae, tenemus ex marmore Phocaeae Ioniae reperto, quod Flaviam quandam vocat ΠΡΥΤΑΝΙΝ additis aliis obiti sacri magistratus titulis [i]).

Sed ad sacras etiam reip. causas adhibiti prytanes. Sic Aristoteles eos, qui ab universa civitate designati fuere ad peragenda sacrificia publica, dictos ait jam archontes, jam reges, jam prytanes [k]). Ad haec praefecti fuere prytaneis. Erant vero prytanea curiae publicae, et tanquam urbis penetralia, asyli jure donatae, et in Vestae tutela habitae. Teste Dionysio Halic. [l]) *ταγε τοι καλουμενα πρυτανεια παρ' αυτοις εστιν ιερα, και θεραπευεται προς των εχοντων το μεγιστον εν ταις πολεσι κρατος, quae vero apud eos* (Graecos) *vocantur prytanea, sacra sunt, et eorum cura ad eos pertinet, qui in civitatibus maximam habent dignitatem.* Athenis in prytaneo servari Solonis leges tradit Pausanias [m]), et posita ibi signa Vestae et Pacis. In prytaneis quoque datus victus e publico legatis exteris, aut si quis alius causa meritorum dignus habitus est, qui e publico vesceretur, ut tradit Pollux [n]), et Li-

a) De praest. T. I. p. 701. b) Pausan. L. II. c. 4. c) Orat. 34. p. 424. d) Misc. p. 348. e) Ant. L. XIV. c. X. §. 12. f) ibid. p. 356. g) Caylus. Ant. T. II. p. 243. h) Inscr. ant. p. 17. i) Spon Misc. p. 349. k) Politic. L. VII. sub fin. l) L. II. p. 126. m) L. I. cap. 18. n) L. IX. c. V. segm. 40.

Digitized by Google

vius [a]): *Cyzici in prytaneum, id est penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur, etc.* Vide etiam de prytaneis Suidam et Hesychium. Vaillantius in suo de numis Graecis opere magistratus prytanis non meminit; nam το ΠΡΤΤ. in numo Cymes non legit, ut oportuerat, ΠΡΤΤανις, sed *Prytanidis F.*, et in numo dubio, quem supra ad calcem catalogi addidi, το ΠΡΤΤΑΝΕΙ. legit *Prytanide*, instar nominis proprii. Reliqui numi a me descripti aut illi non fuere cogniti, aut ad ejus propositum non pertinuere.

§. V.

DE QVAESTORIBVS, ΤΑΜΙΑΙΣ.

Graecas urbes inter magistratus suos habuisse quaestorem, auctores non pauci, et marmora prodidere. Parcior ejus in numis mentio, quos hic sisto.

* * *

Pergamus Mysiae: ΕΠΙ. ΤΑΜΙΑ ΑΙΛ. ΘΕΟΦΙΛΙΑΝΟΥ.

Rhodus insula: ΤΑΜΙΑ. ΤΕΙΜΟΣΤΡΑΤΟΥ. in autonomo.

Smyrna Ioniae: ΓΑ. ΚΛ. ΒΙΩΝΟΣ. ΤΑΜΙΟΥ. in autonomo.

Exclusi memoratos aliis in numis quaestores, sed qui non urbium Graecarum, sed Romanorum in provinciis fuere magistratus, quos vide in Sectione II.

* * *

Quaestores, Ταμιαι, fuere, qui pecuniam publicam quocunque nomine, ad usus sive sacros, sive profanos, administrabant. Eorum varia munia potes ex Suida petere. In marmore Smyrnaeo, quod est inter Oxoniensia num. XXV., Paternianus dicitur ΤΑΜΙΑΣ. ΤΗΣ. ΠΟΛΕΩΣ, *quaestor urbis*. In celebri decreto Smyrnaeorum jubetur ταμιας Callinus praebere viaticum legatis [b]). In marmore Sponii [c]) est: ΤΑΜΙΟΥ. ΤΟΥ. ΔΗΜΟΥ. ΤΟ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ, *quaestore populi iterum*. Aristoteli memoratur ταμιας των ἱερων χρηματων, *quaestor a sacris pecuniis* [d]). Et

a) L. XLI. c. 20. b) Marm. Oxon. II. vers. 31. c) Voyage T. III. p. 93. d) Politic. L. VII. sub fin.

Digitized by Google

fuere in eadem civitate numero plures. Sic Temni Aeolidis fuisse tres perhibet Tullius [a]). Fuit eorum in nonnullis civitatibus auctoritas non vulgaris. Sane Athenis teste Polluce [b]) habebant potestatem remittendi multam, si injuste ab archontibus injuncta fuisset.

§. VI.

DE PONTIFICIBVS.

Summi pontifices, qui in numis:

ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ.

Summos pontifices numis suis inscripsere urbes sequentes:

Apamea Phrygiae: ΕΠΙ. Μ. ΑΤΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΕΛ. ΑΡΧΙ.

Cidyessus Phrygiae: ΕΠΙ. ΦΛΑΟΥΙΟΥ. ΠΙΝΑΡΙΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ.

Cius Bithyniae: ΕΠΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΚΛΑΥ. ΒΙΑΝΤΟΣ.

Cotiaeum Phrygiae: ΕΠΙ. Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩC.

Ephesus Ioniae: ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. additis variis nominibus. — ΑΡΧ. ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. Δ.

Eumenia Phrygiae: ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΛΕΩΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΑΣΙΑΣ.

Ionum commune: ΦΡΟΝΤΩΝΟC. ΑCΙΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕ. in numo ambiguae lectionis. V. *Ionia.*

Laodicea Phrygiae: Λ. ΑΙΑΝ. ΓΩΤΑΜ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ex numo dubio.

Philadelphia Lydiae: ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ.

Sardes Lydiae: ΓΑΛ. ΚΛΑΤΔΙΑΝΟΥ. ΑΡΧΙΕ. ΜΕΓ.

Silandus Lydiae: ΕΠΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩC. ΤΑΤΙΑΝΟΥ. Κ. ΑΡΧ.

Smyrna Ioniae: ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ.

Tarsus Ciliciae: ΕΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ΟΜ. ex numo dubio.

Temenothyrae Lydiae: ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙΕΡΕΤC. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β.

Addi his possunt Summi pontifices Olbae Ciliciae, quorum numos in hac descriptos vide, et summus pontifex Zenodorus tetrarcha, cujus numum post numos regum Iudaeae Vol. III. p. 490. dedimus.

a) Pro Flacco cap. XIX. b) L. VIII. segm. 97.

Digitized by Google

Pontifices, qui in numis:

ΙΕΡΕΙΣ.

Achaei: ΟCΤΙΛΙΟC. ΜΑΡΚΕΛΛΟC. ΙЄΡЄΤC. ΤΟΤ. ΑΝΤΙΝΟΟΤ. Vide numos Antinoi in moneta imperatorum.

Colophon Ioniae: ΕΠΙ. CΤΡ. ΚΛ. ΚΑΛΙCΤΟΤ. ΙЄΡЄΩC. ΙΩΝΩΝ.

Ephesus Ioniae: ΙΕΡΕΤΣ. ΑΤΡ. ΜΟΤΣΟΝΙΟΣ. ΑΣΤΛΟΤ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΕΦΕΣΙΩΝ.

Epiri forte: ΜΕΝΕΔΗΜΟΣ. ΙΕΡΕΤΣ.

Heraclea Cariae: ΓΛΤΚΩΝ. ΙΕΡΕΤC.

Magnesia Lydiae: ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ. ΙΕΡΕΤΣ.

Nysa Cariae: ЄΠΙ. ΓΡ. Μ. ΑΤΡ. ΜΟΤCΩΝΙΟΤ. ΙЄΡЄΩC.

Pergamus Mysiae: ЄΠΙ. ΑΤΡ. ΚЄΛ. ΙЄΡЄΩC. ΔΙΑ. ΒΙΟΤ. ΤΩΝ. CЄΒ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. In aliis: Μ. ΦΟΤΡΙΟΣ. ΙΕΡΕΤΣ. ΚΑΙ. ΑΣΙΑΡΧΗΣ, sed de qua ambigua lectione vide, quae dixi in numis Pergami Vol. II. p. 471.

Perperene Mysiae: ЄΠΙ. ΑΓΩΝΟΘЄΤ. ΙЄΡЄΟC. ΔΙΑ. ΒΙΟΤ. ΤΩ. CЄΒ. ΓΛΤΚΩΝΟC. in numis varie lectis.

Sala Phrygiae: ЄΠΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΤ. ΙЄΡЄ.

Vrbis incertae: ΧΑΡΙΔΑΜΟΤ. ΙΕΡΕΟΣ. Vide meam Syllogen I. p. 77.

In parte aversa numi Carthaginis Novae, in cujus antica est: IVBA. REX., legitur: CN. ATELLIVS. PONTI*fex* II. V. Q. nempe Pontifex urbis suae. Numum hunc plenius descriptum vide in moneta Iubae II. Numidiae regis.

Adde his *pontifices*, et *pontifices magnos* charactere Samaritano, inscriptos numis principum Hasamonaeorum Iudaeae.

Sacerdotes feminae.

Acmonia Phrygiae: CЄΡΟΤΗΝΙΟΤ. ΚΑΠΙΤΩΝΟC. ΚΑΙ. ΙΟΤΛΙΑC. CЄΤΗΡΑC. Alii in similibus praefigunt ЄΠΙ.

Attuda Phrygiae: ΔΙΑ. ΦΛΑΒΙΑC. ΙЄΡΙΑC.

Byzantium Thraciae: ЄΠΙ. ΘЄΑC. ΦΑΤCΤΙΝΗC. addito plerumque nomine viri, ut: ЄΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΤCΟΤ. ΤΟ. Β. ΚΑΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΑC. Sacerdotes alias vide descriptas in hujus urbis moneta.

Sacerdotem Neocoram Pediam Secundam, quae legitur in numo Eucarpiae Phrygiae, dabimus in tractatu de populis et urbibus neocoris.

* * *

ΑΡΧΙΕΡΕΤΣ, *summus pontifex*, ex ipsa nominis notione magistratum indicat, ad quem, tanquam supremum judicem, sacrorum et religionis negotia pertinuere, et cui, tanquam capiti, inferioris ordinis sacerdotes subjecti fuere. Ejus fines arctiores alibi, alibi laxiores. Marmor, quod vulgavit Whelerus a), M. Aur. Diadochum vocat ΑΡΧΙЄΡЄΑ. ΤΗC. ΑCΙΑC. ΝΑΩΝ. ΤΟΝ. ЄΝ. ΠЄΡΓΑΜΩΙ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙЄΡЄΑ. ΚΑΤΑ. ΤΟΝ. ΑΤΤΟΝ. ΚΑΙΡΟΝ. ΤΗC. ΠΑΤΡΙΔΟC. *summum pontificem templorum Asiae, quae sunt Pergami et eodem tempore summum pontificem in patria sua.* Eodem modo dubium

a) Voyage T. I. L. III. p. 211.

Digitized by Google

non est, eorum plures, quos in catalogo stisi, fuisse ἀρχιερεῖς civitatis tantum suae. Huc pertinent ἀρχιερεῖς singulorum numinum, qualis in marmore Sponii [a]) praedicatur L. Septimius Tryphon *summus pontifex Bacchi, et summus pontifex M. Aur. Antonini* Caracallae. Latius patuit summus pontificatus Iulii Cleonis, qui in numo Eumeniae supra citato dicitur ΑΡΧΙΕΡΕΤΣ. ΑΣΙΑΣ, *summus pontifex Asiae* provinciae, quae formula forte idem significat, quod Asiarcha, de quo infra. Habuisse ἀρχιερεῖας potestatem in sacerdotes inferioris ordinis, eleganter Spanhemius probat ex binis epistolis Iuliani Aug., in quarum una is hortatur Arsacium Galatiae ἀρχιερέα, ut omnes per Galatiam sacerdotes vel ratione vel minis permoveat, ut probi sint ac diligentes in promovendo deorum cultu; sin morem non gesserint, ut eos sacerdotali officio privet. In altera his verbis Theodorum ἀρχιερέα Asiae urget: *Quid ergo illud est, quod dico me velle tibi committere? ut omnibus Asiae sacris praesis, regionis ac urbium sacerdotibus imperes, ac injungas unicuique id, quod ei convenit* [b]). A similibus igitur exemplis facile adducor, ut credam cum Vandalio [c]), eandem fuisse inter gentiles ἀρχιερέων provinciarum rationem, quae subinde fuit episcoporum metropolitarum, atque hos eorum exemplo institutos. Plura qui de summis pontificibus nosse cupit, adeat Spanhemium et Vandalium locis mox citatis.

In nonnullis civitatibus summum pontificatum fuisse annuum, patet ex citato numo Ephesi, in quo ΚΟΤΣΙΝΙΟΣ dicitur ΑΡΧιερεως Δ, id est, *quartum*. Sane in iis urbibus, in quibus ἀρχιερεως fuit magistratus eponymus, nonnisi annuus esse potuit. His opponuntur summi pontifices *perpetui*, dicti Graecis δια βιυ, *per omnem vitam*, quarum in vetustis epigrammatis mentio non infrequens. Marmor Sponii [d]) meminit M. Aurelii Fausti ΑΡΧΙΕΡΕΩC. ΕΚ. ΠΡΟΓΟΝΩΝ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. CΕΒΑCΤΩΝ. Exempla alia vide in marmoribus, quae collegit Vandalius [e]). Ejusdem naturae fuit summus pontificatus Romanorum. ΜΕΓαλη, *magni* titulum aliquoties in numis ἀρχιερεῖ additum vidimus. Communicatum etiam summum hunc sacrorum honorem cum feminis, ex marmoribus tenemus. Sic lapis Smyrnaeus, qui inter Oxonienses loco IV. refertur, memorat ΑΤΡ. ΦΑΥCΤΑΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ. Alia exempla vide apud Vandale [f]).

Potuisse ἀρχιερέα eodem tempore archontis quoque munere fungi, vidimus ex citatis numis Silandi et Temenothyrarum.

* * *

ΙΕΡΕΤΣ, *pontifex*, vel sacerdos minoris ordinis, ἀρχιερεῖ, si quis in civitate fuit, subjectus, ut Romae pontifices, augures etc. summo pontifici. De pontificum variis ministeriis plura commemorare necesse non existimo, quod de his jam egere alii, et suapte cuivis notum sit, pontificibus sacra civitatis,

a) Misc. p. 369. b) de praest. num. T. I. p. 419. c) Dissert. III. c. I. p. m. 235
d) Misc. p. 335. e) l. c. p. 258. seq. f) Dissert. III. c. II. sub finem.

Digitized by Google

et numinum cultum fuisse commissum. Vidimus supra in catalogo sacerdotem Antinoi, Dianae Ephesiae, Augustorum, tum et sacerdotem Ionum, et in binis numis pontificem *perpetuum*, ΔΙΑ. ΒΙΟΤ. Eodem etiam tempore magistratu profano functos, nimirum vel strategi, vel scribae, citata supra exempla testantur. Repetitum etiam fuisse pontificatum, docent marmora. Sic apud Sponium [a]) ΙΕΡΕΤC. ΚΑΤΑ. ΤΟ. ΕΞΗC. ΔΙC. *pontifex continuus iterum.* Apud eundem [b]) ΙΕΡΕΑ. ΔΙΟC. ΔΙC. *sacerdotem Iovis iterum.* Fuit ergo et pontifex magistratus eponymus, de quo agetur ex instituto in tractatu de magistratu eponymo.

* * *

ΙΕΡΕΙΑ, *sacerdos femina.* Feminas etiam antiquitus inter cultas aeque ac barbaras nationes sacrorum curam gessisse, res est in vulgus nota. Sane Plato inter tria magistratuum genera recenset *ἱερείας τε καὶ ἱερείας*, *sacerdotes mares ac feminas* [c]). Sexus alterius sacerdotes ex numis dedi in catalogo supra adducto. Majore eas numero in moneta sua obtulit Byzantium, atque etsi his non addatur *ἱερείας* nomen, tamen dubium non est, eas ratione muneris sacri numis illatas, ut dixi in hujus urbis moneta. Alia sacerdotum feminarum, et copiosa quidem exempla praebent epigrammata et scriptores. En pauca duntaxat. Marmor Sponii [d]) vocat Flaviam ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ. ΑCΙΑC. ΝΑΟΤ. ΤΟΤ. ΕΝ. ΕΦΕCΩ. ΠΡΤΤΑΝΙΝ. CΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ. ΔΙC. ΚΑΙ. ΙΕΡΕΙΑΝ. ΤΗC. ΜΑCCΑΛΙΑC. Repertus nempe hic lapis Phocaeae Ioniae, unde Massilienses Galliae, tanquam a metropoli sua, sacrorum antistitem feminam petebant, ut dixi in ejus populi numis. Insignem aliam sistit lapis Chandleri [e]), nempe: ΙΟΥΛΙΑΝ. ΤΙΤΟΥ. ΘΥΓΑΤΡΑ. ΒΕΡΕΝΙΚΗΝ. --- ΙΕΡΕΣΑΜΕΝΗΝ. ΤΗΣ. ΚΥΡΙΑΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. *Iuliam Titi F. Berenicen, sacerdotem dominae Dianae.* Trallibus Lydiae fuisse sacerdotem feminam, quae salutans Antoninum pium adhuc privatum non sine omine dixit: *ave imperator*, pro *ave proconsul*, refert Capitolinus in vita ejus imperatoris [f]).

a) Misc. p. 369. b) pag. 356. c) de leg. L. VI. n. 759. d) Misc. p. 349. n. 83. e) inscr. ant. p. 91. n. 5. f) sub init.

Digitized by Google

§. VII.

DE ASIARCHA.

Sacrum hunc magistratum jactant in moneta sua urbes populique sequentes, omnes provinciae Asiae proconsularis:

* * *

Cyzicus Mysiae: CTP. ATP. MЄIΔIOT. ACIAPXOT. Aliter legit Vaillantius, ut dixi in numis hujus urbis.

Hypaepa Lydiae: ЄΠI. AI. AΠIΩNOC. ACIAP. TO. B.

Ionum commune: KΛ. ΦPONTΩNOC. ACIAPXOT. KAI. APXIЄPЄΩC. Vide prolegomena ad numos Ioniae.

Laodicea Phrygiae: Λ. AIΛ. ΠIΓPHC. ACIAPXHC. Γ. Vide, quae de hoc numo in moneta hujus urbis monui.

Otrus Phrygiae: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ACIAPXHC. ANЄΘHKЄN.

Pergamus Mysiae: M. ΦOTPIOΣ. IEPETΣ. KAI. ΑΣIAPXHΣ. Verum in hoc numo verisimilius legendum IEPETΣ. ΓTMNAΣIAPXHΣAΣ., a me probatum fuit in hujus urbis moneta. — ЄΠI. CTPA. ΠOΛΛIΩNOC. AC. — ЄΠI. C. ATP. ΔAMA. ACIAPX.

Sardes Lydiae: ЄΠI. ΔOM. POTΦOT. ACIAPX. K. TIOT. T. ACI. APX. A. — In alio: ЄΠI. CTPA. KOP. OTЄTTHNIANOT. ACIAPX. Δ. Sed de lectione numi hujus et similium vide, quae in moneta hujus urbis monui. In alio: ЄΠI. COTΛ. ЄPMOΦIΛOT. ACIAPX.

Smyrna Ioniae: ЄΠI. TЄPTIOT. ACIAPXOT.

* * *

In Asiarcham, cujus non infrequens apud veteres mentio, ejusque munus commentati sunt philologorum non pauci, quos inter: Henricus Valesius [a]), Antonius Vandale [b]), Ioannes Masson [c]), Albertus Rubenius [d]), Ezechiel Spanhemius [e]), Siberius [f]), Le Boze [g]), Abbas Mazzolenus [h]), Seldenus [i]), Belleyus [k]).

Eruditi hi viri in judicanda hac causa sic sunt versati, ut tamen non pauca in medio relinquerent, quae lucem adhuc postulant, ut ex praesente meo commentario patebit.

---

a) ad Eusebii hist. L. IV. c. 15. b) Dissert. III. cap. III. c) Collect. hist. ad Aristidem ad ann. V. C. 818. §. 10. seq. d) de urbib. neocor. diatribe. e) de praest. num. T. II. p. 416. f) Dissert. ad Act. Apost. cap. XIX. v. 31. g) B. L. Tome XVII. p. 8. h) Animadvers. XI. de Asiarch. i) ad marm. Oxon. X. p. m. 184. k) B. L. Tome XVIII. Mem. p. 147.

Digitized by Google

ΑΣΙΑΡΧΗΣ ex vocabuli notione significat eum, *qui praeest Asiae*, nempe ei, quae olim ditio regum Pergamenorum, subinde Romanis subjecta, *proconsularis Asia* dici consuevit. Eodem exemplo aliarum quoque nationum habemus ex veterum monumentis praesides, ut: Lyciarchas, Bithyniarchas, Galatarchas, Syriarchas, Phoeniciarchas etc. Arabarchen, *Arabiae principem*, sed σατυρικως, habemus apud Iuvenalem [a]). Horum rectorum varia fuit varia aetate potentia. De Lyciis refert Strabo [b]), ab iis in civitatum conventu creatum Lyciarcham, deinde reliquos magistratus, ac tum actum de pacis et foederum negotio. Verum, ut continuo addit, valuit istud tantum, cum Lycia sui adhuc juris esset, nam sua aetate non amplius iis licuit agere conventus, nisi Romanorum permissu, et solum tum, cum istud e Romanorum re esset. At enim nunquam licuit Asiarchis causis se politicis miscere; nam ex quo Asia haec post victum Antiochum M. in unum corpus coaluit, paruit regibus Pergamenis, horum gente exstincta Romanis.

Asiarcha sacer tantum magistratus fuit, qui praeerat sacris, non quidem singularum civitatum, nam hae propria habuere sacra et ministros, sed quae constituta fuere totius provinciae nomine, et jam in hac, jam alia urbe peracta, quorsum convenit promiscua multitudo ad faciendos ludos in honorem deorum, qui apud se praecipui fuere, ac praecipue ad concipienda vota pro salute et aeternitate imperantium, qui quidem conventus non raro in numis memorantur inscripto ΚΟΙΝΟΝ. ΑΣΙΑΣ., de quo agetur capite de festis ac ludis, quorum adeo omnium moderator fuit Asiarcha. Fuit ergo Asiarchae munus verum sacerdotium, quod et disertis verbis comprobat Modestinus [c]): Εθνες ἱερωσυνη, οἱον Ἀσιαρχια, Βιθυναρχια, Καππαδοκαρχια. *Gentis sacerdotium, cujus modi sunt Asiarchia, Bithynarchia, Cappadocarchia.* Et sic etiam haec Asiarchia aliquoties in libris jurisconsultorum dicitur *Asiae sacerdotium*, vel *in Asia sacerdotium provinciae*, ut testatur Spanhemius [d]), vel, ut est in Basilicis [e]), οἱ ἱερεις ἐπαρχεων, τυτεσιν Ασιαρχαι και οἱ λοιποι. Eodem loco ait eruditus hic vir, Asiarchas dictos etiam fuisse ἀρχιερεις, probatque istud ope epistolae, qua Smyrnaei mortem S. Polycarpi apud se passi referunt, et in qua Philippus quidam jam Ασιαρχης, jam ἀρχιερευς dicitur. Sed argumentum istud non satis est validum; poterat enim idem Philippus, qui tum annuus fuit Asiarcha, eodem tempore esse ἀρχιερευς Smyrnae. Nam licuit Asiarchis alio praeterea munere fungi, ut infra dicetur. Sane discrimen inter utrumque titulum manifestat citatus supra Ionum numus, in quo Fronto dicitur Ασιαρχης και ἀρχιερευς, nempe sacerdos pu-

a) Sat. I. v. 130. b) L. XIV. p. m. 980. c) Leg. VI. §. 14. D. de excusat. d) l. c. p. 417. e) L. XXXVIII.

Digitized by Google

blicus gentis, et privatus Ionum. Diserte etiam inter utrumque munus distinguit marmor a Muratorio citatum [a]), quod Gajanum vocat ΑΡΧΙΕΡΕΑ. ΤΟΤ. ΚΟΙΝΟΤ. ΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ. CЄΒΑCΤΟΦΑΝΤΗΝ. κ. τ. λ.

Tamen verisimile est, cum quis generatim dicitur ἀρχιερευς της Ασιας, ut Iulius Cleon in numo Eumeniae Phrygiae, aut Scopelianus sophista apud Philostratum loco infra citando, tum intelligendum Asiarcham. At non perinde, cum quis dicitur ἀρχιερευς της Ασιας ναων των ἐν Περγαμῳ, ut M. Aurelius Diadochus in marmore Wheleri [b]), vel alibi: των ἐν Σμυρνῃ, vel: των ἐν Εφεσῳ, vel ut legitur apud Sponium [c]): των ἐν Λυδια Σαρδιανων; hi enim, ut conjicio, particulares tantum fuere pontifices, et praefecti templis, quae propter Κοινον Ασιας, quod per vices in his urbibus agi consuevit, exstructa fuere, conferentibus symbolam urbibus minoribus, ut colligo ex Dione Chrysostomo, qui sic Apamenses adloquitur [d]): και των μεν ἱερων της Ασιας μετεχιν ὑμιν, της δε δαπανης τοσουτον, ὁσον ἐκειναις ταις πολεσιν, ἐν αἱς ἐσι τα ἱερα. *et jus vobis est in Asiae templa, tantosque in ea sumptus facitis, quantos illae urbes, in quibus ea templa sunt.* Parum modestiam suam comprobavit Scipio Maffejus, dum Spanhemium, Vandalium, aliosque, qui in simili sententia fuere, ignaros gentilium theologiae ausus est vocare In his enim marmoribus, inquit, Asiae nomine non locus, ubi sacerdotio isti fungerentur, sed numen, cui ministrarent, significari, ita ut reddi debeat: *templorum* deae *Asiae pontificem.* Neque eo constitit criticus noster, verum etiam, cum legitur: ἀρχιερευς της πατριδος, intelligi vult *summum sacerdotem* deae *patriae.* Haec ille pluribus [e]). Vtinam vir bonus ex tot marmoribus et numis vel unicum dedisset exemplum, Asiam ab indigenis, quos constat in religionis suae negotio admodum fuisse loquaces, divinos honores abstulisse. Habemus praeter obvium in Asiae numis ΘЄΑ. ΡΩΜΗ. etiam ΘЄΑ. ΚΛΑΖΟΜЄΝΗ., tum et variarum urbium capita adscriptis nominibus, Asiae effigiem, nedum eum deae appellatione, nullam habemus. Iustius ergo nos Maffeji sententiam noviciam fastidiemus, quam ille nostram.

Ceterum jam licuit colligere, et patebit amplius, Asiarcham causa hujus muneris in magna fuisse auctoritate. Enimvero quemadmodum Romanis honorificum visum, si majores habuere consulares, sic et Graecis, si patres aut avos Asiarchas jactare poterant. Ejus testem primo habemus numum Sardianorum cum epigraphe: ЄΠΙ. ΔΟΜ. ΡΟΤΦΟΤ. ΑCΙΑΡΧ. Κ. ΤΙΟΤ. Τ. ΑCΙ. ΑΡΧ. Α. *sub Domitio Rufo Arsiarcha et filio Arsiarchae, Archonte primo;* deinde quod Philostratus, dum Scopeliani genus extollit, refert, et hunc fuisse Asiarcham, et prognatum a majoribus Asiarchis, quod testimonium mox integrum videbimus.

a) p. 630. 3. b) Voyage T. I. L. III. p. 211. c) Misc. p. 336. n. 99. d) Orat. 35. in Celaen. e) Ars crit. lapid. p. 138.

Digitized by Google

Fuisse Asiarcham annuum, numi docent et marmora. Vidimus supra Asiarchas B. Γ. Δ. id est: secunda, tertia, quarta vice. Ad marmora quod attinet, habemus apud Muratorium [a]) Iulianum TON. ΔIC. ACIAPXHN. Alius lapis apud eundem [b]) memorat Dionysium IEPOKHPTKA. KAI. B. AΣIAPXHN.

Fuerintne eodem tempore Asiarchae plures, copiose disputatum. Qui plures asseruere, sequentibus nituntur auctoritatibus. I. In Actis Apostolorum c. XIX. v. 31. plures memorantur uno tempore Asiarchae: Τινες δε και των Ασιαρχων, πεμψαντες προς αυτον, κ. τ. λ. *Quidam vero ex Asiarchis mittentes ad ipsum*, nempe D. Paulum, qui tum Ephesi concionabatur. II. Aristides rheter, posteaquam narrasset, oblatum sibi fuisse commune totius Asiae sacerdotium, (την κοινην της Ασιας ἱερωσυνην) id est: Asiarchiam, mox infra addit: και γινομαι τριτος ἡ τεταρτος την χειροτονιαν, *et tertio vel quarto loco sum electus* [c]), cum quo videtur consentire testimonium Dionis Chrysostomi, quod infra totum producam. Ergo, inquiunt, saltem quatuor simul fuere Asiarchae. III. Strabo jactans Trallensium Lydiae opes et copias, ejus esse argumentum adserit, quod ἀει τινες εἰσιν ἐξ αὐτων οἱ πρωτευοντες κατα την ἐπαρχιαν, ὡς Ασιαρχας καλουσιν, *semper aliqui sunt ex ipsis, qui primates sunt provinciae, quos Asiarchas vocant* [d]). Si semper, inquiunt, sunt aliqui, ergo plures. His motus rationibus Cl. Vandale cum aliis existimat, plures simul ac quidem diversis ex urbibus Asiarchas fuisse, unumque primum, seu qui aliis praesideret, ceteros adsessores aut socios, ac secundos, tertios, quartos etc. ordine συνεδριαν in eo collegio obtinuisse. Atqui diversos diversarum civitatum fuisse Asiarchas, eo probat, quod Smyrnaei, Pergameni, Sardiani, Hypaepeni, Cyziceni suos singuli in numis Asiarchas jactant; qua quidem in sententia fuisse etiam Muratorium video; nam ad verba marmoris sui: T. Φλ. Μυρατιος Φιλοσεβαστος ὁ γραμματευς και Ασιαρχης της πρωτης και μεγιστης μητροπολεως της Ασιας και Β. Νεωκορων Σεβαστων Εφεσιων πολεως, observat: *at hinc discimus, peculiarem suum Asiarcham fuisse Ephesinae reipublicae* [e]). At qui unum tantum eodem tempore Asiarcham statuunt, numero plurium Asiarcharum, quos in Actis memorat S. Lucas, comprehendunt etiam eos, qui Asiarchia functi jam sunt, et qui tum ex causa aliqua, v. g. ludorum, vel συνεδριας, una cum D. Paulo Ephesi adfuere. Quin et conjicit Cl. de Boze [f]), sacrum historicum nomine Ασιαρχων non intellexisse nostros sacerdotes Asiae, sed loquendo laxius, et in sensu popolari intellexisse revera principes, vel primores Asiae. Verba Strabonis et Aristidis fateor obscuriora sunt, quam ut iis major eorum numerus evidenter confici possit, ut revera a variis varie explicata sunt, sed cui causae inutile puto diutius immorari. Minime vero probatur, quod duce Cl. Vandale existimat Muratorius, Smyrnaeos, Ephesios, etc.

a) pag. 559. 3. b) pag. 184. c) Orat. IV. sacra sub fin. pag. m. 345. d) L. XIV. p. m. 960. e) pag. 184. 1. f) l. c. p. 10.

Digitized by Google

peculiarem suum habuisse Asiarcham. Nam si viri hi eruditi sic sentiunt propterea, quia in numis legitur v. g. ЄΠΙ. ΔΟΜ. ΡΟΤΦΟΤ. ΑCΙΑΡΧΟΤ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ., tanquam nimirum hic Rufus fuisset Asiarcha Sardianorum, nihil obstat, quo minus statuamus quoque, Nicaeenses peculiarem suum habuisse proconsulem, quia in horum numis legimus: ЕΠΙ. ΑΤΤΙΟΤ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΤ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Nimirum quemadmodum variae Bithyniae urbes proconsulem suum numis inscripsere, sic et variae Asiae urbes communem suum sacrorum magistratum Asiarcham. Deinde citatum Muratorii marmor sic explico, ut tantum vocabulum γραμματευς, qui ordinarius et proprius fuit Ephesi magistratus, ad Ephesiorum urbem referatur, et addatur Ασιαρχης, quia tum casu, qui scriba, etiam Asiarcha fuit. Ceterum difficile, scriptoribus similes peristases aut tantum in transcursu attingentibus, aut plane reticentibus, in hac causa verum reperire. Istud certum, nullum exstare monumentum, in quo quis diceretur ΑΣΙΑΡΧΗΣ. ΠΡΩΤΟΣ. vel A, quae quidem solita est collegii formula.

Potuisse Asiarcham eodem tempore munia alia, sive sacra, sive profana, obire, diserte ex praefixo numorum catalogo docemur, qui eundem Asiarcham simul praetorem, vel archontem, vel summum pontificem praedicant. In marmore Muratorii mox citato habemus T. Munatium simul scribam Ephesi, simul Asiarcham.

Pars hujus muneris fuit procuratio ludorum secundum plura veterum testimonia, quae ne longior sim, videre potes apud Mazzolenum [a]). Quare et Rufinus vocabulum Ασιαρχης, quod occurrit apud Eusebium [b]), vertit *munerarius*. Magnos igitur sumptus postulabat Asiarchia, nec nisi beatioribus ad eam obeundam aspirare licuit. Supra vidimus Strabonem Trallensium opulentiam eo comprobantem, quod semper eorum aliqui ad Asiarchiam sunt evecti. Philostratus de Scopeliano sophista [c]): *Αρχιερευς μεν γαρ ἐγενετο της Ασιας ἀυτος τε και οἱ προγονοι ἀυτω, παις ἐκ πατρος παντες. ὁ δε ςεφανος ὑτος πολυς, και ὑπερ πολλων χρηματων. Summus enim pontifex Asiae fuit ipse majoresque ejus, filio patri in eo officio succedente. Magna autem haec dignitas, magnisque impensis constat.* Quapropter factum, ut nemo hoc Asiae sacerdotium suscipere cogeretur, qui numero liberorum quinque subnixus esset, ut ex libris jurisconsultorum eruit Spanhemius [d]).

Claudam commentarium adducto insigni loco Dionis Chrysostomi ex oratione XXXV. Celaenis dicta, qui secundum Casauboni correctionem sic habet: *Αλλ' ὡς σοφως ὑμιν ἀποδεικνυουσι, τρεις η τετταρας, κομητας, καθαπερ τους ἱερεας των παρ' ἡμιν. Τους μακαριους λεγω, τους ἁπαντων ἀρχοντας των ἱερων, τους ἐπωνυμους των δυω ἡπειρων της ἑσπερας ὁλης. Ταυτα γαρ ἐςι τα ποιουντα και τυτους ἐυδαιμονας, ςεφανος, και πορφυρα, και παιδαριω κομωντα και λιβανωτον φεροντα. Sed quos vobis sapientes designant, tres vel quatuor, co-*

a) l. c. p. 236. b) L. IV. c. 14. c) Vit. soph. XXI. d) l. c. p. 417.

Digitized by Google

Fuisse Asiarcham annuum, numi docent et marmora. Vidimus supra Asiarchas B. Γ. Δ. id est: secunda, tertia, quarta vice. Ad marmora quod attinet, habemus apud Muratorium [a]) Iulianum TON. ΔIC. ACIAPXHN. Alius lapis apud eundem [b]) memorat Dionysium IEPOKHPTKA. KAI. B. ΑΣΙΑΡΧΗΝ.

Fuerintne eodem tempore Asiarchae plures, copiose disputatum. Qui plures asseruere, sequentibus nituntur auctoritatibus. I. In Actis Apostolorum c. XIX. v. 31. pluves memorantur uno tempore Asiarchae: Τινες δε και των Ασιαρχων, πεμψαντες προς αυτον, κ. τ. λ. *Quidam vero ex Asiarchis mittentes ad ipsum*, nempe D. Paulum, qui tum Ephesi concionabatur. II. Aristides rheter, posteaquam narrasset, oblatum sibi fuisse commune totius Asiae sacerdotium, (την κοινην της Ασιας ἱερωσυνην) id est: Asiarchiam, mox infra addit: και γινομαι τριτος ἡ τεταρτος τη χειροτονια, *et tertio vel quarto loco sum electus* [c]), cum quo videtur consentire testimonium Dionis Chrysostomi, quod infra totum producam. Ergo, inquiunt, saltem quatuor simul fuere Asiarchae. III. Strabo jactans Trallensium Lydiae opes et copias, ejus esse argumentum adserit, quod ἀει τινες εἰσιν ἐξ αὐτων οἱ πρωτευοντες κατα την ἐπαρχιαν, ὡς Ασιαρχας καλουσιν, *semper aliqui sunt ex ipsis, qui primates sunt provinciae, quos Asiarchas vocant* [d]). Si semper, inquiunt, sunt aliqui, ergo plures. His motus rationibus Cl. Vandale cum aliis existimat, plures simul ac quidem diversis ex urbibus Asiarchas fuisse, unumque primum, seu qui aliis praesideret, ceteros adsessores aut socios, ac secundos, tertios, quartos etc. ordine συνεδριαν in eo collegio obtinuisse. Atqui diversos diversarum civitatum fuisse Asiarchas, eo probat, quod Smyrnaei, Pergameni, Sardiani, Hypaepeni, Cyziceni suos singuli in numis Asiarchas jactant; qua quidem in sententia fuisse etiam Muratorium video; nam ad verba marmoris sui: T. Φλ. Μυατιος Φιλοσεβαστος ὁ γραμματευς και Ασιαρχης της πρωτης και μεγιστης μητροπολεως της Ασιας και Β. Νεωκορων Σεβαστων Εφεσιων πολεως, observat: *at hinc discimus, peculiarem suum Asiarcham fuisse Ephesinae reipublicae* [e]). At qui unum tantum eodem tempore Asiarcham statuunt, numero plurium Asiarcharum, quos in Actis memorat S. Lucas, comprehendunt etiam eos, qui Asiarchia functi jam sunt, et qui tum ex causa aliqua, v. g. ludorum, vel συνεδριας, una cum D. Paulo Ephesi adfuere. Quin et conjicit Cl. de Boze [f]), sacrum historicum nomine Ασιαρχων non intellexisse nostros sacerdotes Asiae, sed loquendo laxius, et in sensu popolari intellexisse revera principes, vel primores Asiae. Verba Strabonis et Aristidis fateor obscuriora sunt, quam ut iis major eorum numerus evidenter confici possit, ut revera a variis varie explicata sunt, sed cui causae inutile puto diutius immorari. Minime vero probatur, quod duce Cl. Vandale existimat Muratorius, Smyrnaeos, Ephesios, etc.

a) pag. 559. 3. b) pag. 184. c) Orat. IV. sacra sub fin. pag. m. 345. d) L. XIV. p. m. 960. e) pag. 184. 1. f) l. c. p. 10.

Digitized by Google

peculiarem suum habuisse Asiarcham. Nam si viri hi eruditi sic sentiunt propterea, quia in numis legitur v. g. ЄΠΙ. ΔΟΜ. ΡΟΤΦΟΤ. ΑCΙΑΡΧΟΤ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ., tanquam nimirum hic Rufus fuisset Asiarcha Sardianorum, nihil obstat, quo minus statuamus quoque, Nicaeenses peculiarem suum habuisse proconsulem, quia in horum numis legimus: ЕΠΙ. ΑΤΤΙΟΤ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΤ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Nimirum quemadmodum variae Bithyniae urbes proconsulem suum numis inscripsere, sic et variae Asiae urbes communem suum sacrorum magistratum Asiarcham. Deinde citatum Muratorii marmor sic explico, ut tantum vocabulum γραμματευς, qui ordinarius et proprius fuit Ephesi magistratus, ad Ephesiorum urbem referatur, et addatur Ασιαρχης, quia tum casu, qui scriba, etiam Asiarcha fuit. Ceterum difficile, scriptoribus similes peristases aut tantum in transcursu attingentibus, aut plane reticentibus, in hac causa verum reperire. Istud certum, nullum exstare monumentum, in quo quis diceretur ΑΣΙΑΡΧΗΣ. ΠΡΩΤΟΣ. vel A, quae quidem solita est collegii formula.

Potuisse Asiarcham eodem tempore munia alia, sive sacra, sive profana, obire, diserte ex praefixo numorum catalogo docemur, qui eundem Asiarcham simul praetorem, vel archontem, vel summum pontificem praedicant. In marmore Muratorii mox citato habemus T. Munatium simul scribam Ephesi, simul Asiarcham.

Pars hujus muneris fuit procuratio ludorum secundum plura veterum testimonia, quae ne longior sim, videre potes apud Mazzolenum [a]). Quare et Rufinus vocabulum Ασιαρχης, quod occurrit apud Eusebium [b]), vertit *munerarius*. Magnos igitur sumptus postulabat Asiarchia, nec nisi beatioribus ad eam obeundam aspirare licuit. Supra vidimus Strabonem Trallensium opulentiam eo comprobantem, quod semper eorum aliqui ad Asiarchiam sunt evecti. Philostratus de Scopeliano sophista [c]): Αρχιερευς μεν γαρ ἐγενετο της Ασιας ἀυτος τε και οἱ προγονοι ἀυτω, παις ἐκ πατρος παντες. ὁ δε ςεφανος ἀυτος πολυς, και ὑπερ πολλων χρηματων. *Summus enim pontifex Asiae fuit ipse majoresque ejus, filio patri in eo officio succedente. Magna autem haec dignitas, magnisque impensis constat.* Quapropter factum, ut nemo hoc Asiae sacerdotium suscipere cogeretur, qui numero liberorum quinque subnixus esset, ut ex libris jurisconsultorum eruit Spanhemius [d]).

Claudam commentarium adducto insigni loco Dionis Chrysostomi ex oratione XXXV. Celaenis dicta, qui secundum Casauboni correctionem sic habet: Αλλ' ὡς σοφους ὑμιν ἀποδεικνυουσι, τρεις η τετταρας, κομητας, καθαπερ τους ἱερεας των παρ' ἡμιν. Τους μακαριους λεγω, τους ἁπαντων ἀρχοντας των ἱερων, τους ἐπωνυμους των δυω ἠπειρων της ἑσπερας ὁλης. Ταυτα γαρ ἐςι τα ποιουντα και τυτους ἐυδαιμονας, ςεφανος, και πορφυρα, και παιδαριω κομωντα και λιβανωτον φεροντα. *Sed quos vobis sapientes designant, tres vel quatuor, co-*

a) l. c. p. 236. b) L. IV. c. 14. c) Vit. soph. XXI. d) l. c. p. 417.

Digitized by Google

matos, quales sunt sacerdotes ex illis, qui apud nos sunt. Beatos istos intelligo, omnium sacerdotum principes, qui ejusdem sunt nominis cum duabus terris continentibus totius occidentis. Haec enim sunt, quae hos beatos faciunt: corona, purpura, puelli comati et tus gestantes. Albertus Rubenius, qui in sua de urbibus neocoris diatribe hujus loci jam meminit, non dubitat, hac oratione Asiarchas notari, nimirum qui revera principes omnium sacerdotum in provincia fuere. At vero istud praedicari etiam potuit de ἀρχιερευσι, ut in his diximus. Magis Asiarchas probaret, quod sequitur: τυς ἐπωνυμυς etc. si verum erit, quod existimat Rubenius, sub duabus continentibus totius occidentis intelligendam provinciam Asiam, et si το ἐπωνυμυς hoc loco vere significat *ejusdem naminis*, capto nimirum Asiarcha ab Asia. Sed primum, hanc orationis partem satis esse ambiguam, facile patebit intuenti, deinde το ἐπωνυμυς hoc etiam loco potest significare magistratum, *qui anno nomen dat.* Atqui anno in aliquo saltem sensu nomen dare poterant non Asiarchae modo, sed omnis generis sacerdotos annui. Quod si revera Asiarchae indicantur, quod magis videtur probabile, eorum confirmatur sententia, qui plures uno Asiarchas eodem tempore fuisse statuerunt, et quidem tres vel quatuor, apposite ad citatam supra Aristidis orationem. Docemur item, eos gestasse coronam, et purpura fuisse indutos, quod utrumque cum stephanephoris fuisse commune, mox singulari articulo videbimus.

§. VIII.

DE STEPHANEPHORIS.

Hyrcania Lydiae: ЄΠ. CT. ΦPAT. ЄPMOГЄNOT. B. CTЄΦ.

Maeonia Lydiae: ЄΠI ATP. AΠ-ΦIANOT. TOT. AΘHNAIOT. APX. A. KAI. CTЄΦANHΦ.

* * *

Seldenus [a]), et Vandale [b]) operose collegerunt, quae veteres de sacro hoc magistratu memoriae prodidere, quorum ego eruditis curis pleraque, quae sequens diatribe complectitur, debere lubens profiteor.

Στεφανηφορος est, *qui coronam gestat*, atque in generali hoc sensu, στεφανηφοροι fuerunt sacerdotes omnes, et in genere omnes ii, qui sacrificia diis obtulere; nemo enim non coronatus ad peragendam rem divinam accessit At videbimus continuo, urbes nonnullas sacerdotibus suis stephanephororum no-

a) Ad marmor Oxon. II. b) Diss. V. cap. 1.

Digitized by Google

men dedisse, magnamque iis tributam auctoritatem, quin et titulum hunc veteris aevi ad seros posteros durasse. Teste Athenaeo [a]) Posis libro III. Magneticorum τον Θεμιστοκλεα φησιν εν Μαγνησιη ΤΗΝ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ ΑΡΧΗΝ ἀναλαβοντα θυσαι Αθηνᾳ, και την εορτην Παναθηναια ὀνομασαι, *Themistoclem inquit Magnesiae, cum stephanephori sumpsisset dignitatem, sacrificasse Palladi, et festum istud vocasse Panathenaea.* Ex quo apparet non modo muneris hujus vetustas, sed etiam, cum illud ἀρχην dicat, magistratus, sacri scilicet, rationem habuisse. Neque minus illustris alter ejusdem Athenaei locus [b]): Και Ταρσω δε Επικυρειος φιλοσοφος ετυραννησε, Λυσιας ὀνομα, ὁς ὑπο της πατριδος στεφανηφορος αιρεθεις, τουτ' εστιν, ἱερευς Ηρακλους, ουκ απεστιθετο την αρχην, ἀλλ' ἐξ ἱματιου τυραννος ἡν. *Et fuit Tarsi tyrannus philosophus Epicureus, nomine Lysias, qui a civibus suis creatus stephanephorus, id est, sacerdos Herculis, eo magistratu se non abdicavit, sed habitu ipso tyrannidem prae se tulit.* Hoc iteram testimonio stephanephorus instar magistratus proponitur, ac, quod praecipuum est, diserte, cujus fuerit rationis, explicatur, nimirum sacerdos Herculis. In lapide, quem Sponius Lampsaci vidit, legitur; ΤΟΥ. ΙΕΡΕΩΣ. ΤΩΝ. ϹΕΒΑϹΤΩΝ. ΚΑΙ. ϹΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΤΟΥ. ϹΤΜΠΑΝΤΟϹ. ΑΥΤΩΝ. ΟΙΚΟΥ. *Flamine Augustorum, et stephanephoro totius eorum domus* [c]). Communicatum cum feminis istud sacerdotium docet marmor Sponii. ΕΠΙ. ϹΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΚΟϹ-ΚΩΝΙΑϹ [d]) item aliud apud Chandlerum [e]).

Stephanephorum non fuisse perpetuum, sed temporarium, mox ex Athenaei Lysia vidimus, qui cum se abdicare hoc munere oporteret, illud per vim obire perrexit; quin fuisse annuum, certa habemus testimonia, ac primum quidem marmor a Patino editum, quod citat Vandale [f]) in cujus versu ultimo legitur: ΕΠΙ. ϹΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΑΙΛΙΟΥ. ΒΙΩΝΟϹ. ΜΗΝΟϹ. ΤΡΙΤΟΥ. *Sub stephanephoro Aelio Bione mense tertio.* Atque istud tanto magis verum, quod certa fide constat, fuisse stephanephorum in nonnullis civitatibus magistratum eponymum. De Smyrna istud adfirmat Philostratus, cum narrat de Heraclide sophista [g]): και την στεφανηφορον ἀρχην παρ' αὐτοις ἠρξεν, ἀφ' ἡς τοις ἐνιαυτοις τιθενται Σμυρναιοι τα ὀνοματα, *et stephanephori munus apud eos obivit, a quo annis Smyrnaei nomina imponunt,* quam quidem orationem audacius sic vertit Olearius: *magistratum quoque praeturae apud eos gessit, a quo annis etc.* nimirum in subjecta nota ad Smyrnaeorum numos provocans, qui passim strategum, sive praetorem tanquam magistratum eponymum memorant, ac praecipue ad notos illos Commodi numos Smyrnae cusos: ϹΤΡΑ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ. ΟΜΟΝΟΙΑ ϹΜΥΡ. ΛΑΚϹΔΑΙ. Nam cum nullus dubitet, Heraclidem horum numorum esse eundem cum Heraclide Philostrati, hunc vero ex numis constet fuisse Smyrnae praetorem, inde consequi existimat, Philostratum nomine στεφανηφορου ἀρχης

a) L. XII p. m. 533. b) L. VI. p. m. 215. B. c) Voyage T. III. p. 93. d) Misc. p. 353. e) Inscr. ant. p. 19. n. 54. f) l. c. p. 375. g) Vit. soph. L. II. c. 26. §. 2.

Digitized by Google

intelligere praeturam. At enim si vir eruditus Smyrnaeorum monumenta attentius pervolvisset, vidisset sane, in his non strategos solum, sed et proconsules eponymorum more propositos. Quin et in eximio foedere Smyrnaeorum cum Magnetibus, quod exhibet marmor Oxoniense II., Smyrnaeorum eponymus proditur non strategus, sed ἱερεὺς Ηγεσιας. Iam vero, sive Smyrnaeorum eponymus secundum marmor dicatur ἱερεὺς, sive secundum Philostratum στεφανηφορος, perinde haberi potest, cum ex hactenus dictis constet, στεφανηφορες fuisse ἱερεας, ut adeo Philostrati oratio suffragante hoc marmore eximie juvetur. Ad eponymos nostros stephonepheros ut revertamur, eos Magnesiae quoque Ioniae forte in eponymis habitos, docet idem marmor inter Oxoniensia II., de quo modo egimus, in quo legitur: ΕΠΙ. ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΠΥΘΟΔΩΡΟΥ. Ex quibus omnibus patet, stephanepheros eodem loco habitos, et eadem fuisse dignitate, qua vulgo in urbibus Graecis eminuisse omnis generis sacerdotes, quod et erant, passim legimus.

Quae alia stephanephori habuerint sibi propria, veterum monumenta non prodidere. Quo habitu in publicum processerint, describit Athenaeus loco, quem supra citavi. Erat nempe Lysias stephanephorus et tyrannus indutus tunicam purpuream albo distinctam, chlamydem sumptuosam, subjectis soleis albis Laconicis, redimitus corona laurea ex auro. Cur autem sacerdotes hi a coronae gestatione nomen traxerint, causam in promptu non habeo. Corona enim, ut diximus, sacerdotes omnes decuit, et Asiarchae quoque corona redimiti fuere, ut supra, cum de his agerem, ex Dione Chrysostomo indicavimus, et Flaminibus quoque Augustalibus in provinciis indultam fuisse coronam auream, diserte testatur Arrianus a).

§. IX.

DE PANEGYRIARCHIS, AGONOTHETIS, GYMNASIARCHIS.

Conjunxi tres hos magistratus, quia causa conjunguntur. Vt in marmoribus frequens eorum mentio, sic in numis rarior, ut patebit ex sequente elencho.

Panegyriarchae.

Apamea Phrygiae: ΠΑΤ. ΒΑΚΧΙΟΤ. ΠΑΝΗ. In alio: ΠΑΤ. CTPATONI-

a) ad Epictet. L. I. c. 19.

Digitized by Google

ΚΙΑΝΟΥ. ΠΑΝΗΓΥΡ. In alio: ΠΑΡΑ. ΑΥΡ. ΕΡΜΟΥ. ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΟΥ.

Agonothetae.

Apamea Phrygiae: ΕΠΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ. ΑΡΤΕΜΑ. Γ.

Perperene Mysiae: ΕΠΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤ. ΙΕΡΕΟΣ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩ. ΣΕΒ. ΓΛΥΚΩΝΟΣ. Β. ΔΗΜΕ. ΠΕΡΠΕΡΗ. nimirum ut perversam hanc epigraphen legere est in catalogo d'Ennery p. 408. Vide numos hujus urbis.

Gymnasiarcha.

Pergamus Mysiae: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. Vide de hoc numo varie lecto monetam hujus urbis.

* * *

PANEGYRIARCHAE dicti illi, qui panegyri praefuere. Significat autem πανηγυρις coetum promiscuae multitudinis ob quamcunque causam coactae. Sic panegyres dici poterant ludi per Graeciam celeberrimi Olympia, Pythia etc. et revera sic dicuntur in psephismate Byzantiorum apud Demosthenem [a]), ἀποστειλαι δε και δωρεας εις τας ἑντε Ελλαδι πανηγυρεις, Ισθμια, και Νεμεα κ. τ. λ. *mittere etiam dona ad conventus, qui sunt in Graecia, Isthmia, Nemea etc.* Valuit idem vocabulum ad coetus ordinarios. Cicero [b]): *res agebatur in circo Flaminio, et erat in eo ipso loco illo die nundinarum πανηγυρις.* Proinde ἀλληγορικως et valde apposite dictum de malis per agmina confluentibus: κακων πανηγυρις [c]). Graecis imperatorum aetate jam aliud nihil meditantibus quam festa et omnis generis ludos, obtentu quidem religionis, et in Caesares observantiae, revera ut otii fastidium levarent, nequaquam mirum, panegyres immensum fuisse auctas, ipsa eorum moneta, inscriptis tot, tamque varii argumenti ludis, earum frequentiam comprobante. Has ergo sacras panegyres qui supremo imperio moderabatur, jure dictus panegyriarcha. Vaillantius decurtata in numis supra descriptis vocabula ΠΑΝΗ. ΠΑΝΗΓΥΡ. explevit ΠΑΝΗΓΥΡΙΣΤΗΣ., adseruitque, qui panegyristae dignitate ornatus erat, deorum vel imperatorum laudes in publicis festorum et ludorum conventibus protulisse [d]). At enim jam satis comprobatum ab erudito Vandale [e]), et Cupero [f]), a Graecis scriptoribus eos dictos panegyristas, qui ad panegyres spectatum convenerant, non qui aliquo ibi munere fungerentur. Veram lectionem stabilit numus tertius, in quo plene scriptum ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΟΥ, et sic quoque in binis marmoribus: ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ. ΚΑΙ. ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ [g]), in alio: ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ. ΚΑΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ. ΤΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΩΝ [h]), in alio: ΤΟΝ. ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΟΝ. ΚΑΙ. ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΝ [i]).

* * *

AGONOTHETA cum panegyriarcha

a) de corona. p. m. 487. b) ad Attic. L. I. ep. 14. c) Erasm. adag. Chil. II. cent. X. §. 27. d) num. Graec. p. 316. e) Diss. VII. c. 2. p. m. 547. f) Lettr. de crit. p. 517. g) Gruter p. 1091. 4. h) Spon Voyage T. III. part. II. p. 129. i) Pocock Inscr. ant. p. 12.

Digitized by Google

penitus connectitur, nam et hunc fuisse ludorum moderatorem, nomen ipsum eloquitur. Magnae fuisse hoc munus dignitatis, eo potest intelligi, quod Hadrianus ipse Athenis pro agonotheta resedisse fertur [a]). Fuisse discrimen inter panegyriarcham et agonothetam, dubitari vix potest, nam in marmoribus mox citatis utrumque munus particula KAI satis distinguitur. Atque hoc admisso nequaquam dubitem, panegyriarcham dignitate praestitisse, sic ut ad hunc non sola ludorum procuratio pertineret, quae privatim agonothetae fuerit imposita, sed etiam sacrificiorum, victimarum, solennis pompae, forte et rei annonariae, paucis, quaecunque ad panegyreos splendorem et commoda facere poterant. Quanquam haec, quae modo dixi, vix possint ad omnes conventus valere; nam verisimile est, in civitatibus magis opulentis festisque magis conspicuis divisa inter plures fuisse munia, quae in civitatibus minoribus, conventibusque ordinariis uni fuerint demandata, sic ut parum referret, is, qui ludos moderabatur, essetne dicendus panegyriarcha, an agonotheta. Neque vero magnopere probaverim subtiles eas distinctiones agonothetae, agonarchae vel agonistarchae, athlothetae, quas extundere conatus est Vandalius, quae sane videntur fuisse vocabula ejusdem significationis a scriptoribus promiscue usurpata, quemadmodum illi, ut vel uno exemplo utar, proconsulem Romanum jam dixere ἀνθυπατον, jam στρατηγον, jam ἀρχοντα, jam ἡγεμονα. Vt agonothetae, sic fuere etiam agonothetides, de quibus, ut de universa hujus magistratus ratione, vide cl. Vandale [b]).

* * *

GYMNASIARCHA fuit, quod et nomen indicat, supremus gymnasii moderator. Fuisse hunc magistratum magnae vulgo existimationis, vel inde patet, quod M. Antonius IIIvir, totiusque orientis rector promiserit Tarsensibus, se apud eos gymnasiarchae munere functurum, eumque ipse per se vacare hoc munere non posset, Boethum quendam pro se ἀντιγυμνασιαρχον suffecerit receptis in se faciendorum sumptuum rationibus. Haec Strabo [c]). Quid quod et Titus Augustus in marmore Gruteri [d]) ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ. ΤΟ. Γ. et ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. dicitur. Et vero Aristoteles quoque gymnasiarchas inter urbium magistratus recenset [e]), et inter sacros quidem fuisse, apparet ex Demosthene [f]): ἐξεστι γαρ, ὁτι ταυτ' ἱερων ἐστιν ἁπαντα τα ἀναλωματα, αἱ χορηγιαι και αἱ γυμνασιαρχιαι. *Dicent enim, sumptus hos omnes, ut sunt choregiae et gymnasiarchiae, ad sacra pertinere.* Magistratus hujus non infrequens fit mentio in marmoribus. Ceterum quae alia ad gymnasiarcharum munus pertinent, non meum hic existimo latius exponere, et videri de hoc argumento possunt rei agonisticae scriptores.

Dixi in moneta Pergami, unicum hunc esse numum, qui certam gymnasiarchae mentionem offert. Habemus numos binos, in quibus legitur voca-

a) Spartian. in Hadrian. b) Diss. VII. c. 2.. c) L. XIV. p. m. 991. d) p. 173. 8. e) Politic. L. VI. c. 8. f) contra Leptinem p. m. 559.

Digitized by Google

bulum ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ, de quo quae mea sit sententia, vide in tractatu de ludis sub *Gymnasiarchia*.

Feminas etiam gymnasiarchae munere functas docet marmor apud Chandlerum [a]).

§. X.

DE THEOLOGO.

Sacri hujus muneris meminere numi sequentes:

Pergami Mysiae: ЄΠΙ. CTP. ΤΙΒ. ΚΛ. ΑΛЄΖΑΝΔΡΟΥ. ΘЄΟΛ. In alio: ЄΠΙ. CTP. ΓΑΤΚΩΝΟC. ΘЄΟΛΟΓΟΥ.

Aegarum Ciliciae: Μ. ЄΤΓ. Π. Θ. *M. Eugenes Pius theologus.*

* * *

Ipsum theologi nomen indicat hominem, qui explicandae rei divinae operam impendit, quales ut hodie, sic et olim fuere plurimi. Ad theologorum munus, cujus citati numi meminere, quod attinet, videntur ibi potissimum fuisse constituti, ubi oraculorum sedes fuit, quorum deinde ambigua petentibus explicarent. Theologos Delphicos habemus apud Plutarchum [b]), πλειςον δε της ἀληθειας διαμαρτανουσι οἱ Δελφων θεολογοι, *at longissime a vero aberrant Delphorum theologi.* At constat etiam, Pergamum et Aegas non Aesculapii modo cultu, sed et oraculis per somnium plerumque dictatis fuisse inclytas, quae vel maxime theologum interpretem requirunt. Sic et praestigiatorem Alexandrum, qui in Paphlagonia Glyconis sui nomine oracula dedit, theologi quoque opera usum, refert Lucianus [c]).

In numo altero elementum Θ videri explendum legendo Θεολογος, jam innui in moneta hujus urbis.

§. XI.

DE HIEROMNEMONE.

Ejus mentio fit in unico numo Byzantii Thraciae: ΙЄΡΟΜΝΑ. ΑΙΛΙ. CЄΟΤΗΡΟC. ΒΤΖΑΝΤΙΟΙC. secundum correctionem cl. Corsinii, ut dixi in moneta hujus urbis. Est L. Veri.

a) Inscr. ant. p. 19. n. 54. b) de defectu orac. c) in Pseudomant.

Digitized by Google

* * *

Hieromnemonum meminere omnes ii, qui de sacro Amphictyonum collegio scripsere. Secundum Suidam: *οἱ πεμπόμενοι εἰς το των Αμφικτυονων συνεδριον ἐξ ἑκαςης πολεως των τα συνεδρια μετεχουσων ὑτω καλονται, ii, qui missi sunt ad Amphictyonum concilium e singulis urbibus, quae ejus participes fuere, sic vocati sunt.* In eandem sententiam Hesychius, Harpocration, Vlpianus [a]), Scholiasta ad Aristophanis nubes [b]), aliique. Nimirum Pylagoris, qui a civitatibus ad concilium illud sive Delphos sive Pylas missi fuere, additus fuit hieromnemon tanquam legationis caput. Ejus mentionem facit marmor, insigne quidem, verum, sive unum idemque fuit, sive diversum, a variis varie ac mendose promulgatum, a Gratero bis [c]), a Reinesio [d]), paullo adcuratius a Muratorio [e]), quod sic primaevae integritati restituendum puto:

ΘΕΟΙC.
ΕΠΙ. ΑΡΙCΤΑΓΟΡΑ. ΑΡΧΟΝΤΟC.
ΕΝ. ΔΕΛΦΟΙC. ΠΥΛΑΙΑC. ΗΡΙΝΗC.
ΙΕΡΟΜΝΗΜΟΝΟC. ΤΩΝ. ΑΙΤΩΛΩΝ. ΠΟΛΕΜΑΡΧΟΥ.
ΑΛΕΞΑΜΕΝΟΥC. ΔΑΜΩΝΟC.

Deis. Aristagora archonte Delphis, Pylaeae synodi *vernae hieromnemone polemarcho Aetolorum Alexamene Damonis F.* Nempe Amphictyonum collegio bis per annum coacto, et quidem Delphis, et apud Pylas, seu Thermopylas, unum ἐαρινον, *vernum*, alterum μετοπωριον, *autumnale* dictum est, cujus quoque testem habemus Demosthenem [f]): Επι ἱερεως Κλεισαγορα ἐαρινης Πυλαιας ἐδοξε τοις πυλαγορεαις και τοις συνεδροις των Αμφικτυονων κ. τ. λ. *Pontifice Clinagora* synodi *vernae Pylaeae, placuit Pylagoris et concilio Amphictyonum etc.* Vnde verisimile mihi principio visum, pro HPINHC. in marmore legendum ЄAPINHC., verum probat cl. Vandale citato Aristophane, etiam ἠρινος dictum pro ἐαρινος. Vide ibi plura, quae ad hujus marmoris explicatum faciunt [g]). Ejusdem rationis sunt hieromnemones expressi in lapide Delphico, quod protulit Muratorius inscriptum Latine, in quo legitur: 'SENTENTIA. HIEROMNEMONVM, CVM. HIEROMNEMONVM. IVDICIO. etc. [h]). Sed justo longior fui in explicando hieromnemone, qui nostri argumenti non est. Vide de hoc plura apud Vandale [i]) et Humphridum Prideaux [k]).

Agimus hoc loco de hieromnemone, quem nonnullas urbes magistratus loco habuisse, ex certis monumentis constat. In praesente Byzantii numo legitur ΙЄΡΟΜΝΑμων Aelius Severus, nempe Dorice pro ΙЄΡΟΜΝΗμων, qua dialecto usos Byzantios vulgo notum. Neque solum hoc est monumentum, quod nobis ejus populi hieromnemonem edisserat. Iam Demosthenis aetate hic ibi magistratus valuit, nam recitatum ab eo Byzantiorum decretum sic incipit: Επι ἱερομναμονος Βοσπορεχω, *Hieromne-*

a) In orat. contra. Timocr. p. m. 823. b) v. 624. c) pag. 129. 15. et 1021. 7. d) Class. I. n. 241. e) pag. 570. 3. f) de corona. g) Dissert. VI. cap. 2. h) pag. 598. i) l. c. k) Marm. Oxon. p. 364.

Digitized by Google

mone Bosporicho a). Addo memoratum a Polybio Byzantiorum ἱερομνημονευτὰ Cothonem, quo tempore hi cum Prusia Bithyniae rege bellum gessere b). In alia adhuc civitate eundem magistratum proditum reperio, Chalcedone Bithyniae Byzantio vicina, et ab hac urbe angusto freto dirempta, in cujus ruderibus repertum marmor sic inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΠΡΟΜΑΘΙΩΝ. ΘΕΟΔΟΤΟΥ. ΙΕΡΟΜΝΑΜΩΝ. ΕΡ· ΜΑΙΟΣ. ΕΡΜΑΙΟΥ. κ. τ. λ. c). Constat, plura alia fuisse Chalcedoni cum Byzantio communia.

Cuivis facile patebit, alteros hos hieromnemones alius fuisse generis, quam quos priore loco nominavimus; neque enim Byzantium et Chalcedon fuere in earum civitatium numero, quibus permissum legatos suo nomine ad Amphictyonum concilium mittere. Vtbiei hujus magistratus etsi disertam apud veteres mentionem non reperiam, tamen vel ab ipso nomine facile colligitur, fuisse e sacris unum, et si ab etymo velimus augurium capere, ejus erat commonere, et in memoriam revocare, quae a majoribus in religionis causa constituta sunt, et quo pacto ejus caerimoniae obeundae sint, interpretari, eodem modo, quo secundum Hesychium ἱεροφαντης fuit μυσαγωγος, ἱερευς τα μυστηρια δεικνυων, id est: *sacerdos mysteria repraesentans.* Fuit ergo hieromnemon Byzantii et Chalcedone idem, qui alibi simpliciter ἱερευς est dictus, alio tantum peculiari nomine huic sacerdotio indito, quemadmodum variarum urbium summos sacerdotes fuisse dictos stephanephoros, et Syracusis quidem amphipolos, alibi diximus.

§. XII.

DE AMPHICTYONIBVS.

Celeberrimi in tota Graecia Amphictyonum concilii unicus meminit Delphorum Phocidis numus autonomus, de quo vide, quae in ejus urbis moneta ad hunc numum adnotavi.

---

a) Orat. de corona. b) Hist. L. IV. c. 52. c) Caylus Ant. T. II. p. 170.

Digitized by Google

§. XIII.

DE CVRATORIBVS, qui in numis: ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙ, ΕΠΙΣΤΑΤΑΙ.

Ἐπιμελητὰς duae tantum urbes, eaeque in Caria sitae, memorant.

* * *

Antiochia Cariae: ΕΠΙΜΕΛΗ. ΚΛ. ΑΓΛΑΟΥ. vel: ΤΙ. ΚΛ. ΑΓΛΑΟΥ. ΕΠΙΜΕΛΗCΑΝΤΟC.

Stratonicea Cariae: ΕΠΙΜΕΛΗ. ΤΙ. - - ΑΡΙCΤΕΑ.

Vtrosque numos uberius descriptos vide in singularum urbium moneta.

* * *

Erant Ἐπιμεληταὶ Graecis, quod Latinis *curatores*. Plato in civitate sua constituit viarum, habitationum, portuum, fori, fontium, templorum et sacrorum ἐπιμελητὰς [a]). Eodem exemplo Aristoteles toto capite VIII. libri VI. de republica longum ἐπιμελητῶν catalogum conscripsit, quorum fidei civitatium salus, religio, securitas, rectus ordo, abundantia, ornamenta committerentur. Quae hi legis modo sanxerunt, ea per urbes Graecas reipsa constituta docent marmora et scriptores. ΕΠΙΜΕΛΗΤΗC. ΤΗC. ΠΟΛΕΩC. habetur apud Sponium [b]). Adde ἐπιμελητὰς regionum, tum et regum, nempe horum tutores, quorum exempla dat Spanhemius [c]). Ἐπιμεληταὶ ludorum exstant in marmore Atheniensi apud Chandlerum [d]), ἐπιμελητὴς εὐθηνίας, *procurator annonae* [e]), ἐπιμελητὴς ὁδῶν, *curator viarum* [f]). Idem vocabulum saepe in marmoribus adhibitum tum, cum summi etiam magistratus opus aliquod procurabant, cujus copiosa exempla sunt vel apud unum Sponium in Miscellaneis. Sic: ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟC. ΤΟΥ. CΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΤΗC. ΠΟΛΕΩC. ΑΡΙCΤΟΝΟC. *curante praetore urbis Aristone* [g]). ΤΗC. ΑΝΑΓΡΑΦΗC. ΕΠΙΜΕΛΗΤΗC. ΑΙCΧΙΝΗC. ΦΙΛΩΝΟC. ΤΑΜΙΑC. *epigrammatis* (seu scribendi psephismatis) *curatoris Aeschines Philonis F. quaestor* [h]). ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟC. ΤΗC. ΑΝΑCΤΑCΕΩC. ΠΟΜΠΗΙΟΥ. ΛΑΤΡΙΟΥ. ΤΟΥ. ΠΡΩΤΟΥ. CΤΡΑΤΗΓΟΥ. *curante erectionem* (statuae) *Pompejo Latrio primo praetore* [i]). ΤΗΝ. ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΝ. ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΑΝΑCΤΑCΙΝ. ΠΟΙΗCΑΜΕΝΩΝ. ΑΡΧΟΝΤΩΝ. κ. τ. λ. *praefectis faciendae et erigendae* statuae *archontibus etc.* [k]) quorum sensum optime explicat epigramma sequens: την προνοιαν της παρασκεβης (sic) και της ἀναςασεως τω ἀνδριαν-

a) De legib. L. VI. p. 758. b) Misc. p. 319. n. 6. c) T. I. p. 715. d) inscr. ant. p. 48. e) ibid. p. 81. f) ibid. p. 92. g) pag. 327. h) pag. 336. i) pag. 340. k) pag. 341.

Digitized by Google

τος ποιησαμενη τη πρωτη ἀρχοντος κ. τ. λ. *curante opus et erectionem statuae primo archonte etc.* [a]). Legimus etiam: ὑπο την ἐπιμελειαν Ιουλιου Κανδιτου του κρατιστου ἀνθυπατου ϛρατηγουντος Αισχιωνος, *curante Iulio Candito potentissimo proconsule, praetore Aeschione* [b]).

Quae fuerit provincia his Cariae urbium ἐπιμελητειαις imposita, numi dissimulant.

* * *

Commode Επιμελητη jungimus Επιϛατην, qui *curatorem* quoque significat, quo nomine et magistratus fuere, de quibus copiose Suidas, et latius ex recentioribus Spanhemius [c]). In unico numo, et quidem Pergami, memoratur, quam vide.

§. XIV.

DE SOPHISTIS.

Articulus hic eos complectitur, qui sophistarum institutum secuti sunt, et tales sese in numis profitentur. Eorum nomina praedicant urbes sequentes:

Cidyessus Phrygiae: ЄΠ. AP. OTAPOT. COΦICTOT. ut legit Vaillantius; aliter Belleyus nempe ΛOΓICTOT. Vide numos hujus urbis.

Laodicea Phrygiae, et *Smyrna Ioniae:* ATTAΛOC. COΦICTHC. TAIC. ΠATPICI. CMTP. ΛAO.

Smyrna Ioniae praeter praecedentem: ЄΠI. KΛ. ΠPOKΛOT. COΦICTOT. In alio: CTPA. KΛ. PΘTΦINOT. COΦI.

* * *

Sophista secundum Suidam est πας τεχνιτης, *omnis artifex.* Causam addit Hesychius, quia veteres πασαν τεχνην σοφιαν ἐλεγον, *omnem artem sapientiam dixerunt.* Praecipue vero sic dicti ii, qui artem callebant hominibus sive propter utilitatem, sive voluptatem gratam acceptamque, quales fuere medicina, musica, poesis. Transivit appellatio ad indicandum virum gravem et sapientem, et constat, omnium primum Solonem dictum sophistam. Denique obtinuit usus, ut sic dicerentur, qui aut eloquentiae praecepta darent, aut eam publice dicendo ad populum comprobarent. Tales florentibus Graeciae rebus fuere Gorgias Leontinus, Prodicus Ceus, Protagoras Abderites, Hippias Eleus, aliique, imperatorum deinde aetate, Dio Chrysostomus, Aristides, Themistius, quorum supersunt orationes, tum et copiosi alii, quorum vitas conscripsit Philostratus. Atque in hoc fere stetit distinctio philosophi et sophistae, quod hic philosophiae studium cum eloquentia conjunxit,

a) ibid. b) pag. 318. c) T. I. p. 715.

Digitized by Google

quamvis non raro utrumque nomen promiscue fuerit usurpatum.

Magnum sine dubio fuit omni aevo sophistarum nomen, magnique iis vulgo constituti honores et praemia, quod orationis suavitate nossent mulcere animos audientium, et quidquid vellent, persuadere. Sane hujus causa aureus in templo Delphico stetit Gorgias, alii laudati publice honorificis civitatum decretis, constitutum etiam ab imperatoribus, ut qui viginti annos cum laude docuerint, maximis honoribus et dignitatibus perfruantur. Et vero non paucos ad summa evectos, variis exemplis comprobat Philostratus, inter quae praecipuum Herodes Atticus bis ad consulatum evectus, tum et Dio Chrysostomus a Trajano in currum, quo ipse vehebatur, admissus. (Suidas sub Διων. Photius Cod. 209.) Inter privilegia iis conferri solita praecipuum fuit vacatio munerum, nimirum ne causis publicis distracti detrahere liberalibus suis studiis cogerentur. Ejus illustre exemplum suppeditat marmor, quod est inter Oxoniensia CLXXIX., quodque, cum praesens argumentum eximie illustret, totum huc referendum visum: Οι θειοτατοι Αυτοκρατορες Σευηρος και Αντωνεινος τοις Σμυρναιοις. Ει Κλαυδιος Ρυφινος ὁ πολειτης ὑμων, ὁ δια την προαιρεσιν, ἡ συνεζιν ἐπι παιδειᾳ, και τον ἐν λογοις συνεχη βιον, την προκειμενην τοις σοφιζαις κατα τας θειας των προγονων ἡμων διαταξεις ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΤΩΝ ΛΕΙΤΟΤΡΓΙΩΝ καρπουμενος, ὑμων ἀυτον ἑκουσιῳ αναγκῃ προκαλουμενων, ὑφεζη την ζρατηγιαν κατο το προς την πατριδα φιλτρον, την γνω ἐις τα αλλα μενειν ἀπραγμοσυνην ἀκεινητον ἀυτῳ δικαιοτατον ἐζιν. Ου γαρ ἀξιον τῳ ἀνδρι την ἐις ὑμας φιλοτειμιαν γενεσθαι ζημιαν, και μαλιζα ταυτην ὑμων ἀιτιωντων ὑπερ ἀυτη την χαριν. Ευτυχειτε. Επρεσβευον Αυρ. Αντωνεινος και Αιλιος Σπηρατος. *Divinissimi imperatores Severus et Antoninus Smyrnaeis: Si Claudius Rufinus civis vester, qui, ob professionem studiorum et assiduam in eloquentia vitam, proposita sophistis secundum divinas majorum nostrorum constitutiones VACATIONE MVNERVM fruitur, vobis eum sponte ac necessario compellantibus, praeturam pro suo in patriam amore suscepit, justissimum est, otium illi quoad alia immotum permitti. Neque enim decet, viro suam in vos observantiam detrimento esse, praecipue vobis hanc pro eo gratiam postulantibus. Valete. Legati fuerunt Aur. Antoninus et Aelius Speratus.* En vacationem munerum sophistis jam ante Severum ab imperatoribus litteris publicis concessam, et ab hoc confirmatam, quin et praeclare cum hoc decreto conspirantem citatum supra Smyrnaeorum numum cum epigraphe: ЄΠΙ ϹΤΡΑτηγω ΚΛαυδιω ΡΟΥΦΙΝΟΥ. ϹΟΦΙϛΤΗ, in cujus altera facie Severus, Caracalla, Geta sedentes proponuntur. Alia hujus ἀτελειας exempla offert Philostratus in vita Favorini et Heraclidae.

Hactenus sophistarum merita et honores peregimus, jam et vitia et contemptum commemoremus. Operae pretium puto, ex Plutarcho sophistarum ortum primum, deinde et aliquatenus progressum referre. Agens ille de Mnesiphilo [a]), *fuit hic*, inquit, *non orator*,

a) in Themistocle cap. 2.

Digitized by Google

neque ex secta philosophorum, quos physicos nominant, verum eam, quam sapientiam vocabant, quae scientia fuit reip. gerendae, et prudentia negotiosa, amplexus est, et tenuit velut sectam ex successione Solonis, quam ii, qui deinde secuti sunt, cum artibus confuderunt forensibus, et exercitationem a rebus agendis ad artem oratoriam transtulerunt, unde et sophistae dicti sunt. Quo ex testimonio jam multo clarius videmus, artem sophisticam, quae primum, ut jam supra innui, in rep. tractanda versabatur, in artem forensem cum eloquentia conjunctam fuisse immutatam. Iam vero tum male coepit audire, cum comperti essent, qui eam profitebantur, oratione fucata et subdola, omnibusque, quae animos abripiunt, lenociniis instructa veritati vim adferre, unde orta in eos dicteria: τον ἡττω λογον κρειττω ποιειν, τα μικρα μεγαλα, τα δε μεγαλα μικρα ποιειν, etc. *quod nefas est, in speciem justi exornare, augere parva, magna minuere etc.* eorumque ars passim diceretur κακοτεχνια, ματαιοτεχνια, κλεπτικη, ψευδοπαιδια, et eorum sermones, *nodi, retia, laquei, labyrinthi*, tum et ἐριστικοι, sive *contentiosi*, atque in hoc sensu Hesychio recte dictus sophista ἀπατεων, διδασκαλος πανουργος, *veteratar, doctor vafer*, ac propterea id hominum genus saepe totis regnis, provinciis, civitatibus pulsum. Contemptum vero etiam promeriti sunt, quod, cum maxime ostentare ingenium suum vellent, argumenta ad disputandum frivola arripuere, et jure adeo de iis dixerit Aelianus [a]), ὐδεν ὑγιες ἐντας, ὐδε τι σπουδαιον ἡ ἐιδοτας, ἡ λεγοντας, *nihil in iis sanum inesse, et qui nec scirent, neque docerent quidquam operae pretium.* Scitum vero, ac multo lepidissimum est illud Dionis Chrysostomi, qui, dum hominem sophistam non differre a libidinoso eunucho dixit, causam addit: ὁτι των ἐυνουχων φασιν οἱ ἀσελγεστατοι ἀνδρες ἐιναι και ἐραν των γυναικων, και συγκαθευδουσιν ἀυταις και ἐνοχλουσι, γιγνεται δ' ὐδεν πλεον, ὐδ' ἀν τας τε νυκτας και τας ἡμερας συνωσιν ἀυταις, atque eodem modo prosequitur, multos sophistas ad senium pervenisse adhuc indoctos etc. [b]). Auxit indignationem, quod, cum virtutem docerent, vitia sectarentur. Iam de sui aevi sophistis Philo [c]): τι γαρ ὀφελος λεγειν μεν τα βελτιστα, διανοεισθαι δε και πραττειν τα αἰσχιστα; Σοφιστων ὐτος ὁ τροπος. *Quid enim prodest dicere optima, sentire autem et agere turpissima? Mos hic est sophistarum.* Alibi eos plane abjicit, cum ait [d]): *eandem rationem habere sophistam ad sapientem,* (σοφιστην προς σοφον) *quam habet infans ad virum perfectum.* Ceterum quae hucusque dixi, lacinia tantum sunt ampli, et eruditi sane tractatus, quem de sophistis in suo Theatro veterum rhetorum exhibuit celeberrimus Ludovicus Cresollius, quod insertum est Tomo X. antiquitatum Graecarum Gronovii, atque unde me partem eorum, quae modo enarravi, hausisse lubens profiteor.

Ad numos nostri argumenti ut revertar, habemus in his Attalum sophistam, quem ex Philostrato constat fuisse Polemonis sophistae filium, et Hermocra-

a) Var. hist. L. II. c. 13. b) Orat. IV. p. 64. c) de Posterit. Caini. d) de verbis Resipuit Noe.

Digitized by Google

tis sophistae patrem a), atque ut praeterea numi enunciant, patria simul Laodicensem, simul Smyrnaeum, quod explicavimus in moneta Laodiceae Phrygiae. De Claudio Rufino supra egimus. Reliqui minus extra numos cogniti, ut alias diximus. Observandum praeterea, plerosque hos sophistas nos Smyrnaeorum monetae debere; at constat etiam ex Philostrato b) Smyrnam prae ceteris civitatibus sophistarum Musis litasse. Denique necesse non puto monere, hos viros nequaquam numis illatos, quod sophistae essent, sed quod praeter sophistarum institutum, cui sese applicuere, urbis magistratus fuerunt.

SECTIO II.

MAGISTRATVS ROMANI.

§. I.

DE ORDINIBVS ROMANORVM.

Quae nomine intelligo senatum populumque Romanum, tum et equestris ordinis viros in provincialibus numis memoratos.

Pronum erat, Romam orbis dominam sive causa obsequii, sive assentandi studio in numis subjectorum populorum argumentum fuisse non infrequens. Et testantur istud numi magno numero superstites, inscripti ΡΩΜΗ vel ΘΕΑ. ΡΩΜΗ, vel, ut legitur in numis coloniae Corinthi: ROMAE. ET. IMPERIO, cum ejus protome, aut stantis sedentisve effigie, praecipue ex quo miranda haec urbs, et divinae credita prosapiae, per omnes imperii provincias aris ac templis coepit observari. Par etiam honor tributus senatui populoque Romano, quorum mentio in exterarum gentium moneta hoc modo peragitur.

CTNKΛHTOC. vel IЄPA. CTNKΛHTOC. vel IЄPAN. CTKΛHTON. vel ΘЄON. CTNKΛHTON. *Senatus*, *sanctus senatus*, *deus senatus*. Pingitur capite juvenili nudo, vel laureato, vel diademato, at capite muliebri velato in numis Nysae Cariae. In numo Cydoniae Cretae caput barbatum velatum.

a) in vita Hermocratis. b) in vita Heraclidis.

Digitized by Google

ΔΗΜΟΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. *Populus Romanorum.* Vir togatus stans d. hastam, s. cornucopiae, in numis Alexandrinis Neronis.

Vtrumque ordinem in eodem numo offert numus Synnadensium Phrygiae, in cujus una parte ΙϹΡΑΝ. ϹΤΝΚΛΗΤΟΝ. Caput juvenile diadematum, in altera: ΔΗΜΟΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Vir togatus stans d. pateram. Vide numos hujus urbis. In alio apud Liebe a), quem is Damasco Coelesyriae tribuit, in una parte: ΔΗΜΟϹ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Caput juvenile nudum, in alia: ΙϹΡΑ. ϹΤΝ. ΚΛΗΤΟϹ. Mulier laureata sedens d. globum. In numo coloniae Corinthi: SENATV. P. Q. R. Caput senatus velatum.

* * *

Nomine ΣΤΓΚΛΗΤΟΥ, aut, ut in numis marmoribusque constanter scribi video, ΣΤΝΚΛΗΤΟΥ, certum est, intelligendum senatum Romanum, neque reperi hactenus in utroque hoc monumentorum veterum genere exemplum certum, quo doceremur, hoc nomine unquam intellectum senatum urbium Graecarum, qui Βουλη, vel Γερουσια fere tantum dici consuevit. Testes primum adhibeo numos, deinde marmora. In uno eodemque numo Smyrnae conjunguntur ϹΕΒΑϹΤΗ. ϹΤΝΚΛΗΤΟϹ. ϹΕΒΑϹΤΟϹ. ΤΙΒΕΡΙΟϹ. *Augusta*, nempe Iulia Tiberii mater, *Senatus*, et *Augustus Tiberius*. Iam vero in hac epigraphe nomine ϹΤΝΚΛΗΤΟϹ. indicari senatum Romanum, ex eo patet, quod docente historia decrevere Asiae urbes templum Tiberio, matrique ejus ac senatui, ut ad hunc numum in moneta Smyrnae latius dixi. Legimus in parte adversa numi Cydoniae Cretae: ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. in aversa: ΣΤΝΚΛΗΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. nimirum, *Tiberio Caesari Augusto, et Senatui Cretenses* hunc numum dedicant. Praeterquam quod verisimile non est, Cretenses suo ipsorum senatui dedicasse monetam, constat etiam ex numis, hunc populum sub primis imperatoribus in observandis Romanis fuisse adsiduum, de quo vide numos Cretensium in genere. In citato mox Synnadensium Phrygiae legitur: ΙϹΡΑΝ. ϹΤΝΚΛΗΤΟΝ. et in altera parte: ΔΗΜΟΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Cum vocabulum ΔΗΜΟΣ significaverit quemcumque populum, non Romanum solum, sed omnium civitatum, ad tollendum ambiguum recte additum ΡΩΜΑΙΩΝ. Quod si ϹΤΝΚΛΗΤΟϹ. significasset etiam qualemcunque senatum, non Romanum solum, ex eadem causa scribendum etiam fuisset ΙϹΡΑΝ. ϹΤΝΚΛΗΤΟΝ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Quae quidem sententia eo etiam confirmatur, quod epigraphe ϹΤΝΚΛΗΤΟϹ., ΙϹΡΑ. ϹΤΝΚΛΗΤΟϹ., ΘϹΟϹ. ϹΤΝΚΛΗΤΟϹ. saepissime in numis Asiae proconsularis, rarius in aliarum provinciarum moneta reperitur. Haec enim provincia ex Augusti voluntate permissa fuit senatui populoque Romano, et ut in moneta Smyrnae observavimus, senatui Romano tanquam deo templum decrevit, et Smyrnae erexit. Alteri, ut dixi, testes marmora, ex quibus una Oxoniensia sufficiant. In uno eodemque, quod est ordine IV., scriptum est: Η. ΚΡΑΤΙϹΤΗ.

a) Goth. num. p. 330.

Digitized by Google

ΒΟΥΛΗ. CMΥΡΝΑΙΩΝ.---- ΚΑΤΑ. ΤΑ. ΔΟΓΜΑΤΑ. ΤΗC. ΙЄΡΟΤΑΤΗC. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. *Potentissimus senatus Smyrnaeorum - - - secundum consulta sanctissimi senatus*, sc. Romani. Similia lege in marmoribus continuis V. et VI. In marmore X. iterum Smyrnaeo legitur: ΔЄΥΤЄΡΟΝ. ΔΟΓΜΑ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ., *alterum senatus consultum*, quo iterum neocori facti sunt Smyrnaei. Contra in marmore Gortynae Cretae apud Gruterum [a]: ΔΟΓΜΑΤΙ. ΤΗΣ. ΛΑΜΠΡΑΣ. ΓΟΡΤΥΝΙ. ΒΟΥΛΗΣ. *consulto illustris senatus Gortyniorum.* In Decreto Sardianorum, quod recitat Iosephus [b]: nomine συγκλητου semper senatus R., nomine βουλης semper senatus Sardianorum intelligitur. Vni ergo Romanorum senatui permissum fuit a Graecis Συγκλητου nomen, saltem quod ex numis et marmoribus constet; non enim negavero, posse forte reperiri exempla, quibus probare quis possit, etiam Graecae urbis senatum a scriptoribus nonnunquam dictum Συγκλητον. Ejus quidem bina obtulit Spanhemius [c], sed parum, ut opinor, valida, et quae nunc sive refutare, sive explicare non vacat. Interim certum etiam, non negatum senatui Romano Βουλης nomen. Suidas: Βουλη, *ταξις παρα Ρωμαιοις., ordo apud Romanos.*, nempe senatorius. In marmore Oxoniensi CLXXXII. dicitur Antoninus Pius ΑΝЄΝЄΓΚΩΝ. ЄΙC. ΤΗΝ. ΒΟΥΛΗΝ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. ΔΟΓΜΑΤΙ. *referens ad senatum senatus consulto.* Atqui et nomine Βουλης et Συγκλητου hic intelligendum senatum Romanum, perspicuum erit totum illud epigramma legenti. Ceterum his, quae modo disputavimus, istud tantum evincere fuit propositum, nomine Συγκλητου semper indicari senatum Romanum, et nomen Βουλης, si pauca exempla demas, senatui urbium Graecarum reservatum, cujus credo causa discriminis Plinius junior, etsi Latine scribens, non dubitavit vocabulo Graeco βουλη uti, cum Graecorum senatum vellet intelligi: *Qui*, inquit, *virilem togam sumunt, - - - solent totam* bulen, *atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare* [d].

* * *

Equestris ordinis viri, dicti ΙΠΠΙΚΟΙ memorantur in graecorum numis. En horum seriem:

Cotiaeum Phrygiae: ЄΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΤΙΟΥ. ΙΠΠ. ΑΡΧ. In alio: ЄΠΙ. Π. ΑΙΛ. ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟΥ. ΙΠΠΙΚ. (in aliis ΙΠΠΙ.) ΑΡΧ.

Gordus Iulia Lydiae: ЄΠΙ. ΑΤΡ. ΑΙΛ - - - - ΙΠΠΙΚΟΥ. ΑΡΧ.

Smyrna Ioniae: ЄΠΙ. CΤΡΑΤ. Μ. ΑΤΡ. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚΟΥ. In alio: ЄΠΙ. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚ.

* * *

Vocabulum ΙΠΠ. vel ΙΠΠΙΚΟΥ. in his numis occurrens non video hactenus ab artis nostrae magistris recte explicatum. Fuerintne, qui recte senserint, ignoro. Wildius priorem Cotiaensium numum reddit: *Sub Iulio Quadrato filio Hipparchi*, nimirum conjunctis male binis vocabulis ΙΠΠ. ΑΡΧ. [e] quae separanda sane sunt, et legenda: ΙΠΠικου ΑΡΧοντος. Eorundem numum alterum

a) p. 1090. 11. b) Ant. L. XIV. c. X. §. 24. c) T. I. p. 139. d) L. X. ep. 117. e) Sel. num. tab. XXV.

Digitized by Google

sic vertit Vaillantius: *Sub P. Aelio Demetriano Hippici F. archonte* a). Eum secutus est Frölichius b). At Harduinus: *Sub Aelio Demetriano Hippia*, vel *Hippiae F. archonte*. Numum Gordi auctor catalogi Theupoli sic: *Sub Aurelio - - - Hippici F. archonte*. De Smyrnaeorum numo sic iterum Vaillantius c), *Sub* praetore *M. Aurelio Phileta Hippici F.* ejusque legens vestigia Pellerinius alterum Smyrnaeorum numum explicat: *Philotas, fils d'Hippicus* d). Id genus explicationes jam fastidivit cl. Masson, meliorem ac veram juxta policitus e), Vtrum fidem liberaverit, ignoro.

Ad veram hujus vocabuli explicationem suppetias vocanda marmora.

Η. ΠΑΤΡΙC. Μ. ΑΤΡ. ΔΙΑΔΟΧΟΝ. ΙΠΠΙΚΟΝ. κ. τ. λ. Sic habet marmor in itinerariis Sponii et Wheleri, tum et in itinerario Peyssonelii pag. 268.

ΙΟΤΛΙΟC. ΑΤΡΗΛΙΟC. CЄΠΤΙΜΙΟC. ΙΑΔΗC. ΙΠΠΙΚΟC. in marmore Palmyreno, quod aeri incisum exhibet Barthelemyus in Mem. B. L. Tomo XXVI. post paginam 596.

In binis his monumentis το ΙΠΠΙΚΟΝ. et ΙΠΠΙΚΟC. non posse significare *Hippici filius*, suapte patet, et cum idem vocabulum eadem ratione sit scriptum in numis, patet etiam, aliam in his quoque ejus significationem esse debere. Enimvero si ΙΠΠΙΚΟC. esset nomen viri, mirum, nunquam in numis urbium Asiae ipsum Hippicum patrem comparere tanquam archontem vel praetorem, sed semper ac toties Hippici filium. Accedit, nusquam in Graecorum onomasticis, saltem quod ego norim, memorari quempiam nomine Hippicum. Denique cum ea dictio in numis et marmoribus semper nomina ejus, qui inscribitur, consequatur, dubium non est, esse honoris et dignitatis epitheton, quod cujus sit naturae, explicabunt iterum marmora sequentia.

Α. Κ--- ΚΙΟΣ. ΚΤΡ. ΠΡΟΤΔΗΝΣ. ΙΠΠΕΤΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΟΣ. ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. κ. τ. λ. *A. C - - - cius Quirina Prudens eques Romanus, primus Melitensium etc.* Est apud Gruterum f), et Reinesium g).

Τ. ΦΛ. ΓΑΙΑΝΟΝ. ΙΠΠЄΑ. ΡΩΜΑΙΟΝ. κ. τ. λ. habet Montfauconius h).

ΙΟΤΛΙΟC. ΑΤΡΗΛΙΟC. CΑΛΜΗC. - - - ΙΠΠЄΤC. ΡΩΜΑΙΩΝ. in marmore Palmyreno, quod vulgavit Barthelemyus i).

His ergo marmoribus comprobatur, quod quidem alias in vulgus notissimum, provinciales etiam in equestrem Romanorum ordinem cooptatos, de quo vide, ut taceam majorum gentium auctores, ea, quae paucis notavit Bimardus k), et Norisius l). Eorum non paucos per urbes Graecas ad insignem fortunam evectos, argumento esto citatum Montfauconii marmor, in quo Gajanus eques dicitur legati munere functus sub divo Antonino, summus sa-

a) Num. Graec. p. 177. b) Appendic. II. novae p. 114. c) ibid. p. 179. d) Mel. I. p. 66. e) Collect. hist. ad Aristid. ad ann. V. C. 882. f) pag. 388. 4. g) T. I. p. 357. h) Palaeogr. p. 159. i) Mem. B. L. Tomo XXVI. post pag. 596. k) ad Iobert. T. II. p. 86. l) Cenot. Pis. Diss. I. c. 3. p. m. 66.

Digitized by Google

cerdos communis Galatarum, Augusti flamen, et conditor metropolis Ancyrae. In hunc ergo ordinem adscitis honorificum visum hanc etiam dignitatem in monumentis publicis jactare, ut etiam de se praedicavit Ovidius eques [a]):

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis haeres,
Non modo fortunae munere factus eques.

Atque ut hi equestrem suam dignitatem palam extulere, sic et alii genus suum consulare vel senatorium. In marmore, quod est apud Vandale [b]), de Cl. Rufo praedicatur: OTTOC. ΔЄ. ЄΓЄNЄTO. KAI. ΓЄNOTC. ΤΠΑΤΙΚΩN. *hic vero natus est ex genere consulari.* In marmore Palmyreno, cujus partem edidit cl. Renaudotius [c]), legitur: CЄΠΤΙΜΙΟC. ΟΔΑΙΝΑΘΟC. Ο. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟC. CTNΚΛΗΤΙΚΟC. *Septimius Odaenathus clarissimus senator.* Iactantius marmor Muratorii [d]) vocat Alfenum Arignotum ΤΠΑΤΙΚΟΝ. ΕΤΓΕΝΗ. ΤΙΟΝ. ΚΑΙ. ΕΓΓΟΝΟΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΝ. ΑΣΙΑΣ. *consularem, illustri genere natum, filium et nepotem summorum sacerdotum Asiae.*

Ceterum vocabulo ἱππικος passim usi sunt scriptores Graeci, cum vellent indicare ordinem equestrem. Sufficiat unum citasse Strabonem [e]), qui loquens de provinciis, quas sibi retinuit Augustus, addit: ὧν εἰς ἃς μεν πεμπει της ἐπιμελησομενης ὑπατικης ἀνδρας, εἰς ἃς τε στρατηγικης, εἰς ἃς δε και ΙΠΠΙΚΟΤΣ, *quarum alias regendas committit consularibus, alias praetoriis, alias viris ex ordine EQVESTRI.*

* * *

Denique et tribus SERGIA unico in moneta vetere exemplo proditur in numo, quem Florezius praeco ex fabrica Hispaniensem agnoscit, scripto juxta caput virile ignotum: T. MANLIVS. T. F. SERGIA [f]). Vide, quae de singulari hoc numo monebo in denariis gentis Manliae. Vtrum SERG. in numis Neapolis Samaritidos, et AEL. in numis Iconii Lycaoniae significent tribus *Sergiam*, et *Aeliam*, valde adhuc incertum.

§. II.

DE CONSVLIBVS.

Consulatus rarissime numis populorum et urbium inscribuntur, si demas consulatus Augustorum saepius obvios, praecipue in Antiochenis Syriae; sed de his, ut et de Augustorum tribunicia potestate, pontificatu etc. agemus in numis

a) Trist. L. IV. el. X. v. 7. b) Diss. VIII. c. 1. p. m. 640. c) Mem. B. L. Tome II. p. 530. d) p. 674. e) L. XVII. fine. f) Medall. de Espan. T. III. p. 144.

Digitized by Google

commatis Romani. Solum istud hoc loco monemus, numos inscriptos: ΠΛΟΤ-CIAC., vi cujus eruditi non pauci Augustum Plusiae vel Plutiae Siciliae oppidi consulem edixere, a me in jus vocari in moneta Temni Aeolidis, quorsum revera pertinent. Consulatum privatorum duae tantum, quod norim, urbes inscripsere:

Bilbilis Tarraconensis: TI. CAESARE. V. L. AELIO. SEIANO. COS.

Vide de singulari hoc numo monetam Tiberii ad annum V. C. 784.

Hadrumetum Byzacenes: APR. FA. MAX. COS. PROCOS. VII. VIR. EPVLO.

Vide numos hujus urbis.

§. III.

DE PROCONSVLIBVS, PROPRAETORIBVS, LEGATIS, PRAESIDIBVS.

En tibi amplam disputandi materiem, eamque confusam admodum atque incertam, cum haec, quae praefiximus, magistratuum vocabula differre quidem inter se videantur, ut differunt etiam, non tamen sic, ut non saepe unum pro altero sive arbitrarie, sive ex causa incerta poneretur. Dabimus operam, ut in explicando horum titulorum usu ac potestate cum brevitate conjungamus claritatem, quod utrumque obtineri posse speramus adhibita opportune cum materiae, tum temporum distributione.

Praemittimus triplicem numorum catalogum, quorum prior complectitur memorates in his *proconsules* et *propraetores*, alter *legatos*, et *legatos propraetore*, tertius *praesides*, dictos in numis ἡγεμονας. Placuit praeterea, cum numis externis urbium populorumque conjungere numos commatis Romani, quae ratio, etsi praeter operis nostri institutum est, efficit tamen, ut commune argumentum non cogar bis, ac locis disjunctissimis tractare. Separando tamen tempora obtinui, ut ferenda videatur haec perversitas. Praecedunt enim, ubi ejus occasio fuit, numi signati stante republica Romanorum, et usque ad annum V. C. 727., qui quidem annus velut cardo quidam est, in quo vetus ratio desinit, et unde nova procedit, quod continuo patebit.

Ceterum hoc loco agere non instituimus de viris ipsis magistratu praeditis, quorum fortunam, si qua comperta fuit, enarramus sive in numis familiarum, sive in moneta singularum urbium et regionum, quae hos magistratus numis suis inscripsere.

Digitized by Google

I. *Proconsules, Propraetores cum vel sine mentione dignitatis.*

Stante republica, et usque ad annum V. C. 727.

C. ANNIus T. F. T. N. PROCOS. SC. provinciae incertae, in denariis.

M. CATO. PRO. PRàetore provinciae incertae, in numis gentis Porciae.

A. ALLIENVS. PROCOS. Siciliae, in denariis.

C. ARRVNTANVS. BALB. PRO. PR. Siciliae, in numis Melitae.

MAGN. PROCOS. *Cn. Pompejus M.* Hispaniae, vel per bellum piraticum, in denariis.

Q. CAEPIO. BRVTVS. PRO. COS. Macedoniae, in denariis gentis Iuniae.

C. ANTONIVS. M. F. PRO. COS. Macedoniae, in denariis.

L. PLANCVS. PROCOS. Asiae sub Antonio IIIviro, in denariis gentis Munatiae.

M. OPPIVS. CAPITO. PROPR. incertae provinciae, sub Antonio IIIviro, in Aeneis.

C. FONTEIVS. CAPITO. PROPR. incertae provinciae, sub Antonio IIIviro, in Aeneis.

BALBVS. PROPR. provinciae incertae sub Octaviano, in denariis gentis Corneliae.

C. COPONIVS. PR*aetor* S. C. in denariis.

CAE. PR*aetor* in tetradrachmo Macedoniae in genere.

Γ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. in autonomis aeneis urbium Bithyniae, Paphlagoniae, Ponti.

ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. in autonomis aeneis Apameae, et Nicomediae Bithyniae urbium.

ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ. ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ. in autonomis aeneis Amisi Ponti.

C. PVLCHER. PROCOS. Asiae, in cistophoris Pergami et Trallium Asiae.

C. FAN. PONT. PR. Asiae, in cistophoris Ephesi et Trallium Asiae.

Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER. Asiae, in cistophoro Pergami Mysiae.

P. LENTVLVS. P. F. IMP. Ciliciae, in cistophoris Laodiceae et Apameae Phrygiae.

M. TVLL. IMP. Ciliciae, in cistophoris Laodiceae Phrygiae.

AP. PVLCHER. AP. F. PRO. COS. Ciliciae, in cistophoris Laodiceae et Apameae Phrygiae.

* * *

Addi his possent L. CESTIVS. PR. — A. HIRTIVS. PR. aliique nonnulli, quos citabo in numis gentis Cestiae, sed in quibus το PR. magis verisimile est notare Praetorem urbis, vel praefectum urbis, ut ibi monebo.

Ab Anno V. C. 727. et deinceps.

M. ATIVS. BALBVS. PR. Sardiniae, in autonomo.

L. CLODIO. RVFO. PROCOS. Agrigenti Siciliae, sub Augusto.

ΕΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΘΩΡΙΟΥ. ΦΛΑΚΚΟΥ. Nicomediae Bithyniae, sub Augusto.

ΑCΙΝΙΟC. ΓΑΛΛΟC. - - - Temni Aeolidis, sub Augusto.

A. PLAVTIVS PROCOS. Cypri, sub Augusto.

Digitized by Google

ΟΥΑΛΕΡΙΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Synnadae Phrygiae, sub Augusto.

S. CATO. PROCOS. Cyrenaicae, sub Augusto.

S. CATO. PR. Cyrenaicae, sub Augusto.

FA*bius* MAX*imus* COS. PROCOS. in numo Hadriani Byzacenes, sub Augusto.

CN. DO*mitius* PROCOS. in numis Panormi, sub Augusto.

P. QVINCTILI. VARI. Achullae Byzacenes, sub Augusto.

L. VOLVSIVS. SATVR*ninus*. Achullae Byzacenes, sub Augusto.

M. ACILIVS. GLABRIO. PROCOS. incertum ubi, sed lectione numi incerta. Vide numos Augusti ad annum V. C. 729.

ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΣΙΛΩΝΟΣ. incertum ubi, in numis binis M. Agrippae, quos vulgavi. (Sylloge I. p. 78.)

ΕΠΙ. ΚΟΡ. ΛΥ. *Sub Cornelio Lupo*, sub Tiberio, in variis Cretae urbibus. V. prolegomena ad numos Cretae.

ΕΠΙ. ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. Smyrnae sub Tiberio.

P. CORNELI. DOLABELLAE. PROCOS. Carthaginis forte, sub Tiberio.

L. APRONI. PROCOS. III. Carthaginis forte, sub Tiberio.

C. VIBIO. MARSO. PR. COS. addito in nonnullis II. vel III. Vticae Zeugitanae, sub Tiberio.

ΓΑΙΟΥ. ΑΣΙΝΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Sardium Lydiae, sub Druso juniore.

L. APRONIVS. Hipponis Zeugitanae, sub Druso juniore.

ΕΠΙ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Nicomediae Bithyniae, sub Germanico.

ΕΠΙ. ΑΥΓΟΥΡΙΝΟΥ. Gortynae, Hierapytnae et Polyrhenii Cretae, sub Caligula.

ΕΠΙ. ΦΛΑΟΥΙΟΥ. Hierapytnae Cretae, sub Caligula.

ΕΠΙ. ΑΟΥΙΟΛΑ. Pergami Mysiae, et Smyrnae Ioniae, sub Caligula.

ΕΠΙ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Bithyniae, sub Claudio.

Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Nicaeae Bithyniae, sub Claudio.

Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ. ΒΑΛΒΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Nicaeae Bithyniae, sub Claudio.

Γ. ΚΟΝΔΙΟΣ. ΒΑΛΒΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Nicomediae Bithyniae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΦΡ. ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΥ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Nicomediae Bithyniae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Nicomediae Bithyniae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΚΟΜΙΝΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥ. Cypri, sub Claudio.

ΕΠΙ. Γ. ΣΕΡΤΩΡΙΟΥ. ΒΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. sub Claudio, in numo AE. max. mod. (Pellerin Rec. III. tab. 132. n. 5.) Vrbis nomen non additur, atque etiam hic *C. Sertorius Broclus*, verius *Proclus*, vel *Proculus* mihi ignotus.

ΕΠΙ. ΑΤΤΙΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Nicaeae Bithyniae, sub Nerone.

M. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ. ΠΡΙΣΚΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. Nicomediae Bithyniae, sub Nerone.

ΕΠΙ. Μ. ΟΥΕΤΤΙΟΥ. ΝΙΓΡΟΥ. Apameae Phrygiae, sub Nerone.

Digitized by Google

ΕΠΙ. ΜΑΡΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΥ. Apameae Phrygiae, sub Nerone.

ΑΟΥΙΟΛΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. Ephesi Ioniae, sub Nerone.

ΟΥΟΛΑΣΕΝΝΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. Ancyrae Phrygiae, sub Poppaea Neronis.

ΕΠΙ. ΒΩΛΛΑΝΟΥ. Smyrnae, sub Vespasiano.

ΕΠΙ. Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Bithyniae, sub Vespasiano, Tito, Domitiano.

ΕΠΙ. Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numis variarum Bithyniae urbium, sub Vespasiano, Tito, Domitiano.

ΕΠΙ. Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΥ. ΝΕΡΟΥΛΙΝΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Smyrnae Ioniae, sub Vespasiano.

ΑΝΘΥ. ΙΤΑΛΙΚΩ. Smyrnae Ioniae, sub Vespasiano.

ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. Cymes Aeolidis, sub Vespasiano.

ΕΠΙ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. Apameae Phrygiae, sub Vespasiano.

ΕΠΙ. Μ. ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤ. Nicomediae Bithyniae, sub Tito.

ΕΠΙ. ΦΛΟΡΟΥ. ΑΝΘΥ. Smyrnae Ioniae, sub Iulia Titi F.

ΕΠΙ. ΑΝΘΥ. ΚΑΙΣΕΝΝΙΟΥ. ΠΑΙΤΟΥ. Ephesi et Smyrnae Ioniae, sub Domitiano.

ΑΝΘΥ. Μ. ΤΙΒ. ΠΑΝΣΑ. Ephesi Ioniae, sub Domitia Domitiani.

ΦΟΥΣΚΩ. ΑΝΘΥ. Smyrnae Ioniae, sub Trajano.

ΑΝΘΥ. ΦΡΟΝΤΕΙΝΟΥ. Smyrnae Ioniae, sub Trajano.

ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΨΕΡΟΚΙ. Hierocaesareae Lydiae, sub Trajano.

ΕΠΙ. Β. ΤΟΥΛΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Sardium Lydiae, sub Trajano.

ΕΠΙ. ΑΝΘ. ΣΕΚΟΥΝ. Attaeae Phrygiae, sub Trajano.

ΕΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΑΠΡΩΝΙΑΝΟΥ. Smyrnae Ioniae, sub Antonio Pio.

Q. TERENTIO. CVLLEONE. PROCOS. III. incertum ubi, in Aeneo I. Vide numos gentis Terentiae.

II. *Legati, Legati pro praetore.*

Stante republica.

C. FLAV. HEMIC. LEG. PROPR. in denariis gentis Flaviae.

M. POBLICI. LEG. PROP. in denariis Pompeji M.

EPPIVS. LEG. in denariis Metelli Scipionis.

P. CRASSVS. IVNI. LEG. PROPR. in denariis Metelli Scipionis.

COSTA. LEG. in denariis M. Bruti.

M. SERVILIVS. LEG. in denariis M. Bruti et C. Cassii.

M. AQVINVS. LEG. in denariis C. Cassii.

Q. PAQVIVS. RVF. LEG. in aeneo M. Antonii, et forte Viennae Galliae cuso, quam vide.

Sub Augustis.

P. CARISIVS. LEG. vel: LEG. PROPR. vel: LEG. AVGVSTI. sub Augusto, in denariis.

ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Augusto.

ΕΠΙ. ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ. ΟΥΟΛΟ. Antiochiae Syriae, sub Augusto.

Digitized by Google

C. LIVIN. GALLVS PROPR. Hadrameti Byzacenes, sub Augusto.

ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Augusto et Tiberio.

PERM. SILANI. Beryti Phoeniciae, sub Augusto et Tiberio.

ΕΠΙ. ΦΛΑΚΚΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Trajano.

ΕΠΙ. ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΚΑΣΣΙΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Claudio.

ΕΠΙ. ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Nerone.

ΕΠΙ. ΚΕΣΤΙΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Nerone.

ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Galba et Othone.

ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. Antiochiae Syriae, sub Tito.

ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΕΛΙΚ. ΠΡΕΣβευτης, in numo Perinthi Thraciae, sub Trajano.

ΕΠ. ΕΙΤΙ. ΡΟΥΦΟΥ. ΠΡΕΣβευτης ΚΑΙ. ΑΝΤΙστρατηγος ΤΟΥ. ΣΕΒαστου, in numis Bizyae Thraciae, sub Hadriano.

ΕΠΙ. ΑΝΤ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΠΡεσβευτης ΣΕΒαστου ΑΝΤωνινου, in numis Philippopolis et Perinthi Thraciae, sub Ant. Pio.

ΕΠΙ. Μ. ΝΕΡΑ. ΠΑΝΣΑ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. in numis Galatiae et Cappadociae, sub Tito.

ΕΠΙ. ΤΙΤ. ΠΟΜΠΩΝΙΟΥ. ΒΑΣΣΟΥ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. vel: ΠΡΕΣΒΕΥ. ΑΝΤΙΣΤΡ. in numis Galatiae et Cappadociae, sub Domitiano, Nerva, Trajano.

Hos Neratii Pansae et Pomponii Bassi numos omnes collectos descriptosque vide in moneta Caesareae Cappadociae.

(*Vol. IV.*)

H. *Praesides, in numis* ΗΓΕΜΟΝΕΣ.

ΗΓΕΜ. ΑΠ. ΚΛ. ΜΑΡΤΙΑΛΟΥ. Anchiali Thraciae, sub Domitiano. Videtur dubitari posse, utrum in hoc numo sit caput Domitiani, et non potius L. Veri. Vide prolegomena ad numos Thraciae.

ΗΓΕ. ΣΤ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. ibidem, sub Severo.

ΗΓΕ. ΠΟΜ. ΟΥΕΠΕΙCΚΟΥ. Byzyae Thraciae, sub Antonino Pio.

ΗΓΕ. Μ. ΠΟΝΤΙΟΥ. CΑΒΕΙΝΟΥ. Hadrianopolis Thraciae. Alia praesidum nomina inde a M. Aurelio usque ad Caracallam vide in moneta hujus urbis.

ΗΓΘΜσιας ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΥ. Marcianopolis Moesiae inferioris, sub Caracalla et Alexandro Severo.

ΗΓΕ. Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΥ. ΟΥΟΠΕΙCΚΟΥ. Pautaliae Thraciae. Nomina alia ab Antonino Pio usque ad Plautillam vide in moneta hujus urbis.

ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ. etc. Perinthi Thraciae, sub Ant. Pio, et seq.

ΗΓΕ. ΠΟΜ. ΟΥΟΠΕΙCΚΟΥ. Philippopolis Thraciae, sub Ant. Pio, aliique sub sequentibus usque ad Domnam.

ΗΓΕ. ΠΟΜΠ. ΟΥΟΠΕΙCΚΟΥ. Plotinopolis Thraciae, sub Ant. Pio.

ΗΓΕ. ΚΛ. ΑΠΠΙΟΥ. ΜΑΡΤΙΑΛΟΥ. Serdicae Thraciae, sub L. Vero, aliisque. Vide monetam hujus urbis.

ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΛΟΥ. Topiri Thraciae, sub. Ant. Pio.

ΗΓ. ΑΚΙΛΙΟΥ. etc. Trajanopolis Thraciae, sub Severo et seq.

Sintne magistratus Marcianopolis et Nicopolis Moesiae numis inscripti ἡγεμο-

Digitized by Google

νες putandi, non satis liquet. Vide numos hujus Nicopolis.

* * *

Enumeratis his, qui vario nomine provincias rexere, Romanorum magistratibus, jam quae ad eorum explicatum spectant, persequemur. Procedunt ordine

PROCONSVLES et PROPRAETORES. Pulsis regibus Romanae reipublicae praefuere consules duo, praetores totidem, quorum unus dictus praetor urbanus, alter peregrinus, quod hic inter peregrinos, ille inter cives jus diceret. Captis subinde primum Sicilia, deinde Sardinia additi duo, atque iterum duo alii, Hispania citeriore et ulteriore in potestatem Romanorum redactis. Varie serius auctus praetorum numerus, quae quidem minutim commemorare huc non pertinet. Atque haec fuit origo magistratuum Romanorum pro praetore in provincias missorum.

Proconsulum multiplex fuit ratio, quam strictim a prima eorum origine expendemus. I. quando consuli bellis districto exeunte magistratus tempore prorogatum fuit imperium. Ejus primum exemplum anno V. C. 427. in Q. Publicio Philone, quem bello Samnitum Graecorumque occupatum inde avocare nequaquam e rep. visum. Quocirca decretum in urbe: *ut pro consule rem gereret, quoad debellatum cum Graecis esset* [a]). Lapis Capitolinus: *Q. Publilius. Q. F. Q. N. Philo. Primus. Pro. Cos. De. Samnitibus. Palaeopolitanis.* Quo modo subinde frequenter prorogata fuere imperia, quod vulgo notum. II. Proconsul aliquoties extra ordinem creatus, etiam qui prius consul non fuisset. Sic flagrante bello Punico II. P. Scipio privatus, annos natus XXIV., serius Pompejus M. privatus quoque contra Sertorium pro Consule cum imperio in Hispaniam missi sunt. III. Proconsules, quae ordinaria fuit ratio, fuere, qui post obitum consulatum, vel etiam tantum praetaram ad regendam provinciam cum imperio et jurisdictione sunt designati. IV. Proconsul extraordinarius, qualis fuit Cn. Pompejus, qui ferente legem A. Gabinio bello cum piratis gerendo fuit praefectus, sic *ut esset imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus usque L. miliarium a mari; quo senatus consulto paene totus terrarum orbis uni viro deferebatur. Sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonii praetura decretum erat* [b]). Fuit hic proconsulatus imago illius, qualem subinde Tiberius Germanico, Nero Corbuloni in provincias Orientis ampla cum potestate concessit.

Lege ordinaria, qui ex consulatu provinciam sortiti sunt, stante republica dicti *proconsules*, qui ex praetura, *praetores* vel *propraetores*, fuitque adeo proconsulis dignitas auctoritasque major, quam propraetoris, quod quidem ex duplice Catonis Vticensis facto elucescit, cui cum post Pompeji ad Pharsalum cladem imperium in Corcyra deferretur, illud Ciceroni cessit, ὡς ὑπατικῳ στρατηγικος, *ut consulari praetorius*. Rursum paullo post cum essent, qui ei imperium in Africa decernerent, negavit

a) Liv. L. VIII. c. 23. 26. b) Velleius L. II. c. 31.

Digitized by Google

se legibus adversaturum, οὐδὲ ἑαυτὸν ἀντιστρατηγὸν ὄντα παρόντος ἀνθύπατου προστάξειν, neque se, qui propraetor esset, praesente proconsule (Scipione Metello) imperaturum. Haec Plutarchus a): At qui Cicero consul, et aliquot post annis provinciam Ciliciam pro consule rexit, Scipio consul et mox proconsul Syriae, ipse Cato consul nunquam fuit, ac propterea cum missus esset in Cyprum, eam non pro consule, sed pro praetore administravit. Secundum quod eleganter Cicero b): *Sunt omnes sine macula, sunt aequi boni viri atque integri, sed servari necesse est gradum. Cedat Consulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio equester locus.*

Factum tamen non raro, ut quis ex praetura Romae obita in provinciam pro consule mitteretur. Cicero de Gellio c): *cum pro consule ex praetura in Graeciam venisset.* Eodem modo Statium Murcum, quem V. C. 710. a I. Caesare missum ad regendam Syriam Vellejus appellat virum praetorium d), Cicero proconsulem dixit e). Ejus causa haud dubie fuit, quod saepe status provinciarum ampliorem potestatem, quam quae vulgo praetori tributa fuit, exigeret. Ejus luculentum exemplum suppeditat Appianus, qui cum narrasset f), in Syriam a Pompeio nuper occupatam missos Marcium Philippum, deinde Lentulum Marcellinum, ambos praetorios, utrumque vero saepe conflictatum cum Arabibus ex vicino infestantibus, addit: καὶ τυδὲ χαριν ἐς τὸ ἑπειτα ἐγενοντο Συριας στρατηγοι των τα ἐπωνυμα ἀρξαντων ἐν ἀστει, ἱνα ἐχοιεν ἐξουσιαν καταλογου τε στρατειας καὶ πολεμου, ὁια ὑπατοι. *Cujus causa factum, ut deinceps in Syriam mitterentur rectores ex eorum numero, qui consulatu in urbe functi sunt, quo pacto possent consulari potestate agere delectus, bellumque gerere.* Aliud illustre exemplum adfert Plutarchus g). Orto in Hispania bello eo tempore, quo consules bello Antiochi M. intenti fuere, missus est in Hispaniam L. Aemilius Paullus praetor, non cum sex securibus, quot praetores habere solent, sed additis sex aliis, quo facto ejus praetura auctoritatem accepit consularem. Ergo si quis praetorius in provinciam hostibus infestam missus est, addita fuit extra ordinem potestas, aut verius imperium proconsulare, ut ad res cum hoste gerendas magis esset expeditus. Sed istud in populari Romae regimine valuit, nam post factam ab Augusto divisionem, de qua infra, etiam proconsulibus habendi delectus et belli gerendi potestas adempta fuit.

Quantumvis interim hoc proconsulum praetorumque discrimen satis videatur expeditum, tamen eorum in veterum monumentis valde confusam habemus rationem, cum unum eundemque hominem jam proconsulem, jam praetorem non raro appellent. De statu Romae liberae nunc loquor; alia enim ratio sub Roma imperante. Sic Suetonius Quintum Ciceronis fratrem dixit *parum secunda fama proconsulatum Asiae administrasse* h), cum tamen hic Quintus fuerit praetorius, eumque frater

a) In Catone min p. 786. 787. b) pro Plancio c. 6. c) de Legib. L. I. c. 20. d) L. II. c. 69. e) Philipp. XI. f) Syriac. c. 51. g) in Aem. Paullo p. m. 256. h) in Aug. c. 5.

Digitized by Google

Marcus ipse praetorem Asiae appellet a). A. Allienum denarii vocant proconsulem Siciliae, tum et Cicero in epistolis ad eum datis, at Hirtius jam praetorem Siciliae b), jam proconsulem c). C. Clodius Pulcher in cistophoris dicitur proconsul Asiae, qui tamen praetor fuit, ut ex Cicerone docet Pighius d). Iunium, quem I. Caesar praedonum maritimorum causa adiit, proconsulem Asiae vocat Velleius e), at eum rectius Plutarchus praetorem, στρατηγον f). Magis mirum, eundem hominem ab eodem auctore Livio jam praetorem, jam propraetorem, jam proconsulem dici, cujus plura exempla congessit Dukerus g), qui et addit, a se observatum, eos, qui Hispaniis praeerant, saepius proconsules a Livio appellari, quam qui alias provincias habebant.

Praetoribus in provinciam missis additi sunt lictores sex cum suis singuli fascibus et securibus, ex qua causa a scriptoribus Graecis velut proprio quodam nomine ἑξαπελεκεις, *sex secures habentes*, dicti sunt, et quae eos peristasis a praetoribus urbanis discrevit, quibus sex fasces praeferri soliti sunt, sed sine securibus, quales fingi videmus in denariis Livineii Reguli, quae omnia late et erudite exposita vide apud illustrem Spanhemium h). Si quando consulari potestate missi sunt, additi fuere sex alii fasces, cujus exemplum mox e Plutarcho vidimus. Valuit haec ratio stante republica, quin usque ad

Annum V. C. 727., quo anno Augustus, obtentu, nolle se provinciis omnibus imperare, aliarum regimen sibi, aliarum senatui populoque R. addixit, cujus celebratae divisionis hae fuere leges:

I. Provincias pacatiores minusque hostibus expositas senatui restituit; quae propter potentiam plus periculi ostenderent, aut hostium incursionibus magis paterent, sibi retinuit. Quo factum, ut legionum robore per suas provincias distributo ipse solus imperium teneret, senatum inermem et imbellem efficeret. Haec Dio i), Strabo k), et strictim Suetonius l). Quae tum factae fuerint provinciae Augusti, quae senatus, Dio et Strabo iisdem locis enumerant, et vide de his amplius Sigonium de antiquo jure Italiae, et Panvinii Imperium Rom. in Thesauro Graevii Tom. II.

II. Augustus tum provincias duas consulares fecit, Asiam et Africam, decem item praetorias, utrasque senatui permissas m). Eo senatus consules et praetores miserat, quanquam et haec diverse solebant dividi, prout usus postulaverat n). Clarius Dio o): Senatui vero et speciatim iis, qui consulatu functi sunt, Africam et Asiam, praetura functis reliquas omnes provincias adscripsit.

III. Nomina consulum et praetorum Italiae reservavit. Qui provincias extra hanc sitas regerent, tanquam pro his magistratus gererent, *proconsules* et *propraetores* appellavit p).

---

a) Ad Q. fratr. L. I. ep. 1. c. 7. b) bell. Afr. c. 2. c) ibid c. 34. d) Ann. Rom. ad ann. 699. e) L. II. c. 42. f) in Iul. Caes. g) Ad L. XXXIX. c. 29. in nota 4. h) T. II. p. 105. seq. i) L. LIII. §. 12. k) L. XVII. fine. l) in Aug. c. 47. m) Strabo l. c. Dio L. LIII. §. 14. n) Strabo l. c. o) l. c. p) Dio L. LIII. §. 13.

Digitized by Google

IV. Proconsules dici voluit non modo duos illos, qui consules fuissent, sed etiam alios, qui praeturam modo vel gessissent, vel inter praetorios etiam relati tantum fuissent [a]).

V. In provinciis suis Augustus constituit rectores, quos vocavit legatos suos et ἀντιστρατηγους, *propraetores*, etiam eos, qui consulatu functi erant. Nam cum nomina praetoris et consulis diu ante in rep. valerent, praetoris nomine, (στρατηγου) quippe bellis ab antiquis temporibus conveniente, suis praefectos provinciis insignivit, propraetores appellans, consulum appellatione reliquos, ut paci propinquiores affecit, proconsules vocans [b]).

VI. Augustus in senatus provincias magistratus annuos mitti voluit, eosque sorte lectos, neque gladio accinctos, neque habitu militari utentes, jussitque iis apparere lictores sex, nempe quot habere praetoribus in urbe permissum fuit; quanquam qui provincias Asiam et Africam rexerunt, quoniam, ut diximus, non nomine tantum fuere proconsules, sed re, quippe consulatu functi, verisimile est, apparuisse lictores XII., quot nempe in urbis consulatu habuere, de quo lege disputantem Spanhemium [c]). At legatis pro praetore, sive qui in suas provincias mitterentur, hoc tribuit, ut ultra annum essent cum imperio, quousque sibi placuisset, et veste militari uterentur, et haberent in comitatu lictores item sex. Haec omnia Dio [d]). Interim etsi ex decreto Augusti annuum fuit in populi provinciis regimen proconsulum, ut mox ex Dione ostendimus, et confirmatur a Tacito, qui annuum hunc magistratum opponit diuturnitati officii legati Caesaris [e]), tamen saepe proconsulibus quoque prorogatum fuisse imperium, vel ex numis discimus. Vidimus supra in catalogo: L. APRONI. PROCOS. III. item: C. VIBIO. MARSO. PR. COS. vel simpliciter, vel addito in aliis II. vel III. item ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ., quo sane aliud indicari non potest, quam in II. et III. annum proconsulatu functos. Forte et idem significat ΠΟΤ-ΠΙΟC. ANTICTPA. L. A. in numis Cyrenaicae.

VII. Quae regiones post hanc divisionem imperio accesserunt, ut Galatia, Cappadocia, Thracia, Lycia, aliaeque, Caesarum provinciae factae sunt. Constare istud ex Dione tradit Spanhemius [f]), verum ex eo loco, quem citat, non videtur posse erui. Interim satis istud docent marmora, quae Caesarum legatos iis impositos passim offerunt.

Atque haec fuit ratio provinciarum constituta ab Augusto, et quae deinceps usque ad imperii prolapsionem duravit, quod luculentis exemplis comprobat Spanhemius [g]), quibus addo marmor Gruteri omnia continens inferioris aevi indicia, positumque *L. Aradio Val. Proculo. V. C. - - - legato. pro. praetore. provinciae. Numidiae. praesidi. provinciae. Byzacenae. consulari. provinciae. Europae. et. Thraciae. consulari. provinciae. Siciliae. - - - procon-*

a) Dio L. LIII. §. 13. b) Dio L. LIII. §. 13. c) T. II. p. 116. seq. d) L. LIII. 13.
e) Hist. IV. 48. f) T. II. p. 588 et 597. g) T. II. p. 588.

Digitized by Google

sulî. provinciae. Africae. vice sacra judicanti. eidemque. judicio. sacro. per provincias. proconsularem. et. Numidiam. Byzacium. ac. Tripolim. itemque. Mauretaniam. Sitifensem. et Caesariensem. etc. Factum tamen, ut ad imperatorum arbitrium ordo constitutus frequenter immutaretur, quod diserte testatur Dio [a]), provinciae plures subjicerentur unius imperio, uni in partes plures sectae plures imponerentur rectores, cujus quidem exempla passim offerunt scriptores ac marmora, et aliquod ipsi dabimus infra. Vnicum hoc loco liceat apponere, quod de Tiberio refert Tacitus [b]): *Macedoniam et Achaiam onera deprecantes, levari in praesens proconsulari imperio, tradique Caesari placuit*, id est: ex praetoriis, sive proconsularibus populi fieri provincias Augusti. Quo ex Taciti testimonio discimus praeterea, has posteriores mitius, quam proconsulares populi habitas. In quo constiterit gravius istud earum onus, negotium sibi facessere candide professus est Lipsius. Explicare conatus est Spanhemius [c]), an aeque satisfecerit, dubitem. Provinciam Augustis attributam palam eloquuntur numi Trajani obvii, inscripti: DACIA. AVGVSTI. PROVINCIA.

* * *

Ad LEGATOS, quos continet catalogus alter, accedimus. Huc tamen non pertinent legati ad externas nationes sive honoris causa, sive ut mandata perferrent, missi, neque, qui saepe ab historicis, vel in marmoribus memorantur, legati legionum, quia nulla utrorumque in numis habetur mentio. Hic ergo tantum agitur de legatis provincialibus.

Majoribus magistratibus, ut imperatoribus, proconsulibus, praetoribus in provinciam profectis libera adhuc Roma additi ex S. C. legati, ut diserte testatur Cicero [d]), aut si sibi quos legaverant, a senatu adprobati, nimirum, ut *horum opera consilioque uterentur peregre magistratus*, ut inquit Varro [e]). Eos Cicero vocat *nuncios pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici consilii auctores, ministros muneris provincialis* [f]). Hujus generis fuit celebrata olim legatio Scipionis Africani senioris, cum is se fratri Lucio consuli ad bellum Antiochi M. profecto legatum spente, et adprobante senatu adderet. Alius est illustris locus apud Caesarem, discrimen imperatorem inter et legatum statuens [g]): *aliae enim sunt legati partes atque imperatoris; alter omnia agere ad praescriptum, alter libere ad summam rerum consulere debet.* Atque hujus rationis sunt ii, qui in numis supra descriptis, et stante quidem adhuc republica, dicuntur aut simpliciter LEG*ati*, aut LEG*ati* PROPR*aetore.*

Facta ab Augusto V. C. 727. provinciarum divisione duplicis generis habemus legatos, I. illos, qui summis magistratibus in provincias sive populi, sive Augustorum profectis eo modo, quo stante rep. factum diximus, consilii et vicariae operae causa praeter quaesto-

a) L. LIII. §. 12. b) Annal. I. 76. c) T. II. p. 590. d) in Vatin. c. 15. e) L. IV. de L. L. f) l. c. g) de bell. civ. L. III. c. 51.

Digitized by Google

rem additi fuere. Eos Dio παρεδρευοντας, *assessores*, appellari mavult, quam πρεσβευτας, *legatos*, quo eos nomine vulgo vocabant Graeci [a]). Sic et idem infra repetit [b]), mortuo V. C. 759. Achaiae praefecto, provinciae regimen divisum fuisse inter quaestorem et assessorem, quem, ut continuo addit, *legatum* Graece vocamus. Strabo cum narrasset, Hispaniam Baeticam fuisse attributam populo, Lusitanicam et Tarraconensem Augusto, addit, in Baeticam mitti praetorem cum quaestore et legato, (στρατηγος ἐχων ταμιαν τε και πρεσβευτην) in Lusitanicam pro Augusto praetorium, sub quo esset legatus, (στρατηγικος ἐχων συν ἀυτῳ πρεσβευτην) in Tarraconensem consularem praefectum cum tribus legatis (ὑπο τῳ ὑπατικῳ ἡγεμονι ἐχοντι πρεσβευτας τρεις) [c]). At enim certum est contra Dionem, minores hos magistratus non a Graecis modo, sed et Latinis legatos fuisse dictos, atque istud tanto magis verum, quod assessorum nulla forte in marmoribus fit mentio, at perfrequens minorum id genus legatorum tam in provinciis Caesarum, quam populi. Sic dicitur Domitius Afer *Legatus Ejusdem. Provinciae.* (Africae) *Tulli. Fratris. sui* [d]). Alibi: Q. Caecilius *Leg. C. Sereni. Procos. Galliae. Transalpinae* [e]). Alibi: *Legatus. Provinciae. Africae. Eodem. Tempore. Vice. Proconsulis* [f]). A Plinio juniore proditur Hostilius Firminus legatus Marii Prisci proconsulis Africae [g]), a Tacito Tarquitius Priscus legatus Tauri Africam imperio proconsulari regentis [h]). Amplius istud patet ex marmoribus, in quibus varia unius ejusdemque viri munia vario tempore obita memorantur. Sic C. Oppius in eodem lapide dicitur: *Legatus provinciae Baeticae*, et *Proconsul prov. Baeticae* [i]). L. Fabius Cilo in eodem marmore dicitur *Procos. itemque Leg. prov. Narbonens.* [k]) perinde ac Quadratus in eadem epigrammatis serie fertur ἀνθυπατος Ασιας et πρεσβευτης Ασιας [l]). Atque in hoc sensu fere constanter in marmoribus accipiendum puto vocabulum LEGATVS absolute positum, cujus frequentia in iis exstant exempla; nam cum intelligendus est legatus, summus in Caesarum provinciis magistratus, vix tum deesse solet vocabulum AVGVSTI. vel PROPR., quod quidem aliter se habet in numis, et scriptoribus, ubi utrumque saepe supprimitur.

Alterum legatorum genus fuere ii, qui in Caesarum provincias summa cum potestate missi sunt. Hi in numis vel vocantur simpliciter LEG*ati*, vel LEG. AVGVSTI. vel LEG. PROPR., ut ex adductis in catalogo P. Carisii denariis vidimus. Historici saepe solo legati nomine legatos Caesarum designant, cujus exempla, quod obvia sunt apud Tacitum, recitare non lubet. Eandem potestatem notat LEGATVS apud Gruterum [m]), item: LEGATVS. PRAETORIVS. Sic de Hadriano Spartianus: *Legatus postea praetorius in Pannoniam inferiorem missus.* Eodem modo marmora: *Legato. Praetorio. Provinciae.*

a) L. LIII. §. 14. b) L. LV. §. 27. c) L. III. p. m. 253. d) Grut. p. 403. 1. e) Grut. p. 9. 1. f) Grut. p. 381. 3. g) L. II. ep. 11. h) Ann. XII. 59. i) Grut. p. 446. 4. k) Marini iscrip. Alb. p. 51. l) Murat p. 317. 1. m) p. 414. 5.

Digitized by Google

Asiae. vel: *Siciliae*, vel: *Africae.* [a]) etiam praetoricio [b]). CONSVLARIS. LEGATVS, vel etiam tantum CONSVLARIS. Haec quoque hujus magistratus nomina fuere. Serius nempe factum, ut *consulares* dicerentur provinciae Augusti, *proconsulares* provinciae senatus, ut post alios observavit Spanhemius [c]). Suetonius de Tiberio [d]): *Hispaniam et Syriam per aliquot annos consularibus legatis habuit.* Tacitus [e]): *Inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere*, et similiter Suetonius [f]): *Vespasianus Cappadociae propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite Romano.* In epigrammate vetere [g]): *Leg. Consulari. provinc. Germ. Superioris, item Syriae.* Latinos imitati sunt Graeci. Sic in citato supra catalogo Caesarum rectores vel vocantur simpliciter ΠΡΕΣΒΕΤΤΑΙ. *legati*, vel ΠΡΕΣΒΕΤΤΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *legati Augusti*, vel ΠΡΕΣΒΕΤΤΑΙ. ΚΑΙ. ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΙ. ΤΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *legati et pro praetore Augusti.* Illustre est marmor apud Muratorium [h]), quod Quadratum variarum per vices Augusti provinciarum praesidem laudat, nempe: Πρεσβευτην Σεβαστου ἐπαρχιας Καππαδοκιας. Πρεσβευτην Σεβαστου και στρατηγον Λυκιας και Παμφυλιας. Πρεσβευτην και ἀντιστρατηγον Βιθυνιας. Πρεσβευτην και ἀντιστρατηγον Αυτοκρατορος Νερουα Τραιανου Καισαρος Σεβαστου Γερμανικου Δακικου ἐπαρχιας Συριας. Consularis, Graece ὑπατικος, exstat in marmore Gruteri [i]), sed quod est inferioris aevi, in quo Asclepiodotus dicitur ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ. ΤΠΑΤΙΚΟΣ. ΤΗΣ. ΚΡΗΤΩΝ. ΕΠΑΡΧΙΑΣ. *clarissimus consularis provinciae Cretae.* Atque ex hac causa etiam provinciarum, quibus consulares praefuere, metropoles, ut Tyrus, Carthago, dictae fuerunt ὑπατικαι, *consulares*, ut videre est apud Spanhemium [k]).

Vnum adhuc, sed diversae naturae legatum suppeditat Africa, proconsularis populi provincia, de quo haec Tacitus [l]): *Legio in Africa, auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant. Mox Cajus Caesar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconsuli legionem misso in eam rem LEGATO tradidit.* Narrat jam eodem loco, initio Vespasiani proconsulem in Africa fuisse L. Pisonem, eumque a Valerio Festo tum LEGATO nefarie interemptum. Idem refert Dio [m]), nimirum cum L. Piso (verius M. Silanus secundum Tacitum) Africam proconsularem regeret, veritus Caligula, ne is res novas moliretur, Africam in duas partes divisit, sic ut alteri exercitus et Numidas mandaret, additque, hunc morem divisae sic Africae sua adhuc aetate obtinere. Ejusdem conditionis legatus in Africa sub Neronis exitum memoratur Clodius Macer [n]), cujus etiam nummis, quos sub finem monetae Neronianae recito, legiones binae, quas ob-

a) Grut. 398. 2. — 492. 9. — 403. 1. b) Grut. p. 398. 1. c) Tom. II. p. 595. d) c. 41. e) hist. I. 9. f) in Vesp. c. 8. g) Murat. p. 691. 7. h) p. 317. 1. i) p. 1094. 4. k) Tom. II. p. 610. seq. l) Hist. IV. 48. m) L. LIX. §. 20. n) Suet. in Galba c. 11. Tacit. Hist. IV. 49.

Digitized by Google

tinuit, inscriptae leguntur. Ad haec observo, hos Caesarum in Africa legatos a legatis proconsulum eo etiam distinctos, quod hi una cum suis proconsulibus e provincia decesserunt [a]), et illos diutius in Africa restitisse [b]). Quae fuerit reliqua divisi hujus in Africa proconsulem inter et Augusterum legatos regiminis ratio, et an hi quoque dicti legati pro praetore ad morem aliorum in Caesaris provincias misserum, equidem ignoro. Istud certum, Clodium Macrum, de quo mox mihi sermo fuit, in nonnullis numis, sed quos plerique spurios censent, PROPR*aetorem* AFRICAE dici, atque eundem titulum praefert is, qui teste marmore Muratorii [c]) MISSVS. EST. AB. IMP. VESPASIANO. AVG. LEGATVS. PRO. PRAETORE. AD. EXERCITVM. QVI. EST. IN. AFRICA. ac praeterea in marmoribus copiosi occurrunt legati propraetores provinciae Africae etsi proconsularis, quos adeo pronum est suspicari, fuisse dictos modo legatos Augusti proconsulibus oppositos, quo de argumento mox iterum agemus.

Dixi supra, tempore Romae liberae, quo provincias constat divisas fuisse in consulares et praetorias, tamen in enunciandis earum rectoribus saepenumero fuisse variatum, sic ut perinde non raro haberetur, idem magistratus an proconsul, an propraetor diceretur. Major titulorum perturbatio, ex quo Augustus imperium in provincias suas et senatus secuit, quam ut explicatius ostendam, necesse est, veram harum appellationum naturam ex Augusti mente enucleatius proponere.

PROCONSVL. Sic proprie dicti praesides Asiae et Africae, quia in has missi fuere viri proconsulares, ut dictum supra §. II. Latius, sed tamen etiam ex mente Augusti, sic etiam vocati praesides illi, qui praetorias X. populi provincias obtinebant, ut dictum §. IV. et V.

PRAETOR. Sic dicti praesides in reliquas X. praetorias populi provincias missi, quia nonnisi praetura functi fuere. Vide §. II.

Vi utriusque hujus legis patet, perinde esse, utrum provinciarum populi rectores dicantur proconsules, an praetores. Sic Tacitus Granium Marcellum, Bithyniae sub Tiberio praefectum, *praetorem* vocat [d]), etsi Bithyniae praesides in numis passim dicantur ἀνθύπατοι, *proconsules*, ut ex praefixo catalogo abunde liquet. Idem Tacitus e converso de Petronio [e]): *proconsul tamen Bithyniae, mox consul.* Utrumque jure. Praetorem dixit Tacitus, quia Bithynia fuit provincia praetoria, proconsules numi, quia, ut modo diximus, proconsulis nomen omnibus provinciarum senatus rectoribus permissum. Atque secundum hanc legem passim videre est cum in scriptoribus, tum marmoribus proconsules Achaiae, Baeticae, Cretae et Cyrenaicae, Cypri, aliarumque populi provinciarum. Ceterum satis laxe scripsit Tacitus, cum rectorem

a) Tacit. Ann. XII. 59. b) Tacit. hist. IV. 48. c) pag. 366. 5. d) Ann. I. 74. e) Ann. 16. c. 18.

Digitized by Google

Asiae proconsularis appellavit praetorem [a]).

LEGATVS, vel: LEGATVS. AVGVSTI, vel: LEGATVS. PROPRAETORE, quos varios modos, quibus provinciarum Caesaris rectores designantur, supra exposui.

Ex his praeceptis suapte sequitur, cum *proconsulem* legimus, intelligendum rectorem provinciae senatus populique, cum *propraetorem*, vel *legatum pro praetore*, rectorem provinciae Augusti. At enim frequentissime legimus, ac praecipue in marmoribus, iis provinciis, quae ex primo Augusti instituto ad senatum pertinuere, praefuisse legatos Augusti pro praetore. Exempla non adfero, quod haec passim habentur apud Gruterum, Muratorium, aliosque epigrammatum compilatores, quodque magis mirum, eorum testimonio jam proconsules, jam rectores Augusti ipsa habuit Africa, quae tamen inter praecipuas populi provincias fuit, atque, ut diximus, proprie proconsularis. Sic LEG. PROPR. PROVINCIAE. AFRICAE. habes apud Gruterum [b]). Videri posset, his Africae legatis propraetoribus intelligendos illos legatos, quos mixto cum proconsulibus imperio missos ab Augustis in provinciam Africam supra ex Tacito et Dione docui, neque istud injuria. Verum istud in Asia quoque constitutum, provincia ejusdem cum Africa naturae, et aeque proconsulari, nemo veterum prodidit, et tamen non minus frequenter legitur LEG. PROPR. PROVINCIAE. ASIAE. [c]). Cujus quidem dissidii alia adferri causa idonea non potest, quam quod saepe Augusti sive libidine, sive ex causis urgentibus provincias suas cum provinciis populi mutavere. Istud diserte jam docuit Dio, et quidem jam factum ab Augusto hujus divisionis auctore [d]). Tiberius Macedoniam et Achaiam, provincias antea proconsulares, fecit suas [e]). Eadem populo restituit Claudius [f]). Ab Hadriano Bithynia facta provincia Augusti, et pro hac populo data Pamphylia [g]). M. Antoninus provincias ex proconsularibus consulares, aut ex consularibus proconsulares aut praetorias pro belli necessitate fecit [h]). Quapropter nequaquam mirum, ut provinciarum formam, sic et rectorum statum vario tempore fuisse varium. In aliquot marmoribus memorantur *Prolegati* provinciarum, quos verisimile est fuisse legatos vicarios et ad tempus suffectos.

Ceterum universa haec causa quanto magis est impedita et undique confusa, tanto fuit diligentius adcuratiusque tractanda. Neque tamen et sic omnes possunt difficultates enucleari, quae non raro variarum id genus appellationum explicationem impediunt. Satis sibi beata nostra videtur ars, si, quemadmodum medicina, in commune consulit, malis immedicabilibus suae fortunae relictis.

* * *

Agmen claudunt PRAESIDES, Grae-

a) Ann. IV. 15. b) pag. 427. 9. — 390. 2. — 471. 6. — 498. 5. — 398. 2. — 403. 1. c) Gruter pag. 442. 2. — 390. 2. — 471. 6. d) L. LIII. §. 12. e) Tacit. Ann. I. 76. f) Suet. in Claud. c. 25. g) Dio L. LXIX. 14. h) Capitolin in M. Antonin.

Digitized by Google

cis ΗΓΕΜΟΝΕΣ. De hoc nomine haec Macer [a]: *Praesidis nomen generale est, eoque et proconsules, et legati Caesaris, et omnes provincias regentes, licet senatores sint, PRAESIDES appellantur.* Atque in hoc haud dubie sensu Moesiae rector a Trajano dicitur *praeses* [b]. Necesse non puto, orationem hanc exemplis a Latinis scriptoribus petitis confirmare. Vt Latinorum praeses nomen fuit generale, sic et Graecorum ἡγεμων; nam nullus fuit majoris imperii magistratus, quem illi non ἡγεμονα dixissent, ut proconsulem Asiae passim Aristides, et Iosephus [c], Achaiae Pausanias [d], Ciliciae marmor Tarsense apud Paulum Lucas [e], ΤΟΥ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΥ. ΗΓΟΥΜΕΝΟΥ. ΗΜΩΝ. Marmor Ancyranum laudat ΙΟΥΛΙΟΝ. ΣΑΤΟΡΝΕΙΝΟΝ. ΤΟΝ. ΗΓΕΜΟΝΑ [f]. Narrat Polybius [g], Romanos copiis adversus Hannibalem egressis praefecisse ἑξωπλεκυν ἡγεμονα, *sex securium ducem*, quo nomine intelligendum praetorem supra diximus. Quid quod Strabo Augustum ipsum vocat ἡγεμονα των Ρωμαιων [h]. Iure ergo scribi potuit ΝΕΡΩΝΟC. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΗΓΕΜΟΝΙΑ, *Neronis Claudii principatus* in numo Perperenes Mysiae, quem ex musco suo edidit Harduinus, (num. ill. sub *Perperene.*) et restituit Morellius [i]. Apud S. Lucam [k] idem ἡγεμονος nomen tribuitur tam Tiberio Augusto, quam Pontio Pilato procuratori Iudaeae. Εν ἐτει δε πεντεκαιδεκατῳ της ἡγεμονιας Τιβεριυ Καισαρος, ἡγεμονευοντος Ποντιυ Πιλατυ της Ιυδαιας κ. τ. λ.

Hactenus extra Thraciam, et saltem Moesiam inferiorem numus conspectus non est, qui suum provinciae rectorem ἡγεμονα diceret. Novi, vulgatum ab Harduino Clazomenarum numum cum capite Claudii et epigraphe: ΕΠΙ. ΗΓΕΜΟΝΟΣ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ, sed miror, hoc loco, quod facere semper alias solitus est, neglectam musei mentionem tam rarum numisma servantis, ac praeterea illud neque a Vaillantio, neque alio quoquam citari. Quanquam etsi talis esset epigraphe, qualis praetenditur, istud sententiae meae non adversaretur, quia tum Asclepiades, per ipsum hoc nomen plane Graecum et nullatenus Romanum, privatum Clazomenarum magistratum indicaret, mihi autem de magistratu Romano sermo sit. Fuere, qui in numo Communis Ioniae legerent ΗΓεμονος, ΚΛ. ΦΡΟΝΤΟΝΟC., sed quam lectionem impugnavi in prolegomenis ad numos Ioniae.

Inscriptos harum regionum numis ἡγεμονας fuisse praefectos Romanos, qui toti provinciae praefuere, non vero privatos urbium magistratus, eo primum arguimus, quod haec nomina constanter sunt gentium Romanarum, deinde quod idem praeses, et eodem quidem tempore legitur in numis variarum Thraciae urbium. Sic Pompejum Vopiscum memorant numi Bizyae, Hadrianopolis, Pautaliae, Philippopolis, Plotinopolis, omnes cum ca-

a) L. I. ff. de offic. praesid. b) Plin. jun. L. X. epist. 53. c) bell. Iud. L. II. c. 16.
d) L. VII. c. 16. e) Voyage T. I. p. 323. f) Tournefort. g) Hist. L. II. c. 24.
h) L. III. p. m. 253. i) Specim. tab. XXI. k) c. 3. v. 1.

Digitized by Google

pite Antonini Pii. Alia exempla dabunt inspecti ipsarum urbium numi.

Constituto igitur, ἡγεμόνας fuisse homines Romanos ad regendam totam provinciam missos, quaeritur, quoniam ἡγεμών, ut diximus, et proconsulem, et legatum Caesaris significavit, fuerit-ne is magistratus provinciae senatus, an Augustorum. Fuisse Augustorum, eo probat Spanhemius [a]), quod Strabo in Caesarum provincias missos ἡγεμόνας, καὶ διοικητὰς, *praesides et procuratores* narrat [b]). At enim hoc Strabonis testimonio non satis comprobata causa videtur propterea, quod apud scriptores laxior fuit ἡγεμόνος significatio. Certius magistratum Augusteum comprobat historia Thraciae, qua docemur, eam regionem a Vespasiano demum in provinciam fuisse redactam, ut diximus in prolegomenis ad monetam Thraciae. Iam vero stabilivimus supra, regiones omnes, quae post constitutam ab Augusto provinciarum divisionem Romano imperio adjunctae fuerunt, Augustorum fuisse factas provincias. Accedit, in numis urbium Thraciae, puta Perinthi, Bizyae, Philippopolis, jam inde a Trajano memorari legatos pro praetore, quos fuisse magistratum Augusteum, non senatus populique, satis supra disputavimus. Addit Spanhemius [c]), praesidis nomen lapsu temporis de iis, qui minores provincias, et quidem Caesaris administrarent, fuisse usurpatum, idque probat ex Lampridio de Alexandro Sev. narrante: *provincias praetorias PRAESIDIALES plurimas fecit, proconsulares ex senatus voluntate ordinavit*, ubi, inquit, per praetorias, ac proinde praesidiales, Caesaris, per proconsulares populi provinciae intelligendae veniunt. Ergo cum Thracia fuerit una ex Caesarum provinciis, harum rectores legati Caesarum, indubitatum videtur, ἡγεμόνος nomine legatum Caesarum intelligendum. Interim mirum tamen, si ἡγεμών idem fuit cum legato propraetore Augusti, in Thraciae urbium numis usque ad Antoninum semper prodi legatum Augusti, dempta forte Anchialo, ab hoc constanter deinceps ἡγεμόνα. Mirum etiam, in sola Thracia et Moesia Augustorum magistratum dici ἡγεμόνα, quando testibus marmoribus aliarum Augusti provinciarum rectores dici adhuc perrexere legati pro praetore, ipsum vero praesidis nomen inde a Carino demum et Diocletiano usurpari coepit, cujus exempla affatim dabunt Gruterus et Muratorius. Dixi, testibus marmoribus, quia numi post Antoninum Pium omni jam proconsulum et legatorum mentione abstinent. In marmore Gruteri [d]), quod imperante Alexandro Severo, certe non ante hunc, epigraphen sortitum est, habemus *Q. Atrium. Leg. Aug. Pr. Pr. Provinciarum. Thraciae. Cappadociae. Syriae. Majoris*, ergo legatum pro praetore, non praesidem. Atque his cognitis difficile sane erit rationem reddere, non modo cur in rectorum titulis in una Thracia tam sit variatum, sed etiam cur una Thracia rectores suos ἡγεμόνας appellaverit. Qua forte in causa non vane quis conjecerit, Graecas Thraciae urbes praefectos suos, quos proprie legatos pro

a) T. II. p. 597. b) L. XVII. p. 840. c) l. c. p. 598. d) p. 1091. 5.

Digitized by Google

praetore dici oportuit, generatim vocasse ἡγεμονας, quo modo omnis generis magistratus, qui sane certa sua ac propria habuere vocabula, tam a scriptoribus, quam in marmoribus dici videmus nomine generico ἀρχοντας, vel: ὑπαρχους, etc. ut in marmore Gruteri Agorius dicitur ΕΠΑΡΧΟΣ Κρητης, *praefectus provinciae* Cretae, pro ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ, *proconsul.*

Supersunt monenda pauca, quae ad genuinam vocabuli ἡγεμονος lectionem pertinent. Vaillantius, et qui eum secutus est, auctor musei Theupoli, aliquoties legunt: ΗΓΕΜΟC. TATIANOC. vel: ΗΓΕΜΟC. TIB. ΒΑΡΒΑΡΟC. Verum ΗΓΕΜΟΣ pro ΗΓΕΜΩΝ, manifestum adversus grammaticam peccatum tamdiu in numis non admittam, dum fide dignior alter illud testimonio suo stabiliat. In numo Pautaliae musei Caesarei legitur ΗΓΕΜΟ subjecto puncto luculento, explendum adeo legendo ΗΓΕΜΟνος. Istud praeterea singulare in his ἡγεμονων numis, quod nunquam praefigant particulas ΕΠΙ. vel ΤΠΟ. sed semper absolute ponantur.

§. IV.

DE QVAESTORIBVS, PROQVAESTORIBVS, QVAESTORIBVS PRO CONSVLE, QVAESTORIBVS PRO PRAETORE.

Quaestores, Graecis Ταμιας, omnis omni aevo respublica habuit, quorum erat administrare pecunias publicas, et praeesse aerario. In Romanorum moneta non infrequens eorum mentio, qui quaesturam in urbe obivere. Exstant in denariis TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. *Quaestor* DESIG*natus*, et Q. VOCONIVS. VITVLVS. Q. DESIGN. tum vero: NERI. *Quaestor* VRB*anus*. — T. MAL. AP. CL. Q. VR. — PISO. CAEPIO. Q. — P. SABIN. Q. — C. FVNDAN. Q. — L. TORQVA. Q. EX. S. C. De his vide numos familiarum. Ταμιας, quatenus hi fuere privatus urbium Graecarum magistratus, inscriptos numis Pergami, Rhodi, Smyrnae, supra dedimus.

Crescente Roma missis in provincias proconsulibus, praetoribusve additus quaestor, cujus erat, militibus stipendia persolvere, tabulas accepti et expensi conficere, praedam in tabulas referre, et similia, habebantque suos fasces, quibus tamen caruere quaestores urbani, sed sine securibus, ut existimat

Digitized by Google

Spanhemius a). Quaestores, sive proquaestores non raro familiarum denariis inscriptos reperias. Sic: L. FABI. L. F. HISP. Q. et Q. TARQVITI. P. F. Q. uterque quaestor C. Annii proconsulis. L. MANLI. PROQ*uaestor* L. Cornelii Sullae, VARRO. PROQ. et CN. PISO. PROQ. et P. MINAT. SABIN. PROQ. proquaestores Pompeji M. L. SESTI. PROQ. M. Bruti. De his agitur in numis familiarum.

In numis commatis peregrini memorantur quaestores Romani.

CN. IVLI. L. F. *Quaestor*, in numis Cordubae Baeticae.

M/. ACILI. *Quaestor* in numis coloniae Panormi.

L. AP. DEC. *Quaestor* in numis Vrsonis et Mundae Baeticae urbium.

AESILLAS. *Quaestor* in tetradrachmis Macedonum.

ΓΑΙΟΥ. ΤΑΜΙΟΥ. vel: ΤΑΜΙΟΥ. ΓΑΙΟΥ. ΠΟΠΛΙΛΙΟΥ. vel ΤΑΜΙΟΥ. ΛΕΥΚΙΟΥ. ΦΟΔΚΙΝΝΙΟΥ. in aeneis Macedonum, quos vide.

ΠΟΤΠΙΟC. POTΦOC. TAMIAC. in Cyrenaicis.

Hi ergo numi omnes partim commatis Romani, partim peregrini, et tempore reip. signati, magistratum offerunt, dictum *quaestorem*, vel *proquaestorem*. Fueritne *quaestor* idem, quod *proquaestor*, aut aliquod inter utrumque discrimen, equidem ignoro. Secundum Pitiscum (in lexic. sub *Proquaestore.*) fuit Proquaestor is, qui quaestore aut mortuo, aut de provincia decedente muneri quaestorio praeficiebatur. Verum nescio, an istud satis ex citatis binis Ciceronis locis Verrinae I. cap. 15, et 36 probet. Non negavere, suffectos hos quaestores dictos fuisse, aut potuisse dici proquaestores, at enim hanc appellationem in duplice tantum hoc casu valuisse, nullo pacto verisimile videtur, nisi statuere velis, omnes hos, qui citatis modo denariis inscripti sunt, aut qui alibi apud auctores leguntur, quorum complures collegit Spanhemius b), non fuisse pro quaestore ex urbe in provinciam missos, sed vel quaestore mortuo, vel ex provincia egresso vicariae quaesturae praefectos. Alterutrius sane naturae non fuit Lentulus Spinther, quem in Asiam proquaestore propraetore misum mox infra dicemus. Ait Spanhemius c), ut quaestoris, ita proquaestoris occurrere apud veteres auctores mentionem. Istud pol sciveramus, verum, fueritne aliquod inter utrumque discrimen, dicere neglexit. Credam, quaestorem et proquaestorem sic perinde habitum, ut saepe praetorem et propraetorem. Proquaestoris appellatio sub Augustis fere desiit. Sane unicum ejus certum exemplum reperi in marmoribus, et quidem in cenotaphii Pisani fine: CORAM. PROQVAESTORIBVS. Semel etiam neque saepius, proquaestorem Graece redditum Αντιταμιαν in marmoribus observavi, nempe in marmore Muratorii d): ΓΑΙΟΝ. ΟΤΕΡΓΙΛΙΟΝ. ΓΑΙΟΥ. ΤΙΟΝ. ΒΑΛΒΟΝ. ΑΝΤΙΤΑΜΙΑΝ.

Restant *Quaestores pro consule*, et *pro praetore*. Vtriusque simplex exemplum in numis reperio:

M. SILANVS. AVG. Q. PRO. COS. in denario M. Antonii.

a) T. II. p. 164. b) T. II. p. 166. c) l. c. d) p. 1022. 4.

Digitized by Google

ΠΟΤΠΙΟC. ΡΟΤΦΟC. TAMIAC. in aliis: ΑΤΛΟC. ΠΟΤΠΙΟC. TAMIAC. ANTICTPA. in aliis: ΠΟΤΠΙΟC. ANTICTPA. KAI. TAMIAC. in numis Cyrenaicae.

M. Silanus in denario dicitur *quaestor pro consule*, haud dubie, quod qualemcunque provinciam, proconsule ex qualicunque causa carentem, pro consule rexit, donec illi M. Antonii jussu successum esset, vel quod in eam provinciam quaestor preconsulari potestate missus esset. Haec ex sequentibus clarius patebunt.

Numi alterius loci A. Pupium *quaestorem pro praetore* disertis verbis praedicant, quem quidem magistratum aliquanto verbosius explicare proderit, quia video, viris etiam eruditis in eo recte definiendo tenebras fuisse offusas. Sane Pellerinius, cum similem Pupii numum vulgaret [a]), ignoramus, inquit, sitne exemplum, quaestorem eodem tempore dictum quoque pro praetorem, et esset operae pretium, si vir quispiam eruditus huic argumento lucem adfunderet. Et volupe est, et neque difficile, viri insignis voluntati satisfacere. Vt taceam, factum saepe, ut proconsules, vel praetores, cum e provincia discederent, vel in bello a castris longius abessent, provinciae vel castrorum regimen permitterent quaestori suo, qua adeo de causa vere dici poterant quaestores pro consule, vel pro praetore, copiosis etiam erudimur exemplis, quaestores pro praetore, vel praetorio imperio ex urbe in provincias missos. Sallustius [b]): *Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est.* Teste Vellejo [c]) Clodius legem tulit, ut Cato *QVAESTOR CVM IVRE PRAETORIO adjecto etiam QVAESTORE mitteretur in insulam Cyprum.* Constat, P. Lentulum Spintherem V. C. 710. post Caesaris caedem in Asiam extra ordinem proquaestore propraetore missum, docente istud epistola, quam is ad senatum scripsit praefixo titulo: P. LENTVLVS. P. F. PROQVAEST. PROPR. [d]). Apud Iosephum L. Antonius dicitur ἀντιταμίας καὶ ἀντιστρατηγός, *proquaestore*, *propraetore* [e]). Apud Sallustium Marius consul a castris longius profectus Sullam quaestorem suum pro praetore reliquerat [f]). Idem comprobant copiosa marmora. En pauca: CN. CALPVRNIVS. CN. F. PISO. QVAESTOR. PROPR. EX. S. C. PROVINCIAM. HISPANIAM. CITERIOREM. OPTINVIT. [g]) L. ACILIO. L. F. Q. N. RVFO. Q. PROPR. PROVINC. SICIL. etq. [h]). In marmore Athenis reperto: Ο. ΔΗΜΟΣ. ΠΟΠΛΙΟΝ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΝ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΥΙΟΝ. ΣΚΙΠΙΩΝΑ. TAMIAN. ΚΑΙ. ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ. ΑΡΕΤΗΣ. ΕΝΕΚΑ. [i]). Et duravit hic magistratus per Augustorum imperium. Flaviorum aetate Cn. Domitius Afer dicitur: QVAESTOR. PROPRAETORE. PROVINC. AFRIC. [k]). Marmor aliud de Geta Severi Aug. fratre: ΠΟΤΒΛΙΟΝ. CΕΠΤΙΜΙΟΝ. ΓΕΤΑΝ. ΤΑΜΙΑΝ. ΚΑΙ. ΑΝΤΙCΤΡΑΤΗΓΟΝ. ΚΡΗΤΗC. ΚΑΙ. ΚΤΡΗΝΗC. κ. τ. λ. [l]). Hi ergo

a) Rec. I. in praef. p. XIV. b) bell. Catil. p. m. 16. c) L. II. c. 45. d) Cicer. Famil. L. XII. ep. 15. e) Ant. L. XIV. c. X. §. 17. f) Bell. Iug p. m. 149. g) Grut. p. 383. 5. h) ibid. p. 344. 8. i) Chandler. Inscr. ant. p. 57. 36. k) Gruter p. 403. 1. l) Grut. p. 1099. 7.

Digitized by Google

quaestores praetorio jure in provinciam missi multum utique praestabant quaestoribus provinciarum ordinariis, quos etiam sibi additos et subjectos habebant, ut mox de Catone vidimus, erantque tum supremi provinciarum rectores. Atque haec fuit causa, cur in nonnullis A. Pupii numis adjectas fascibus secures conspiciamus, quibus carebant fasces ordinariorum provinciae quaestorum, ut jam observavit Spanhemius [a]).

Cum his quaestoribus pro praetore conjungendi denique ii quaestores, vel proquaestores, qui officii sui vocabulo adjiciunt litteras P. vel PR., vetere dissidio, quo modo solitariae hae literae sint enunciandae. En tibi eorum catalogum, mixtis iterum numis commatis Romani et peregrini.

M. BARBAT. Q. P.

L. GELL. Q. P.

M. NERVA. PROQ P.

Omnes hi tres memorantur in denariis M. Antonii, nempe constituti ab hoc in variis provinciis quaestores.

C. VIB. MARSO. PR. COS. addito: DRV*so* CAE*sare* Q. PR. in aliis: NERO*ne* CAE*sare* Q. PR. in numis Vticae, et cum capite Tiberii Aug.

Dixi variare eruditorum sententias in explicandis decurtatis his vocabulis Q. P., legentibus aliis *Quaestore Provinciae*, aliis *Quaestore Propraetore*, aliis *Quaestore Publico*, etiam *Quaestore Praetorianorum*, quas sententias a variis collectas enumerat Spanhemius, e quibus verisimiliorem illam putat, quae explicat *Quaestor Provinciae*, ea praecipue de causa, quod quaestores provinciae saepe in marmoribus occurrant [b]). Verum non minus frequenter in his occurrunt quaestores pro praetore, ut adeo non minus hi literis Q. P. vel Q. PR. intelligi posse videantur. Quod si istud minus probabitur propterea, quod verisimile non sit, eodem tempore in eadem provincia fuisse proconsulem, et una quaestorem pro praetore, quo modo secundum citatos Vticae numos eodem tempore in provincia fuisset proconsul C. Vibius Marsus, et quaestores pro praetore Nero et Drusus Caesares, possum opponere marmor Gruteri, in quo exaratum legimus: DEDICANTIBVS. M. HATERIO. CANDIDO. PROCOS. ET. L. CORNELIO. MARCELLO. Q. PR. PR. [c]). quae postrema verba nemo dubitabit legenda esse *quaestore pro praetore*. Atque eandem lectionem in citatis quoque M. Antonii denariis praeferendam, colligo ex numis L. Gellii, et M. Cocceii Nervae. Dicemus in numis gentis Gelliae, fuisse hunc Gellium inter principes M. Bruti amicos; ex quo apparet, fuisse eum jam tum hominem gravem, et rebus gerendis idoneum. Idem subinde cum prodito perfide Bruto ad Antonium descisceret, an nactus esset dignum defectionis praemium, si vir magni in parte adversa nominis provincialem denique quaesturam ab Antonio abstulisset, quod munus quoddam velut fuit rerum gerendarum initium, et sic quidem, ut propterea quaestor praetori suo filii loco haberetur? At majoris est momenti, quod sequitur. In annalibus Augu-

a) T. II. p. 164. b) l. c. p. 161. c) p. 100. 10.

Digitized by Google

sti ad annum V. C. 715. dicemus, hoc anno ab Antonio et Octaviano consules in octo annos designates, nimirum ut jam tum gratos esse probarent iis, quorum hactenus fideli opera ad suam ornandam amplificandamque dignitatem experti sunt. Hos inter fuere L. Gellius et M. Nerva, qui hoc, quo dixi anno, designati, revera V. C. 718 processerunt, dicti nunc in numis Q. P. vel PROQ. P. Sed enim quod tam illustre meritum esse potuit quaestoris provinciae, quo sibi inter praepotentes aemulos consulatum, maximam in rep. dignitatem, poterat promereri? Ruit omnis haec difficultas, si statuamus, legendas eas litteras *Quaestor Propraetore*, quem magistratum fuisse honorificum, et summis etiam interdum viris collatum, patet ex citatis supra exemplis Catonis et Lentuli, qui honoris causa quaestores cum jure praetorio hic in Asiam, ille Cyprum missi sunt.

§. V.

DE PROCVRATORIBVS.

Procurator Graecis Διοικητης, frequentius Επιτροπος, in uno, summum duobus hactenus numis repertus.

ΕΠΙ. Λ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΝΑΣΩΝΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΥ. ΒΙΘΥΝΙΑ. in numo Vespasiani.

Similem haud dubie inscriptionem habet numus Domitiani, sed quam ex numo suo male, ut videtur, recitat Vaillantius, ut dixi in moneta Bithyniae in genere.

Primus Augustus procuratores ad rationem provincialis evexit. Dio ad annum V. C. 727 [a]): *Etiam procuratores (sic enim vocamus eos, qui publicos reditus colligunt, et praescriptos sibi sumptus faciunt) in omnes provincias tam suas, quam populi, alios quidem ex equitibus, alios ex libertis mittit, nisi quod proconsules iis in locis, quibus praesunt, tributa exigunt. Etiam mandata quaedam dat imperator his procuratoribus, et proconsulibus, et propraetoribus, ut certis legibus in provincias eant.* Strabo [b]) agens de Hispania, *sunt*, inquit, *ibi et procuratores Caesaris (επιτροποι του Καισαρος) qui militibus pecuniam ad vitae necessitatem suppeditant.* Ab his ergo testimoniis discimus, procuratores ex equestri ordine captos fuisse, confirmante istud etiam Tacito [c]): *Iulius Agricola utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est.* Discimus etiam, quid procuratoribus lege praescriptum fuerit, nimirum ut publicos reditus colligerent,

a) L. LIII. §. 15. b) L. III. p. m. 254. c) in Agric. c. 4.

Digitized by Google

et necessarias inde expensas caperent, quas inter erant etiam stipendia militum. Nonnunquam vero etiam privatas tantum imperatorum pecunias procurasse, colligo ex Taciti loco mox citando, quo docemur, a Tiberio procuratori Asiae jus non fuisse datum, nisi in servitia et pecunias familiares. Munus istud, uti suapte publicum sibi odium imposuit, ita nonnullorum avaritia et duritie infame redditum. Enimvero conquestos legimus Britannos: *singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret* [a]). Interim varia eorum fuit potestas, sive ex usu singularum provinciarum, sive ex praescripto singulorum imperantium, ut recte supra dixerat Dio, procuratores certis quibusdam legibus ab imperatore praescriptis in provincias mitti. Lucilio Capitone Asiae procuratore a provincia accusato adseveravit Tiberius: *non se illi jus nisi in servitia et pecunias familiares dedisse; quod si vim praetoris usurpasset, manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua* [b]). Majoribus eos provinciae praesidibus fuisse subjectos, Iudaeae historia docet, quae suos quoque habuit procuratores, ex quibus notior Pontius Pilatus apud Iosephum [c]), et de quo Tacitus [d]): *Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat.* Divisa namque sub Claudio Iudaeae procuratione, sic ut Galilaeorum natio Ventidio Cumano, Samaritani Felici parerent, hisque regionem latrociniis caedibusque misere infestantibus, *arsisset*, inquit Tacitus, qui haec refert [e]), *bello provincia, ni Quadratus Syriae rector subvenisset.* Iam etiam inde ab aliquot annis, ut idem narrat [f]), Iudaea provinciae Syriae addita fuit, ex quo Quadrati in Iudaeae procuratores jura. Temporarium nonnunquam imperium nacti sunt, cum succederent in locum praesidis in magistratu mortui, quod me docuit Norisius [g]), citato testimonio ex actis martyrii S. Perpetuae: *Hilarianus procurator, qui tunc loco proconsulis Minutii Timiani defuncti jus gladii acceperat.* Tale etiam fuit imperium, extra ordinem Trebonio Africae procuratori a Galba datum, ut Clodium Macrum Africae legatum res novas molientem e medio tolleret [h]). Ait Gordianus [i]): *Procuratori nostro non vice praesidis agenti etc.* ergo aliquando procuratores vice praesidis functi sunt. Vide etiam constitutiones Decii et Valentiniani [k]), et Caracallae [l]).

At fuere etiam regiones, quarum regimen penes unum procuratorem stetit. Harum nonnullas enumerat Tacitus, cum provinciarum statum sub excessum Neronis enarrat. *Duae Mauretaniae*, inquit [m]), *Rhaetia, Noricum, Thracia, et quae aliae procuratoribus cohibentur.* Atque ad hos credo pertinere, quod sanciri voluit Claudius teste Tacito [n]): *parem vim rerum haben-*

a) Tacit. in Agric. c. 15. b) Tacit. Ann. IV. 15. c) B. Iud. L. II. c. IX. §. 2. d) Ann. XV. 44. e) Ann. XII. 54. f) l. c. c. 23. g) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. p. m. 405. h) Tacit. Hist. I. 7. i) Cod. L. III. tit. III. §. 1. de procuratore Caesaris. k) ibid. tit. 22. et 26. l) Cod. L. IX. tit. 47. §. 2. m) Hist. I. 11. n) Ann. L. XII. 60.

Digitized by Google

dam a procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset. Quod idem narravit quoque Suetonius [a]). Vnde factum existimo, ut non contenti procuratores eo, quod erant, nobiliores nonnunquam titulos adfectarent. Nimirum legimus apud Gruterum: PROCVRATORI. ET. PRAESIDI. ALPIVM. COTTI. [b]) et alibi apud eundem: PROCVR. AVGVSTOR. ET. PROLEG*ato* PROVINCIAI. RAITIAI. ET. VINDELIC. ET. VALLIS. POENIN. [c]). Quid quod et Epictetus apud Arrianum [d]) procuratorem Epiri vocet ἄρχοντα Epirotarum.

Ceterum in explicando vero procuratorum statu multa adhuc sunt ambigua et incerta. In causa est, quia, ut dixi, varia fuit eorum potestas, quae fere a principis nutu pendebat, et quia plerumque scriptores minus clare sunt locuti, quo factum, ut recentiorum judicia non raro a vero longe aberrarent. Exempli causa: dixit Dio loco, quem statim principio citavi, proconsules in iis locis, quibus praesunt, non procuratores, tributa exigere. Ad quae verba notat Fabricius: *Proconsules hoc loco vocat praefectos provinciarum, quas non sibi Augustus regendas sumserat, sed populo reliquerat; illos enim omnes, etiam qui propraetore essent, communi proconsulum nomine venire dixit.* Sin istud, ergo sibi planissime contradixit Dio, qui paullo supra mitti procuratores tam in Caesaris quam populi provincias dixit. Verius hoc loco Dio nomine proconsulum intellexit praesides Asiae et Africae, qui soli proprie proconsules dicti sunt, quia consulatu functi, ut alias satis dixi, et quae sententia opportune confirmatur oraculo Tiberii supra citati, quo is professus est, non se procuratori Asiae jus nisi in servitia et pecunias familiares dedisse.

Ad L. Antonium Nasonem procuratorem ut revertar, ut unicum istud est hactenus exemplum memorati in moneta procuratoris, ita mirum, a Bithynis numo Vespasiani inscribi procuratorem, quando hi inde ab Augusto, et sub ipso etiam Vespasiano omnibus aliis numis inscribere proconsules suos sunt soliti. An is in locum proconsulis sive mortui, sive avocati interim successit, cujus simile exemplum ex actis S. Perpetuae supra dedimus? An jam sub Vespasiano aliquid in Bithyniae regimine immutatum? Quae quidem omnia ignoramus.

---

a) In Claud. c. 12. b) pag. 493. 6. 7. c) pag. 376. 6. d) L. III. c. 4.

Digitized by Google

§. VI.

DE PONTIFICE, SEPTEMVIRO EPVLONVM.

Ex viris privatis, neque enim hic agimus de pontificibus Augustis et Caesaribus, binos reperio pontifices numis commatis peregrini inscriptos.

BALBVS. PONT. Instrumenta pontificalia, in autonomo aeneo Gadium Baeticae.

De hoc pontifice Cornelio Balbo vide quae notavimus in moneta hujus urbis.

CN. ATELLIVS. PONTI. II. V. Q. in numo Iubae II. Carthagine Nova signato.

* * *

Semel etiam in moneta peregrina proditur VIIvir epulonum, noti apud Romanos sacerdotii.

APR. FA. MAX. COS. PROCOS. VII. VIR. EPVLO. in numo Hadrumeti Byzacenes.

In denariis gentis Coeliae legimus quoque: L. CALDVS. VIIVIR. EPVL. In illustri marmore Pergameno, quod edidit Sponius [a]), tum et Smithius, Wehlerus, Muratorius, habemus ΓΑΙΟΝ. ΑΝΤΙΟΝ. - - - ΣΕΠΤΕΜΟΤΙΡΟΤΜ. ΕΠΟΤΛΟΝΩΝ. non habentibus Graecis verba idonea, quae sacrum hunc magistratum exprimerent, perinde ac illum, qui continuo sequitur: ΠΑΤΡΕΜ. ΑΡΟΤΑΛΕΝ.

§. VII.

DE PARENTIBVS, PATRONIS.

Complures habemus numos urbium, quae viros illustres hoc elogio donavere.

M. AGRIPPA. MVNICIPI. PARENS. vel: MVNICI*pi* GA*ditani* PATRON*us*, vel conjunctim: PATRONVS. PARENS. MVNICIP. in numis Gadium Baeticae.

P. AVR*elius* COT*ta* PA*tronus*, in numis Emporiarum Tarraconensis.

---

a) Voyage T. III. p. 140.

Digitized by Google

CN. COR. M. TVC. PATR*oni*, in numis Paesti Lucaniae.

Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΣ. ΠΑΤΡΩΝ. — ΕΠΙ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡ*ωνος*. — ΕΠΙ. ΦΡ. ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΥ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. Β. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΝΕΙΚΟ*μηδιας*. — ΚΛΑΤΔΙΟΥ. (forte ΚΑΔΙΟΥ.) ΡΟΥΦΟΥ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡ*ωνος*. — Μ. ΤΑΡΚΤΙΤΙΟΥ. ΠΡΕΙΣΚΟΥ. ΑΝΘΤΠΑΤΟ. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. — ΕΠΙ. ΑΤΤΙΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. — Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. Β. (subaudi ΠΑΤΡΩΝΟΣ.) ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΝΙΚΟΜ. in numis Nicaeae et Nicomediae Bithyniae urbium, quos plenius descriptos vide in prolegomenis ad numos Bithyniae.

* * *

Patronus a Romanis dicebatur, quem sibi quis inferior, suaeque conscius infirmitatis delegerat, ut sibi adversus potentiorum vim praesidio esset, quemque adeo *parentis* loco habere est solitus, sic ut hujus causa observantiae parens quoque dici consueverit. Neque singuli tantum privique, sed integra etiam conlegia, corpora, communitates illustriorem quempiam virum, qui se suaque tueretur, sibi patronum praefecere, cujus exempla passim offerunt marmora. Denique et urbes, municipia, coloniae, quin et provinciae viro cuipiam praecipuae in urbe auctoritatis se in clientelam dedere, qui apud senatum populumque R., si quid adversi ingrueret, causam suam tueretur. Nemo istud disertius Dionysio Halicarnassensi docuit. *Nec tantum*, inquit [a]), *in ipsa urbe plebs sub patriciorum erat patrocinio, sed et coloniarum, et sociarum atque amicarum civitatum, et bello subactarum suos quaeque habuit tutores ac patronos, quoscunque vellet e Romanis; et saepenumero senatus controversias civitatum ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque judicia rata habuit.* Eximia sunt aliquot apud Gruterum epigrammata, in quibus patronatus hospitiumque et oblatum et susceptum perhibetur. Legitur in tabula aenea aevi Augustei [b]): *Civitas Apisia majus* (Zeugitanae Africae) *hospitium fecit cum C. Silio C. F. Fab. Aviola - - - eum, liberosque, posterosque ejus sibi, libertis, posterisque suis patronum cooptarunt.* Sequitur continuo: *C. Silius C. F. Fab. Aviola - - - civitatem Apisiam majus, liberos, posterosque eorum sibi, liberis, posterisque suis in fidem clientelamque recepit. Egerunt Hasdrubal Litmne, Hasdrubal Hannonis Chinisdo Sufetes.* Ejusdem rationis est tabula aenea proxima civitatis Siagitanae Zeugitanae, et alia apud eundem [c]), in qua civitates Civilitana et Hadrumetina provinciae Byzacenae Valerium Proculam provinciae suae praesidem patronum coeptat. Ad provincias quod attinet, Siculi, exactis a Marcello ex insula Poenis se huic posterisque ejus in clientelam dedere, unde Marcelli a Cicerone *antiquissimi Siciliae patroni* dicuntur [d]). Alios totarum regionum patronos collegit Norisius [e]).

a) L. II. p. 85. b) pag. 470. 1. c) pag. 362. d) in Verr. L. III. c. 18. e) Cenot. Pis. diss. II. c. 7. sub fin.

Digitized by Google

Ex adductis his exemplis discimus etiam, fuisse civitates et provincias, quae patronos suos non mutaverunt, delato perpetuo uni eidemque genti patrocinio.

Similem ergo clientelam testantur numi, quos supra descripsi. Placuit Gaditanis cooptare patronum ipsum M. Agrippam jam alias a simili beneficio cognitum; nam legitur apud Sponium [a]: M. AGRIPPAE. L. F. PATRONO. RVFRANI. COLONI. Etiam patronum simulque parentem habent marmora. Apud Fabrettum [b] L. Calidius Nigrinus dicitur PARENS. ET. PATRONVS. MVNICIPI. Alibi Augustus PARENS. COLONIAE Iaderae [c]. Lucius Caesar in cenotaphio Pisano PATRONVS. COLONIAE. NOSTRAE. id est: Pisanae fertur. In numo Paestano IIviri CN. COR. et M. TVC. produntur coloniae patroni, neque istud sine exemplo. In marmore Gruteri [d]: L. VOLVMNIO. L. F. POMP. IVLIANO. SEVERO. IIIIVIRO. COL. SIGN. PATRONO. COLONIAE. SVAE. SENATVS. POPVLVSQVE. SIGNINVS. Bithyniae urbes suis se proconsulibus in clientelam tradidere. Ejus exemplum mox supra in Civilitanis et Hadrumetinis vidimus, et vidit Cicero multas in Sicilia C. Verris statuas adscripto patroni titulo [e]. Numi, quos supra descripsi, a Claudio ad Vespasianum usque porriguntur. Vsae sunt Graecae hae urbes vocabulo Πατρων ducto certe a Latinorum *patronus*, cum alias Graeci patronum significarent vocabulis προστατης, συνηγορος, φυλαξ, et similibus. Sedules fuisse Bithynos in observandis patronis, docent copiosa marmora a Muratorio collecta, in quibus variae eorum urbes ΠΑΤΡΩΝΙ. ΚΑΙ. ΕΤΕΡΙΕΤΗΙ., incertum cui, obsequia sua, gratumque animum profitentur [f]. Istud mirum, in aliquibus ex his numis legi Β. ΠΑΤΡΩΝΟΣ, id est *patroni iterum* urbis, repetitum adeo patroni honorem, ut archontis, strategi, aliorumque magistratuum, quo verisimile fit, urbes quotannis hanc clientelae nexum cum solennitate renovasse, si forte, quod non raro factum, proconsul anno diutius in provincia duravit.

Quos ex numis citavi patronos, ante annos non multos coepere innotescere. Gaditanos reperit Florezius, Emporitanos divinavi ego verius, quam adserui, Paestanos videre Pellerinius et Magnanus; Bithyni se pridem in moneta ostentavere, sed incredibile, quam inique vocabulum ΠΑΤΡΩΝ, vel ΠΑΤΡΩΝΟΣ. lectum sit a viris artis nostrae antesignanis Vaillantio, Harduino, Spanhemio, aliisque, quo factum, ut numos similes unanimi sententia Patras Achaiae revocarent. Esse numos urbium Bithyniae, veramque lectionem talem qualem proposui, et intelligendos patronos, late olim exposui [g], et paucis rem attigi in prolegomenis ad numos Bithyniae.

---

a) Misc. p. 178. b) Inscr. p. 748. num. 554. c) Maffei mus. Veron. p. 95. d) p. 490. 5.
e) in Verr. L. II. c. 63. f) p. 1073. seq. g) Numi vett. p. 185.

Digitized by Google

Vrbium patronos ad infimum usque aevum durasse, colligo ex constitutione Iustini, qua vetantur haeretici esse πατερες πολεων, *parentes urbium*, addita causa, ne possent vexare Christianos [a]).

CAPVT II.

DE MAGISTRATV EPONYMO.

Magistratus ἐπωνυμοι dici solent ii, a quorum annuo regimine respublicae, civitates, aut quaecunque communitas annos signant, et fastos suos inscribunt. Hujus naturae fuerunt Athenis archontes, Spartae ephori, Romae consules, unde fasti Attici, fasti consulares in vulgus noti. Magistratum hunc Graeci dixere την ἐπωνυμον ἀρχην, cujus fidem faciunt monumenta non pauca. Marmor Sponii [b]) Dexippum vocat ΑΡΞΑΝΤΑ. ΤΗΝ. ΕΠΩΝΥΜΟΝ. ΑΡΧΗΝ. *qui gessit magistratum eponymum* sc. Athenis, quod marmor plenius et correctius vulgavit Chandlerus [c]). Disertius Philo [d]): Αρχων Αθηνησι ὁ ἐπωνυμος, και των ἐννεα ἀρχοντων ἀριστος, ἀφ' ὁυ ὁι χρονοι καταριθμουνται. *Archon Athenis eponymus, et inter novem archontes praecipuus, a quo tempora numerantur.* Philostratus Apollonium sophistam inter summos magistratus, qui apud Athenienses habentur, obivisse etiam την ἐπωνυμον refert, nempe archontis primi [e]). Causa analogiae Romanos quoque consules Appianus dixit ἐπωνυμους [f]). Και τυδε χαριν, inquit, ἐς το ἐπειτα ἐγενοντο Συριας στρατηγοι των τα ἐπωνυμα ἀρξαντων ἐν ἀστει. *Quapropter deinceps rectores in Syria constituti sunt ex eorum numero, qui eponymum in urbe magistratum gessere*, id est: consulatum. Pollux novem Atheniensium archontes recensens, ait: ἐισι δε, ὁ την ἐνιαυτυ ἐπωνυμος ἀρχων, βασιλευς, πολεμαρχος, και θεσμοθεται ἐξ. *Sunt vero, primum archon, qui anno nomen dat, deinde rex, polemarchus, denique sex Thesmothetae* [g]). De temporario apud Athenas eponymo sacerdote vide mox infra.

Vt archontes Athenis, sic aliis in civitatibus eponymi fuere vario nomine ac

a) Cod. L. I. tit. V. §. 12. b) Vogage T. III. part. II. p. 129. c) Inscr. ant. p. 56. d) Lib. de Abraham. e) Vit. Soph. L. II. c. 20. f) Syriac. c. 51. g) L. VIII. c. 9. segm. 85.

Digitized by Google

dignitate cum sacra, tum profana. Refert Plato [a]), constitutum inter alia fuisse apud Magnetas, incertum Thessaliae, an Asiae: ἀρχιερεα δε ἑνα κατ' ἐνιαυτον του πρωτον κριθεντα των γενομενων ἐκεινῳ τῳ ἐνιαυτῳ των ἱερεων, και τ' ὀνομα ἀναγραφειν τουτω κατ' ἐνιαυτον, ὁπως ἀν γιγνηται μετρον ἀριθμου του χρονου, ἑως ἀν ἡ πολις ἀικηται. *Summus vero sacerdos annuus is esto, qui ex creatis ejus anni sacerdotibus primus renunciatus fuerit, ejus autem nomen per annum inscribitor, ut sit mensura temporis, quoad urbs habitabitur.* Inter alia, quae Timoleon ejecto Dionysio sapienter constituit, fuit etiam stabilitus annuus, isque honorificentissimus magistratus, (ἡ κατ' ἐνιαυτον ἐντιμοτατη ἀρχη) quem sacerdotium (ἀμφικτιονιαν) Iovis Olympii vocant Syracusani. Addit Diodorus, qui hoc scripsit [b]): και το λοιπον διετελεσαν οἱ Συρακουσιοι τους ἐνιαυτους ἐπιγραφοντες τουτοις τοις ἀρχουσι μεχρι τουδε των ἱστοριων γραφομενων, και της κατα την πολιτειαν ἀλλαγης. *Vnde mos apud Syracusanos inolevit, ut magistratibus hisce anni deinceps inscriberentur, quod ad praesens usque tempus, quo historiam hanc concinnamus, et reip. status immutatus est, duravit. Postquam enim,* prosequitur, *Romani cum Siculis civitatis suae jura communicarunt, famulorum munus* (ἡ των ἀμφικτιονων ἀρχη) *antiquari coepit, cum supra CCC. annos floruisset.* De Laconum et Atheniensium eponymis haec Pausanias [c]): Ἐφοροι δε τα τε ἀλλα διοικουσι τα σπουδης μαλιστα ἀξια, και παρεχονται του ἐπωνυμου, καθα δη και Ἀθηναιοις των καλουμενων ἐννεα ἐπωνυμος ἐστιν ἑις ἀρχων. *Ephori gravioribus* (apud Spartanos) *praesunt negotiis, atque ex his unum edunt, de cujus nomine annum signant, quemadmodum et apud Athenienses ex novem sic dictis archontibus unus est, a quo nominantur anni.* Apud Smyrnaeos ἐπωνυμιαν tributam fuisse Stephanephoris, auctor est Philostratus perhibens de Heraclide sophista [d]): και την στεφανηφορον ἀρχην παρ' αὐτοις ἠρξεν, ἀφ' ἡς τοις ἐνιαυτοις τιθενται Σμυρναιοι τα ὀνοματα, *et Stephanephori munus apud eos obivit, a quo annis Smyrnaei nomina imponunt.* Vide, quae de hoc Philostrati loco plura adnotavimus supra capite de *Stephanephoris.* In marmore Pergami apud Sponium [e]) dicitur A. Clodius ΤΑΝ. ΕΠΩΝΥΜΟΝ. ΑΠΟ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΝ. ΕΚ. ΓΕΝΕΟΣ. ΔΙΑΔΕΞΑΜΕΝΟΣ. *collatam a regibus in gentem suam eponymam prytaniam suscepisse.*

Vt magistratus quis esset vere eponymus, necesse fuit, esse annuum, cujus generis omnes fuisse vidimus, quos hactenus commemoravi. Clarissime hanc eponymi naturam exprimit marmor Gruteri [f]): ΓΑΙΟΣ. ΓΑΙΟΥ. ΑΧΑΡΝΕΥΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ. ΘΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ. ΚΑΒΕΙΡΩΝ. ΕΝ. ΤΩΙ. ΕΠΙ. ΔΙΟΝΤΣΙΟΥ. ΤΟΥ. ΜΕΤΑ. ΛΥΚΙΣΚΟΝ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΕΝΙΑΥΤΩΙ. ΙΔΡΥΣΑΤΟ. *Cajus Caji F. Acharnensis, factus sacerdos magnorum deorum Dioscurorum Cabirorum, eo anno posuit, quo archon fuit Dionysius is, qui Lycisco successit.* Quo in epigrammate ipsum anni vocabulum, alias constanter dissimulatum, exprimitur, eumque, ut

a) de legib. L. XII. b) L. XVI. c. 70. c) L. III. c. 11. d) Vit. Soph. L. II. c. 26. §. 2. e) Misc. p. 348. f) pag. 310. 2.

Digitized by Google

apparet, nomine Dionysii duo fuerint diversi per vices archontes eponymi, discriminis causa additur: *qui Lycisco successit*, ne annus, quo signum positum est, in incerto sit. Eodem modo in psephismate Atheniensium, quod est in museo Maffii, legitur: ΕΠΙ. ΔΙΟΝΤΣΙΟΤ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΤΟΤ. ΜΕΤΑ. ΠΑΡΑΜΟΝΟΝ. Vide hujus formulae exempla plura apud cl. Biagium [a]).

Athenienses cum praeter immodicos Antigono et Demetrio decretos honores istud etiam vellent, ut ab illis anni sui nominarentur, archontem quidem, qui patrio more anno nomen dabat, abrogarunt, (τον ἐπώνυμον καὶ πάτριον ἄρχοντα κατεπαύσαντες) verum quia reges hi annui non fuere, neque adeo eponymi esse poterant, *sacerdotem Servatorum*, ἱερέα τῶν Σωτήρων, quotannis creaverunt, eumque plebiscitis et contractibus praescripserunt. Haec Plutarchus [b]), sed qui idem infra refert [c]), Athenienses plures post annos aversos jam a Demetrio animo Diphilum, ejus anni Servatorum sacerdotem ex fastis expunxisse revocato iterum vetere suo archonte. Annuus Romanorum consulatus, isque vere eponymus, res notior, quam ut immorer. Ad quam normam Seneca, cum feminarum singulis fere annis ad novas nuptias transeuntium libidinem sugillat, maritos eponymos lepide ac salse finxit, *postquam*, inquit [d]), *illustres quaedam et nobiles feminae non consulum numero, sed maritorum annos suos computant.*

Altera lex, quae magistratum vere eponymum constituit, est, ut ratio ab hoc annos signandi ad totam aeque civitatem aut provinciam pertineat, cujus iterum generis fuere magistratus eponymi, quos supra recitavi. Fuerunt sane communitates tam sacrae, quam profanae cujuscunque instituti, corpora et collegia, quae annuos suos habuere magistratus, et quos latius eponymos dicere possis, sed qui privati tantum erant usus, neque ultra ejus communitatis fines valebant. Cum ergo legimus in marmore Sponii [e]): ΕΠΙ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΒΕΝΤΙΔΙΟΤ. ΣΩΤΑ. ΠΤΘΑΤΛΟΤ. - - - ΚΑΙ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ. ΑΙΛΙΟΤ. ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΤ. ΚΙΘΑΡΩΔΟΤ. κ. τ. λ., nequaquam nomine archontis, nomine scribae intelligendi archontes et scribae, quales summum fuisse in multis civitatibus Graecis magistratum alias diximus, sed qui in ludis, et exercitiis gymnasticis praesedere. Quis enim persuadere sibi poterit, Πυθαυλην, seu, *qui Pythia canit*, vel citharoedum munus in civitate publicum obivisse? Vnicum istud exemplum privati magistratus proposuisse sufficiat, cum multa alia passim in marmoribus prostent.

Has leges si accuratius expendissent viri eruditi, minus saepe liberales in adserendis magistratibus eponymis fuissent. In horum numero jure habeo illustrem sane, et in explicandis veterum monumentis acerrimum Belleyum, cum adserit, apud Sardianos imperante Tiberio et Trajano proconsulem Asiae, deinceps archontem vel strategum fuisse

a) De Decret. Athen. c. VIII. b) in Demetr. p. 893. c) p. 911. d) de benefic. L. III. e) Misc. p. 369.

Digitized by Google

eponymos a). Credo, virum eruditum, ut sic sentiret, eo fuisse impulsum, quod cum compluribus aliis crediderat, particulam ΕΠΙ magistratuum nominibus praepositam certum esse magistratus eponymi indicium. Quae quidem lex quam sit fallax, necesse est, nonnihil copiosius comprobare. Dubium non est, magistratui eponymo fuisse praefixum ΕΠΙ; nam passim reperias apud Diodorum, aliosque, factum hoc illudve fuisse v. g. ἐπ' ἀρχοντος Αθηνησι Ξανθιππου, *archonte Athenis Xanthippo*. At certum est etiam, non solis eponymis eam fuisse praefixam. Dixi supra, magistratum, qui annum nomine signaret, esse debuisse annuum. Tamen videmus praefixum ΕΠΙ etiam iis, qui annui non fuere, neque adeo eponymi esse poterant. Obvia sunt in numis Antiochiae Syriae: ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. — ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. etc. quae sunt nomina legatorum Augusti propraetore, qui eponymi esse non poterant, quia eorum in Syria annuum imperium non fuit, quin constat etiam ex adscriptis epochae annis, Varum et Silanum Syriae in III. annum praefuisse. In numis Hieetae Syracusarum tyranni legitur: ΕΠΙ. ΙΚΕΤΑ. Atqui eponymus hic esse non potuit, cum quod IX. annis imperium Syracusis obtinuit, tum quod ejus aetate magistratum eponymum in hac urbe fuisse amphipolum supra ex Diodoro vidimus. Saepe Asiarchis quoque praeponitur ΕΠΙ. ut: ΕΠΙ. ΤΕΡΤΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ.; verum hi proprie eponymi esse non poterant, quia eorum munus tantum fuit, praeesse festis ac ludis communi provinciae Asiae nomine agi solitis, neque ad eos privata civitatum negotia pertinuere, de quarum tamen magistratu eponymo fere tantum quaeritur. Sane quo tempore maxime in Asia valebant Asiarchae, Pergameni et Smyrnaei, utrique in eadem Asia siti, proprios suos habuere eponymos, illi prytanes, hi stephanephores, ut diximus. Enimvero jam Vandalio b), et Gupero c) non satis verisimile visum, agonothetas, panegyriarchas, Asiarchas etc. causa horum munerum fuisse magistratus eponymos. At cum praefixum saepe his dignitatibus ΕΠΙ viderunt, quod illis item significare magistratum eponymum videbatur, suspicati sunt, omissa in numis nomina ἀρχοντος, vel στρατηγου, quae munera eponyma tum hi ipsi agonothetae, Asiarchae etc. una obivere. Disertius istud Vandalius alio loco docet d). Agens enim de numo: ΕΠΙ. CΤρατηγου ΔΑΜ. ΑCΙΑΡ., addit: *Quo satis clare indicatur, Damam istum ἐπωνυμον quidem fuisse, quatenus erat στρατηγος, sed non quatenus Asiarcha.* Mox infra recitato numo Smyrnaeorum cum epigraphe: ΕΠ. ΠΟΛΛΙ. ΑΝΘΤπατου., Pollionem hunc, inquit, dum esset Asiae proconsul, simul honoris causa Smyrnaeorum fuisse στρατηγον. Neque enim sibi dedecori duxisse proconsules, si una essent summus civitatum magistratus, cum et Hadrianus jam Augustus tamen archon Atheniensium esse voluerit. His ergo argumentis viri eruditi eponymum suum ΕΠΙ conati sunt stabilire. At enim si vera haec sunt, necesse etiam erit statuere, omnes Syriae legatos, nullo

a) B. L. Tom. XVIII. Mem. p. 152. b) diss. VII. c. 2. p. m. 548. c) Lettres. p. 493.
d) l. c. p. m. 564.

Digitized by Google

dempto, Varum, Saturninum, Silanum, Flaccum, Petronium etc. fuisse praeterea eponymos Antiochiae, quin et Agrippam II. regem ex Herodis progenie fuisse provinciarum suarum eponymum, quia hi omnes sibi vocabulum ΕΠΙ praefixere, quin et anno vertente et deinceps iterum electos, quia per sequentes etiam annos, quibus provinciam administrabant, eadem in numis formula sunt usi. Quod si etiam velimus permittere, cur his Syriae legatis, vel alibi proconsulibus, v. g. Bithyniae, ne semel quidem additam legimus dignitatem eponymam, quam honoris causa suscepere? Fuere Augustus, Agrippa, Tiberius Quinquennales Coloniae Celsae Tarraconensis, Nero et Drusus Caesares Hviri Caesaraugustae, Iuba II. et Ptolemaeus reges Mauretaniae Hviri Carthaginis Novae, atque hunc magistratum etiam eorum numis inscriptum legimus. Quaeritur item, si legati hi, vel proconsules honoris causa civilem in urbibus magistratum gessere, cur ne semel quidem in numis sit mentio, fuisse eum iterum vel tertium susceptum, cum tamen de Trajano, qui summum Byzantii magistratum obire non infra se putavit, praedicetur in numis: ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ. ΤΟ. Β. vel ΤΟ. Γ. *Sub Trajano Caesare iterum*, vel *tertium?*

Ex quo satis apparet, praefixum ΕΠΙ non modo magistratum eponymum, sed quemcunque alium, sive annuum, sive quantivis temporis, item sive publicum civitatis, sive privatum synodi vel collegii significare, et hercle incassum nos laborare, cum ex quovis magistratu sic enunciato, Asiarcha, neocoro, sacerdote, agonotheta, prytane, quaestore, tum proconsulibus, propraetoribus, procuratoribus, volumus eponymos extundere. Etenim tam varii generis magistratus saepe videmus unius ejusdemque civitatis numis inscriptos, ut jam ex hac ipsa causa incredibile videatur, eos omnes in eponymorum fuisse numero. Exemplo sint magistratus Byzantii. Horum unus est v. g. ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ. quem collatis numis aliis haud dubium est fuisse urbis archontem, et quidem magistratum eponymum. Alius: ΕΠΙ. ΘΕΑC. ΦΑΥCΤΕΙΝΗC. An Faustinam feminam urbis archontem dabimus? Alius: ΕΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΤCΟΥ. ΤΟ. Β. ΚΑΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΑC. En tibi cum urbis archonte conjunctam feminam. Alius, quem offert decretum Byzantiorum apud Demosthenem [a]): Επι *Ιερομνημονος Βοσποριχω*. En hieromnemonem, magistratum sacerdotem. Omnes hi, ut vides, praefigunt ΕΠΙ, an vero etiam omnes eponymi? Multo major, molestiorque in Smyrnae numis varietas, quam, ne longior sim, hic non repeto. Non dubitavit Pellerinius, qui de Smyrnaeorum magistratu eponymo late disserit [b]), adserere, hujus civitatis eponymum fuisse strategum, eos vero nulla auctoritate niti, qui ejus sacerdotibus hunc honorem tribuerunt. Ergo nulla est Philostrati supra citati auctoritas, qui stephanephoros, id est: sacerdotes, eponymum Smyrnae magi-

a) Orat. de coron. b) Rec. II. p. 85.

Digitized by Google

stratum gessisse testatur? At vero idem Pellerinius, qui, ut dixi, strategum Smyrnae eponymum ex praefixo ΕΠΙ agnoscit, qua ratione explicabit numum Smyrnaeorum obvium: ΕΠΙ. ΤΙ. ΚΛΑΤ-ΔΙΟΥ. ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ. et in aversa: CΤΡΑ. ΤΙ. ΚΛ. CΩCΑΝΔΡΟC.? in quo το ΕΠΙ ademptum stratego eponymo, tribuitur alteri non eponymo. Accedit, saepe legi in Smyrnae numis: CΤΡΑ-ΤΗΓΟC. ΚΛΑΡΟC. vel, CΤΡΑΤΗΓΟC. ΕΡΜΟC., atque adeo strategum sine ΕΠΙ, et eponymum tamen. In similes laqueos cum se implicatum videret, nequaquam ille quidem difficilis, quae antea fastidiverat, coepit appetere, cum sanciret, fuisse tempus, quando strategi Smyrnae non fuerunt eponymi, sed sacerdotes, stephanephori, proconsules, et quivis alii. Adeo necesse est vacillare substructionem iniquo fundamento impositam.

Quapropter cum certi jam simus, particulam ΕΠΙ ad alios etiam magistratus non eponymos valuisse, indagandum restat, quid ea his adjecta notaverit. Ac primum quidem dubium non est, eam adhibitam ad indicandum non quidem annum, sed tempus, quo quis vel provinciae, vel civitati, vel privatae etiam communitati praefuit, etsi plures illud annos complexum est. Cum ergo legimus in numis Syracusarum: ΕΠΙ. ΙΚΕΤΑ., intelligendum, eos signatos tum, cum Hicetas eam civitatem non magistratus more, sed arrepto violenter imperio rexit. Idem existima de numis regis Agrippae II. inscriptis ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. Legimus apud Lucam a): Εν ἐτει δε πεντεκαιδεκατῳ της ἡγεμονιας Τιβεριυ Καισαρος, ἡγεμονευοντος Ποντιυ Πιλατυ της Ιυδαιας, και τετραρχυντος της Γαλιλαιας Ηρωδυ, Φιλιππυ δε τυ ἀδελφυ αὐτυ τετραρχυντος της Ιτυραιας και Τραχωνιτιδος χωρας, και Λυσανιυ της Αβιληνης τετραρχυντος, ἐπ' ἀρχιερεων Αννα και Καϊαφα. Attuli hoc exemplum, ut appareat, non raro a scriptoribus tempus aliquod jam propius, jam laxius, mentione virorum variae dignitatis, nulla magistratus eponymi mentione, fuisse definitum. Iam enim primum Tiberius Caesar eponymus non fuit, neque Pontius Pilatus, qui pluribus annis Iudaeam procuravit, neque aut Herodes Galilaeae tetrarcha, aut frater ejus Philippus tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis, aut Lysanias tetrarcha Abilenes. Neque vero etiam eponymi fuere summi pontifices Annas et Caiphas, etsi ΕΠΙ illis praeponatur; non enim uterque fuit ejusdem anni pontifex, neque summi Iudaeorum pontifices annui, cum et ipse hic Caiphas saltem decennio pontificatum gesserit, de quo vide Tillemontium b). Eodem modo cum proconsulum, propraetorum, procuratorum nomina monetae urbium inscribuntur, aliud istud non significat, quam numos hos signatos fuisse tum, cum hi provinciae praeessent, ac plerumque istud non alia de causa factum videtur, quam causa officiosae in praefectos suos observantiae, quam ut impensius demonstrarent Bithyni, proconsules suos in numis saepe patronos dixerunt. Et satisfacere aeque officio suo visi sibi sunt Graeci, sive illud ΕΠΙ adderent, sive dissimularent. In multis sane procos-

a) c. 3. v. 1. b) Hist. T. I. p. 744.

Digitized by Google

sul legitur in recto, ut: Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ., in aliis in gignendi casu, ut: ΑΝΘΥ. ΦΡΟΝΤΕΙΝΟΥ., in aliis in dandi casu, et formula quadam votiva, ut: ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Ceterum non negavero, factum aliquoties, ut proconsulatus quodammodo eponymus esset. Smithius [a]) Peyssonnelius [b]) et Muratorius [c]) exhibent marmor, quo praecone Fabius Zosimus monumentum sibi et uxori fecit. Additur in fine: ταυτης ἐπιγεγραφης ἐπεγεγραφη ἁπλα δυω, ὡν το ἑτερον ἐτεθη εἰς το ἀρχειον ἐν τῃ λαμπροτατῃ Θυατειρηνων πολει ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΚΑΤΙΛΛΙΩ ΣΕΒΗΡΩ ΜΗΝΟΣ ΑΥΔΙΝΑΙΟΥ ΤΡΙΣ ΚΑΙ ΔΕΚΑΤΗ ΥΠΟ ΜΕΝΟΦΙΛΟΥ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΔΗΜΟΣΙΟΥ. *Hujus inscriptionis confecta sunt exemplaria duo, quorum alterum inlatum est in tabularium, quod est in splendidissima Thyatirenorum civitate, proconsule Catillio Severo mensis Audinaei die XIII. sub Menophilo Iuliani F. ministro publico.* In alio simili apud Peyssonnel [d]): της ἐπιγεγραφης ἀντιγεγραφον ἐτεθη εἰς το ἀρχειον ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΓΕΝΤΙΑΝΩ ΛΟΛΛΙΑΝΩ - - - ΑΠΕΛΛΑΙΟΥ - - - ΥΠΟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙ ΚΟΝ - - - *Hujus inscriptionis exemplar inlatum est in tabularium proconsule Gentiano Lolliano - - - mensis Apellaei - - - sub Alexandro et Con - - -* Verum satis apparet, laxam fuisse hanc eponymiam, et quae ad causam privatam sufficere poterat, cum, ut diximus, proconsulum in proviaciis regimen annum saepe excesserit.

Deinde poterat vocabulum ΕΠΙ a magistratibus non eponymis adhiberi ad causas, quae ab eorum jurisdictione pendebant. Constat enim, in civitatibus praeter summum magistratum, v. g. archontem, fuisse minores alios, ut strategos, quales fuere Athenis, summum pontificem, vel regem sacrorum, quaestorem, scribam, gymnasiarchum etc. vel qui sacris totius provinciae praeerant, ut Asiae, Ioniae, Bithyniae, Galatiae etc. Hi ergo edicta in his, quae ad se pertinuere, proponere poterant, quae vim legis haberent, qualia et Romae fuerunt non consulum modo, sed et praetorum, aedilium, tribunorum plebis, et tum sua quoque praefigere nomina. Quare etiam, cum legimus in numis: ΕΠΙ. ΤΕΡΤΙΟΥ. ΑΣΙΑΡΧΟΥ, istud significabit, monetam hanc signatam fuisse curante Tertio ad faciendos sumptus, quos pro Asiarchae munere in festorum ludorumque procurationem fieri oportuit. Vide, quae ad hoc argumentum faciant, nonnulla alia supra capite de archontibus etc. Atque propterea neque obsto etiam, si quis varios hos magistratus velit dicere eponymos, sed jurisdictionis tantum suae, quod jam etiam Vandalium, etsi in transcursu, video attigisse, cum ait [e]): *licet minime dubitem, in fastis communium Asiae ludorum Asiarchas, ut eatenus ἐπωνυμους, fuisse signatos.* At enim mihi initio propositum fuit agere de eponymis totius civitatis, quales fuere Athenis archon, Romae consules, Carthagine suffetes.

---

a) Notit. 7. eccles. p. 18. b) Voyage p. 278. c) pag. 2052. 1. d) pag. 282. e) Diss. VII. c. 2. p. m. 564.

Digitized by Google

Ex his manifestum est, quam sit difficile veros civitatum eponymos sive ex numis, sive marmoribus eruere. Sed neque scriptores huc multum conferunt, qui raro de his tam evidenter sunt locuti, quam de Syracusanis loco supra laudato Diodorus. Paullatim urbes Graecae annos Romanorum more consulibus definire coeperunt, docentibus istud marmoribus. Aliae aera sua usae sunt. Atque hunc morem tempora sive eponymis, sive aerae annis notandi Iustiniano adhuc imperante in nonnullis urbibus obtinuisse, docet novella XLVII., qua permissum quidem adscribere actis publicis το της πολεως πασι τροποις ἐτος, *annum, quocunque is modo ab urbibus notari consuevit*, sed imperatum praeterea, ut adderent annum imperantis, consules, indictionem, mensem et diem.

CAPVT III.

DE VRBIBVS AVTONOMIS, LIBERIS, ET IMMVNIBVS.

En tibi urbium his titulis insignium catalogum:

Vrbes Autonomae.

Abila Leucas Decapoleos, A.
Aegae Ciliciae, ATTONOMOT.
Anazarbus Ciliciae, ATTONOMCC.
Antiochia Syriae, ATTONOMOT.
Apamea Syriae, ATTONOMOT.
Arethusa Syriae, ATTONOMOT.
Capitolias Coelesyriae, A. vel AT.
Corycus Ciliciae, ATTONOMOT.
Diocaesarea Galilaeae, ATTO.
Dora Phoeniciae, ATT.
Gadara Decapoleos, A. —
Halicarnassus Cariae, ATTONOMΩN. ex numo dubio.
Laodicea Syriae, ATTONOMOT.
Moca Arabiae, ATTO.
Mopsus Ciliciae, ATTONOMOT.
Samosata Commagenes, ATTON.
Sebaste Ciliciae, ATTON.
Seleucia Syriae, AT. ATTONOMOT.
Termessus Pisidiae, ATTONMΩN.
Tripolis Phoeniciae, ATTONOMOT.
Tyana Cappadociae, ATTONOMOT.

Digitized by Google

Vrbes Liberae.

Amisus Ponti, ΕΛΕΤΘΕΡΑC.
Chersonnesus Taurica, ΕΛΕΤΘΕΡΑΣ.
Hippo Zeugitanae, LIBERA.
Rhodus insula, ΕΛΕΤΘ.
Sebaste Ciliciae, ΕΛΕΤΘΕΡΑ.
Seleucia Ciliciae, ΕΛΕΤΘΕΡΑC.
Tarsus Ciliciae, ΕΛΕΤΘ.
Thessalonica Macedoniae, ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. ΕΛΕΤΘΕΡΙΑC.

Vrbes immunes.

Alabanda Cariae, ΑΤΕΛΕΙΑC. ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ.

* * *

Αὐτόνομος urbs populusve est, qui sui juris, legibus apud se natis, aut sponte receptis, non a tyranno, aut externo quodam imperio per vim latis utitur. Caruit lingua Latina vocabulo, quod *αὐτονομία* potentiam exprimeret. Ergo circumscriptione opus fuit, dictumque passim: *legibus, judiciis suis uti*, aut similiter, quam ut evaderet, non est veritus Tullius ipse peregrinum *αὐτονομίας* nomen arcessere. Sic scribens ad Atticum a) *Graeci*, inquit, *tamen se αὐτονομίαν adeptos putant.* Paullo infra b) alter exstat insignis locus, qui praeterea *αὐτονομίας* naturam explicat: omnes civitates *suis legibus et judiciis usae, αὐτονομίαν adeptae revixerunt.*

Ἐλευθέρα urbs populusve fuit Graecis, quod Latinis urbs populusve *liber.* Ἐλευθερία, *libertati*, opponitur δουλεία, *servitus.* Livius c): *ut omnibus gentibus appareret, arma P. R. non* liberis servitutem, *sed contra* servientibus libertatem *adferre.* Augustus teste Dione d) Cyzicenos, Tyrios, Sidonios antea liberos, sed variorum criminum reos in servitutem redegit, (ἐδουλώσατο.) At habuit haec urbium libertas suos gradus. Dictae fuerunt liberae, quando, ut est apud Xenophontem e), hominum neminem pro domino, sed solos deos adorarere. Sed fuere etiam dictae liberae, accisa jam, multumque imminuta libertate. Apud Livium f) Macedonibus et Illyriis post victos eorum reges Persea et Gentium magnificis verbis libertatem Romani impertivere, etsi dimidium tributi pendere juberentur. Quin adeo dictae etiam liberae, cum praeter libertatis nomen et umbram nihil relictum esset, quando, ut uno exemplo utar, ipsos etiam reges intra imperii R. fines constitutos, specie liberos certe suique juris, non dubitavit Tacitus *inservientium* nomine dedecorare g).

Quod ad utriusque vocabuli usum attinet, certum est, consultis Herodoto, Thucdyide, Xenophonte, aliisque omnibus, fuisse eum promiscuum, et nullo utrumque discrimine adhiberi solitum, ut adeo, cum urbem quampiam sive *αὐτόνομον* sive ἐλευθέραν dicerent, significarent semper urbem sui plene juris, nulliusque imperio obedientem. At enim fueritne eadem adhuc utriusque vocabuli significatio ea aetate, qua Romani rerum potiebantur, et qua constat non paucas alias verborum significationes

a) L. VI. ep. 1. b) ibid. ep. 2. c) L. XLV. 18. d) L. LIV. §. 7. e) de exped. Cyri L. III. f) l. c. g) Hist. II. c. 81.

Digitized by Google

immutatas, et aliorsum derivatas, haud perinde certum. Ratio dubitandi est, quia videmus non raro tam in numis marmoribusque, quam apud scriptores veteres, civitates alias seorsim dici αὐτονομους, *legibus suis viventes*, alias ἐλευθερας, *liberas*, et quod amplius est, utrumque istud elogium uni eidemque civitati in eodem monumento, vel ab eodem scriptore tribui; ex quo sequitur, diversum fuisse utriusque valorem, nisi velimus utrumque otiose conjunctum existimare. Sic Sebaste, insula Ciliciae adjacens, dicitur in numis ΑΥΤΟΝομος ΕΛΕΥΘΕΡΑ. Mopsus Ciliciae in noto marmore Graterianο ΕΛΕΥΘΕΡΑ - - - ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ. Eodem modo passim apud auctores, permissam populis victis ἐλευθερίαν και αὐτονομίαν, et obvium apud scriptores Latinos: *in libertate essent, ac legibus suis uterentur*, et similia.

Si ergo, quod sequi inde videtur, distincta fuit utriusque ratio, quaeritur, quid utroque nomine intellectum veteribus. Variae, ut in re incerta, vulgatae sententiae. Spanhemius in suo de praestantia numorum opere [a]) et subinde multo disertius in praeclaro suo libro, qui *Orbis Romanus* inscribitur, (Exercitat. II. inde a cap. IX. usque ad XVI.) nullum fere inter utrumque discrimen agnoscit. Ejus mentem ex binis Orbis R. locis plane intelliges. *Liberae*, inquit [b]) *gentes a Romanis dictae, quae vel bello victae, vel eorum opera alienae dominationis, cui antea subjacebant, jugo exemptae, aut ob aliquod earum meritum in P. R. vel ob cognationem, sicut Ilienses, suarum legum, patrii magistratus, regionis etiam sive agrorum libertatem a Romanis consequebantur, quae singula tribus hisce vocibus complectuntur Graeci auctores: νομους, πολιτειαν, vel πολιτευμα, et χωραν.* Et infra [c]): *Erat enim haec autonomia vel praecipua pars libertatis earum urbium, quae ceteroquin erant in Romanorum fide, in eo quippe sita, ut eaedem suis legibus uterentur, proprios crearent magistratus, a quibus nempe jus iis, non a Romanis rectoribus diceretur, agrosque suos praeterea vel oppida, quae erant in eorum ditione, retinerent, a Romanorum vero praesidiis essent vulgo immunes etc.* Cum Spanhemio fere consentit Abbas Guasco [d]). Secundum Vaillantium [e]) autonomis urbibus legibus suis uti permissum erat, sed erant vectigales; at ἐλευθεραι dicebantur, quae nullum omnino vectigal penderent. Contra Scipio Maffejus censuit [f]), autonomas urbes esse, quae legibus suis uterentur, at liberas, quae a praesidis R. jurisdictione essent immunes. Postremus eruditus Belleyus refutatis omnibus his sententiis suam propinat, cujus summa est [g]): Constat, urbes non paucas praeter αὐτονομιαν, seu jus legibus suis vivendi, adeptas etiam ἀτελειαν, seu immunitatem a tributis et vectigalibus. Existimat igitur, hanc autonomiam una cum dicta immunitate constituisse illud, quod Graeci ἐλευθεριαν dixere; quo quidem privilegio verum conficitur discri-

a) Tom. I. p. 674. b) p. m. 205. c) pag. 219. d) Saggi Cort. T. V. dissert. IV. e) Num. Graec. p. 214. f) Veron. illustr. L. III. p. 46. g) Mem. B. L. T. XXXV. p. 419.

Digitized by Google

men inter urbes tantum ἀυτονομους et ἐλευθερας; hae enim posteriores super jus ἀυτονομιας gavisae sunt etiam immunitate a tributis. Vnde sequitur, omnes urbes ἐλευθερας fuisse etiam ἀυτονομους, at non vicissim; nam ἐλευθερια continebat omnia ἀυτονομιας jura, videlicet jus suis se legibus gubernandi, et suos magistratus judicesque eligendi, et insuper eam, quam dixi, immunitatem. Quod quidem, inquit, discrimen minus ex scriptoribus Latinis elucet; nam cum hi certis vocabulis destituerentur, quibus ἀυτονομιαν et ἐλευθεριαν designarent, et ad utrumque designandum vocabulo *libertas* uterentur, necesse fuit, non raro ambiguis sensus orationem enasci. Sententias singulas paucis expendamus.

Dilato interim Spanhemii judicio, id quod sanxit Vaillantius, admitti nequit. Copiosis enim veterum testimoniis probari potest, urbem, quae fuit ἐλευθερα, non continuo fuisse immunem a pendendis vectigalibus. Disertis enim verbis inter utrumque distinxere veteres. Secundum Appianum a) Antonius Illvir Λυκιους μεν ἀτελεις φορων ἀφιεις, *Lycios immunitate a tributis donavit*, et mox infra: Λαοδικεας δε και Ταρσεας ἐλευθερους ἠφιει και ἀτελεις φορων, *Laodicenses vero et Tarsenses libertate et immunitate donavit*. Teste Livio b) jussit populus R. *Illyrios esse liberos*, additque continuo, *non solum liberos, sed etiam immunes fore Issenses et Taulantios etc.* quo quidem testimonio nihil potest esse evidentius. Oracula alia idem comprobantia infra proferentur. Neque secundum omnes causas valere potest opinio Maffei, urbes liberas a praesidiis R. jurisdictione fuisse eximias adserentis. Maximum hujus sententiae patronis momentum positum est in verbis Strabonis agentis de Massiliensibus Galliae, quibus, inquit c), Romani την ἀυτονομιαν ἐφυλαξαν, ἡν ἐξαρχης ειχεν ἡ πολις, ὡστε μη ὑπακουειν των εἰς την ὑπαρχιαν πεμπομενων στρατηγων, *autonomiam conservavere, qua olim gavisa est urbs, ut neque morem gerere teneantur missis in provinciam rectoribus.* At vero idem hoc testimonium propterea favere non potest Maffejo, quod causa ἀυτονομιας, non, quod probandum susceperat, causa ἐλευθεριας Massiliensès a praesidum imperio exemptos diserte dixit Strabo. Majus in Ciceronis oraculo pondus, qui, dum in Pisonem Macedoniae procos. invehitur, inter alia ejus per vim facta commemorat etiam: *omitto jurisdictionem in libera civitate* (Byzantio) *contra leges senatusque consulta* d). At vero si in liberam civitatem nullum fuit proconsuli jus, quo pacto licuit Plinio Trajani legato eorundem Byzantiorum nimios sumptus auctoritate sua compescere, ut docuit ipse data ad Trajanum epistola e), et adprobante istud Trajano optimo? Quod si cui non adrideret hoc Byzantiorum exemplum, quia, etsi adhuc a Plinio seniore liberae fuisse conditionis dicuntur, sub Vespasiano feruntur amisisse libertatem, ut dixi in eorum numis, passim tamen legas in

a) Bell. civ. L. V. c. 7. b) L. XLV. c. 27. c) L. IV. p. m. 274. d) de prov. cons. § 3. e) L. X. ep. 52.

Digitized by Google

ejusdem Plinii epistolis, quam etiam minima in aliis liberis civitatibus aequissimus cetera hic vir ad se pertinere existimaverit. Non ausi sunt Amiseni, liberi certe et foederati, sine auctoritate proconsulis constituere apud se eranos, seu collationem pecuniae ad sustinendam tenuiorum inopiam [a]).

Sequitur sententia Belleyi, quam sane facile est contrariis argumentis penitus evertere. Ait: ἐλευθερίαν urbibus concessam bina privilegia complexam, ἀυτονομίαν, seu jus legibus suis vivendi, et ἀτελείαν, seu immunitatem a tributis, atque in hoc niti discrimen inter urbes tantum ἀυτονόμους et ἐλευθέρας. Antequam istud impugno, inquirendum puto, fueritne Latinis vocabulo *Libertatis* idem intellectum, quod Graecis vocabulo Ἐλευθερίας, quod, ut dixi, in causae suae patrocinium negat Belleyus. Eundem utriusque fuisse valorem, multis potest exemplis demonstrari. Secundum Polybium [b]) *Senatus R. et T. Quinctius imperator Philippo rege et Macedonibus devictis* ἀφιασιν ΕΛΕΥΘΕΡΟΥΣ, ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, νομοις χρωμενους τοις πατριοις Κορινθιους, Φωκεας etc. *permittunt LIBEROS, sine praesidio, immunes, patriis esse legibus Corinthios, Phocenses etc.* Iisdem verbis rem narrat Plutarchus [c]). Livius, qui ut alias, sic et hoc loco Polybium Latine reddidit, his verbis idem S. C. refert [d]): *Senatus R. et T. Quinctius imperator Philippo rege Macedonibusque devictis, LIBEROS, immunes, suis legibus esse jubent Corinthios, Phocenses etc.* Quis facile negaverit, Livium in reddenda senatus consulti formula, quo in genere reddendo omnes solent verborum apices magna cautione expendi, dum vocabulum ἐλευθέρους reddit *liberos*, usum fuisse vocabulo maxime proprio, et idem plane significante? Alibi idem Livius victo captoque Perseo narrat adlatum Roma decretum, *quo omnium LIBEROS esse placebat Macedonas* [e]). Idem narrans Plutarchus ait: Μακεδοσι μεν ἀπεδωκε την χωραν και τας πολεις ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ δικειν και ἀυτονομους, *Macedonibus permisit regionem et urbes LIBERAS legibusque suis utentes* [f]). In numis Amisi Ponti legitur: AMICOT. ΕΛΕΥΘΕΡΑC. et apposite ad Graecum hoc elogium Plinius in laudata supra epistola: *Amisenorum civitas LIBERA.*

Constituto igitur, Latinis idem fuisse *liberum*, quod Graecis ἐλευθερον, inquirendum jam, utrum libertas civitatibus data, sive ἐλευθερια, complexa sit etiam immunitatem a tributis, sive ἀτελειαν. Contrarium plane decent auctores cum Graeci tum Latini. En aliquot exempla: Iosephus loquens de incolis tractus cujusdam Bataneae: πας' ὡν, inquit, Ῥωμαιοι δεξαμενοι την ἀρχην, τα μεν ΕΛΕΥΘΕΡΟΥ και ἀυτοι τηρουσι την ἀξιωσιν, ἐπιβολας δε των φορων εις το παμπαν ἐπεσαν ἀυτους, *a quibus* (utroque Agrippa) *Romani cum accepissent principatum, LIBERTATIS dignitatem etiam illis conservarunt, sed auctis continue tributis in universum eas oppresserunt* [g]). Si oppressi tributis, quomodo in Belleyi sententia conservata τα ἐλευθερα dignitas? Appianus, quo loco nar-

a) L. X. ep. 93. b) exc. leg. IX. c) in T. Quint. p. m. 374. d) L. XXXIII. c. 32. e) L. XLV. c. 18. f) in Aemil. Paullo p. m. 270. g) Ant. L. XVII. c. 2. §. 2.

Digitized by Google

rat varia civitatibus Graecis a M. Antonio concessa beneficia, Λυκιοις μεν, ait, ἀτελειαν φορων ἀφιεις, *Lyciis immunitatem a tributis concessit*, et mox infra: Λαοδικεας δε και Ταρσεας ἐλευθερους ἠφιεν και ἀτελεις φορων, *Laodicenses vero et Tarsenses liberos esse jussit et immunes* a). Quid necesse fuerat addere immunitatem, si haec jam in libertate inclusa fuit? Eodem exemplo Livius enarrans, quae finito bello Gentii Illyriis evenere, *senatum*, inquit, *populumque R. Illyrios esse liberos jubere, praesidia ex omnibus oppidis, arcibus, et castellis sese deducturum. NON SOLVM LIBEROS, SED ETIAM IMMVNES fore Issenses et Taulantios etc.* b). Est hic locus classicus; manifeste enim distinguit inter *liberum* et *immune*, cumque Illyrios minore beneficio *liberos* tantum appellatos dixisset, addit, Issensibus largiore beneficio praeter libertatem accessisse etiam immunitatem, nimirum quod, ut continuo subjicit, incolumi Gentio ad Romanos defecissent. Ergo immunitas sub libertate comprehensa non fuit, neque adeo, qui liber, ἐλευθερος, etiam immunis, ἀτελης fuit. Victo Philippo jussere Romani, Corinthios, Phocenses, etc. esse ἐλευθερους ἀφορολογητους, *liberos immunes*. Testimonia integra tam Graeca, quam Latina paullo supra recitavi. At non sic actum cum Macedonibus victo Perseo; nam hi secundum adducta mox Livii et Plutarchi oracula tantum promulgati fuere ἐλευθεροι, non vero etiam ἀτελεις, quia, ut fine ejusdem capitis refert Livius, jussi fuere, *dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti erant, populo R. pendere*, cum quo conspirat etiam Plutarchus loco, quem indicavimus. Nolo cumulare infinita alia exempla permissae ἐλευθεριας una cum ἀτελεια, cum jam ab allatis exemplis satis superque eluceat, hanc sub illa non fuisse intellectam, et utrumque privilegium valoris multum diversi exstitisse, et quod suapte sequitur, dictatum a Belleyo discrimen ἀυτονομιαν inter et ἐλευθεριαν locum habere nequit.

At quid tandem inter utrumque hunc titulum interest? Credo, verum utriusque discrimen ne ipsis quidem veteribus satis fuisse exploratum, aut si fuit, sic utriusque confusos fuisse fines, ut satis dignosci ac definiri non possent. Quo factum, ut ne ipse quidem magnus Spanhemius exitum ex hoc labyrintho reperiret, et passim ἀυτονομιαν cum ἐλευθερια confunderet. Atqui erat is vir, qui propter incredibilem eruditionem, et quod juri publico R. liberalem operam impenderat, prae multis aliis fuit idoneus, qui verum reperiret, siquidem reperiri posset. Monui principio, jam a vetustissimis Graecis utrumque vocabulum promiscue fuisse adhibitum, atque etiam sequioris aevi Graecis perinde habitum, hoc, illove modo permissa sibi jura enunciarent. Quin reperio, Graecas civitates, quas certa fide constat, fuisse ἐλευθερας, non raro in monumentis publicis ἀυτονομους sese tantum appellasse. Teste Plinio seniore liberae fuerunt Antiochia Syriae, Aegae et Mopsus Ciliciae, et tamen

a) De Bell. civ. L. V. c. 7. b) L. XLV. c. 26.

Digitized by Google

in numis ἀυτονομις se tantum profitentur. Termessenses Pisidiae, qui in celebri tabula aenea, quae exstat apud Muratorium [a]), ex populi R. sententia dicuntur *liberi, amicei, socieique populei Romani, eique legibus suis ita utunto etc.* ii inquam Termessenses solo ΑΤΤΟΝΟΜΩΝ titulo in moneta sua contenti sunt. Quin et ipse Cicero, qui, quod quaestor in Sicilia fuit, et provinciam Ciliciam partemque Phrygiae proconsule administravit, omnes juris apices nosse debuit, parem utrique privilegio efficaciam non obscure tribuit. Inter alia enim, quae de sua provinciae administratione ad Atticum perscripserat, refert etiam [b]): *multaque secutus sum Scaevolae, in iis illud, in quo sibi libertatem censent Graeci datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus.* Idem paullo infra: *Graeci vero exultant, quod peregrinis judicibus* (id est: propriis suis) *utuntur. Nugatoribus quidem inquies. Quid refert? tamen ἀυτονομιαν adeptos putant.* Idem alibi [c]): *Ità multae* (civitates) *omni aere alieno liberatae, multae valde levatae sunt, omnes suis legibus et judiciis usae, ἀυτονομιαν adeptae revixerunt.* Ergo quam efficaciam vir consularis priore loco largitur libertati, eandem in binis sequentibus tribuit autonomiae. Enimvero facile credo est divinare, cur tam vaga et fluctuantia fuerint utriusque beneficii jura. Nimirum jactata haec Graecarum urbium sive autonomia sive libertas umbratilis potius fuit et scenica, quam res veri solidique emolumenti, aut honoris. Neque enim valuit, quod *lege Caesaris justissima atque optima* cautum fuisse testatur Cicero [d]), *ut populi liberi PLANE et VERE essent liberi*, verum ita cum iis actum plerumque reperimus, ut non multum abessent a servitute. Verba Ciceronis in locis mox adductis, cum ait: *in quo sibi libertatem* censent *Graeci datam*, et cum Graecos judices *nugatores* appellat, satis manifestant, non modo nihil solidum his privilegiis quaesitum, sed et plane ridendos sese Graecos iis tam ambitiose aucupandis praebuisse, atque etiam hac in causa insanum eorum ingenium, quod jam titulorum fastu et veteris laudis quadam imagine fere solum pascebatur, compertum. Sane cum Plinii ad Trajanum literas, hujusque rescripta percurrimus, mirabimur, populos potuisse dici aut ἀυτονομις aut ἐλευθερους, qui in levibus etiam causis nihil ausi sunt inconsulto proconsule sive suscipere, sive innovare. Atque hac conditione fuerunt gentes liberae imperante Trajano, imposito provinciae Plinio, quorum utrique, generis humani amantissimo, propositum semper fuit, populis jura, si qua habuere, integra atque illaesa praestare. Nemini jam in mentem venit inquirere, quid interfuerit inter dictatorem, consulem, proconsulem, quod horum varia potestas certa fuit, et certis legibus stabilita; ergo cum in reperiundo ἀυτονομιας et ἐλευθεριας discrimine tanto laboremus opere, necesse est confiteri, utriusque jura nullis certis fuisse finibus definita. Neque alia causa est, cur in aliis quoque explicandis juribus tantopere dissiderent eruditi, et

a) pag. 582. b) L. VI. ep. 1. c) ad Attic. L. VI. ep. 2. d) in Pison c. 16.

Digitized by Google

necdum satis explicatam habeamus rationem in definiendo, quae fuerint jura μητροπολεων, vel urbium πρωτων, vel νεωκορχιδων etc. atque ut ad Romana deflectamus, quibus fuerint finibus circumscripta jura coloniarum, municipiorum, aut urbium, quae Latio donatae fuere.

Ceterum dubitari non potest, cum urbes sese in monumentis publicis αὐτονομους jactant, hoc nomine non intelligi αὐτονομιαν illam simplicem ac plane ordinariam, quam promiscue urbibus omnibus, simul atque in Romanorum ditionem transivere, fuisse permissam, vel ipsi numi affatim docent. Passim enim in moneta urbium infimi subsellii, et quae propter fortunae tenuitatem adspirare ad honores non potuissent, legimus perscripta nomina magistratus domestici, archontum, strategorum, scribarum, a quibus privatim regebantur, et a quibus anno quoque, tanquam a magistratu eponymo nomen dabatur, quibus ex marmoribus adde cosmos, et protocosmos notum urbium Creticarum magistratum. Huc pertinent communia civitatum concilia, ΒΟΤΛΗ, ΔΗΜΟC, ΓΕΡΟΤCIA, obvia in numis provinciae Asiae, ΚΟΙΝΟΒΟΤΛΙΟΝ in numis Tarsi et Anazarbi Ciliciae, in quibus actae causae, quae ad se unas pertinuere. Nemo non videt, hujus generis non fuisse αὐτονομιαν illam, quam in monumentis publicis tam superbe jactabant urbes, et quam, quod saltem de Antiochia Syriae constat, magna pecuniae vi a Romanis redemere. Atqui de hac altera et illustriore autonomia quaeritur, quid contulerit in urbes, quae illa donatae fuere, et quibus causis differat ab ἐλευθερια. Vtut erit, sive res distinctae fuerunt utrumque beneficium, sive eaedem diverso nomine, aut certe multum adfines, de quo, ut hactenus copiose dixi, difficile est arbitrari, dubitari nequit, certa quaedam civitatibus liberis permissa fuisse jura, quibus caruere urbes subjectae. Vt enim omittam usitatam orbis R divisionem in provincias, regna, liberas civitates, aut secundum Graecos, in populos foederatos, amicos, socios, et in subjectos, de quo vide Spanhemium a), ex quo sane liquet, distinctum fuisse urbium liberarum statum, non desunt exempla, quae nos jurium concessorum partem edoceant. Iam supra adduxi testimonium, quo Piseni exprobrat Cicero b): *Omitto jurisdictionem in libera civitate contra leges senatusque consulta.* En privilegium liberarum urbium senatus consulto munitum. Interroganti Plinio, utrum possint Amisenis liberis et foederatis permitti erani, de quibus jam egi supra, rescripsit Trajanus: *Amisenos, si legibus istorum, quibus de officio foederis utuntur, concessum est eranos habere, possumus, quo minus habeant, non impedire - - - in ceteris civitatibus, quae nostro jure obstrictae sunt, res hujusmodi prohibenda est* c). Permissum igitur urbi liberae, quod negatum servienti, quo modo Augustus quoque a Dione dicitur subjectos (το ὑπηκοον) ex legum R. praescripto composuisse, sed foederatis (τῳ ἐνσπονδῳ)

a) Orb. R. c. X. b) de prov. cons. c. 3. c) Plin. L. X. ep. 94.

Digitized by Google

marmore Gruteri [a]) habemus Mopsum Ciliciae ἐλευθεραν και ἀυτονομον και ΦΙΛΗΝ. ΚΑΙ. ΣΥΜΜΑΧΟΝ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Eadem conditione fuere Plarasenses et Aphrodisienses Cariae, tum et Termessenses Pisidiae ex monumentis mox citandis. De Amiso Ponti Plinius junior ad Trajanum: *Amisenorum civitas et libera et FOEDERATA beneficio indulgentiae tuae legibus suis utitur* [b]). Haec ex multis selecta exempla sufficiant.

Beneficia in amicas has et socias urbes collata eadem sunt, quibus gavisas urbes liberas capite praecedente diximus, nullo saltem manifesto discrimine. In tabula aenea apud Muratorium [c]) refertur decretum Romanorum, vi cujus Termessenses majores Pisidiae *liberi, amici, sociique populi Romani* essent, legibusque suis uterentur, possiderent agros suos, loca, aedificia publica, privataque, neve in eorum oppidum agrumve a magistratibus Romanis hiemandi causa introducantur milites, etc. In decreto Plarasensibus et Aphrodisiensibus Cariae a senatu dato, quod ex antiquo marmore vulgavit Chishull [d]), legitur: Ὁμοιως τε ἀρεσκειν τῃ Συγκλητῳ, τον δημον τον Πλαρασεων και Ἀφροδεισιεων την ἐλευθεριαν και την ἀτελειαν ἀυτες παντων των πραγμενων ἐχειν, καθαπερ τις πολιτεια τῳ καλλιστῳ δικαιῳ, καλλιστῳ τε νομῳ ἐστι χρωμενη, ἡ ἀπο δημου τε Ρωμαιων την ἐλευθεριαν και την ἀτελειαν ἐχει, ΦΙΛΗ ΤΕ ΚΑΙ ΣΥΜΜΑΧΟΣ ἐσα. *Praeterea placere senatui, populum Plarasensium et Aphrodisiensium habere libertatem et immunitatem rerum omnium, ut civitas alia optimo jure et optima lege utitur, quae a populo R. libertatem et immunitatem habet, AMICA ET SOCIA.* Additur deinde, utramque civitatem *jure amicitiae* (περος τηι φιλιαν) posse possidere vicos, castella, munitiones, fines, proventus, rerum omnium immunes, neve tributum eorum nomine ob quamcunque causam pendere teneantur. Teste Dione [e]) Augustus subjectos (το ὑπηκοον) ex Romanarum legum praescripto composuit, foederatos (το ἐνσπονδον) uti perpetuo majorum suorum institutis permisit, constituitque, ne aut horum quidquam Romano imperio accederet, aut hi sibi aliquid acquirere studerent, sed prorsus rebus suis contenti sint. Ceterum hanc quoque sive amicitiam, sive foedus nomine fere tantum constitisse, eo potest intelligi, quod urbes hae, quantumcunque amicae et foederatae, a Romanis tamen plane penderent, et ab his eadem haec speciosa jura saepe legatus aut sublata aut infracta. Sane de Augusto refert Suetonius: *urbium quasdam foederatas et ad exitium licentia praecipites libertate privavit* [f]). Quomodo actum cum Amiso libera et foederata, capite praecedente vidimus. Quod quidem commune est civitatum minorum fatum, quae cum majore aliqua foedere aeque adeo iniquo et tam late dispari conjunctae sunt.

a) pag. 255. 5. b) L. X. ep. 39. c) p. 582. d) Antiq. Asiat. p. 152. e) L. LIV. §. 9. f) in Aug. c. 47.

Digitized by Google

CAPVT V.

DE VRBIBVS QVAE SE METROPOLES DIXERE.

En harum catalogum ex numis:

Amasia Ponti.
ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. inde a Trajano, serius etiam ΜΗΤ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤΟΥ.

Amastris Paphlagoniae.
ΑΜΑΣΤΡΙΑΝΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. in numis Plotinae.

Anazarbus Ciliciae.
ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ.ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. inde a Caracalla.

Ancyra Galatiae.
ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΑΝΚΥΡΑ. inde a Nerone. — ΑΝΚΥΡΑ. Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΤΗΣ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ.

Antiochia Syriae.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. stante adhuc rep. Romana, et subinde sub imperatoribus. In numis Antiochiae coloniae: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ.

Artace et *Artaclium.*
ΑΡΤΑΚΑΙΩΝ, vel ΑΡΤΑΚΛΙΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, in autonomis. De hac situs incerti urbe vide, quae diximus in numis urbium incertarum.

Automala Cyrenaicae.
Huic oppido, aut verius castello, metropoleos honos ex numis suspectis tribuitur, ut notavi in ejus numis.

Bostra Arabiae.
COL. METROPOLIS. BOSTRA. inde a Philippo.

Caesarea Cappadociae.
ΜΗΤΡΟΠΟ. ΚΑΙΣΑΡΙΑΣ. inde ab Antonino Pio.

Caesarea Samaritidos.
COL. P. F. AVG. CAES. METR. PR*ovinciae Syriae* PAL*aestinae*, inde ab Alexandro Sev.

Carrhae Mesopotamiae.
ΚΟΛ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΡΡΗ-

Digitized by Google

ΝΩΝ. vel: ΚΑΡ. ΚΟ. ΜΗΠΟΛ. pro ΜΗΤΡΟΠΟΛ. inde a M. Aurelio.

Coropissus Lycaoniae.
ΜΗΤΡΟ. ΚΟΡΟΠΙCCΕΩΝ. in numo Hadriani.

Damascus Coelesyriae.
ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. inde ab Hadriano, serius COL. DAMA. METRO. inde a Philippo.

Diocaesarea Ciliciae.
ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΕΝΝΑΤΩ. in numis Philipporum.

Edessa Mesopotamiae.
ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ. inde a Macrino.

Emisa Syriae.
ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΜΙCΩΝ. inde ab Elagabalo.

Halicarnassus Cariae.
ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. in numo Severi suspecto.

Heraclea Bithyniae.
ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟΠΟΛΕΙΤΑΝ. in numis Trajani. — ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟC. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ. in numo Gordiani.

Isaurus Isauriae.
ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΙCΑΤΡΩΝ. in numis Getae et Elagabali.

Lampsacus Mysiae.
ΜΗΤΡΟΠ. ΛΑΜΨ. in numo Caracallae.

Laodicea Syriae.
ΙΟΤΛ. ΛΑΟΔΙΚ. CΕΟΤΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. sub Severo, ab hoc deducta colonia, et inde: COL. LAO. *Provinciae Syriae* METROPOLEO. vel similiter.

Magnesia Ioniae.
ΜΗΤΡ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. in numis Ant. Pii. Vide de dubio metropolis honore monetam hujus urbis.

Neocaesarea Ponti.
ΝΕΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. addito in nonnullis ΠΟΝΤΟΤ. inde a M. Aurelio.

Nicomedia Bithyniae.
Μ. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. in numo Germanici, serius: Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑC.

Nisibi Mesopotamiae.
CΕΠ. ΚΟΛ. ΝΕCΙΒΙ. ΜΗΤ. inde ab Alexandro Sev.

Perga Pamphyliae.
Ex numo perperam dicta metropolis a Spanhemio. Vide ejus monetam.

Pergamus Mysiae.
Η. ΠΡΩΤΗ. ΑCΙΑC. ΚΑΙ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. ΠΡΩΤΗ. etc. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΟΛΙC. in numo Caracallae.

Petra Arabiae.
ΠΕΤΡΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. in numis Hadriani.

Philippopolis Thraciae.
ΜΗΤΡΟ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩC. inde a Severo.

Digitized by Google

Pompejopolis Paphlagoniae.
ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙC. ΜΗΤΡΟ. addito etiam ΠΑΦΛ. inde a M. Aurelio.

Prusias ad Hypium Bithyniae.
ΜΗΤΡ. ΠΡΟΤCΙΕΩΝ. in numo Macrini apud unum Tristanum.

Roma.
ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. ΝΕΙΚ. Hunc numum explicatum vide in moneta Nicomediae Bithyniae.

Samosata Commagenes.
ΦΛΑ. CAMOCΑΤΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠ. inde ab Hadriano.

Sardes Lydiae.
ACIAC. ΛΤΔΙΑC. ΕΛΛΑΔΟC. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. CΑΡΔΙC. in binis autonomis. — ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ACIAC. in numo Severi.

Seleucia Ciliciae.
CΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΜΗ. in numo Gallieni.

Sidon Phoeniciae.
COL. AVR. PIA. METROP. SIDON. inde ab Elagabalo.

Tarsus Ciliciae.
ΤΑΡΣΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. inde ab Augusto, addito nonnunquam ΚΙΛΙΚΙΑC. vel: ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ.

Thessalonica Macedoniae.
ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. inde a Decio, sub Valeriano: ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. ΚΟΛΩ.

Tomi Moesiae inf.
ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. ΤΟΜΕΩC. inde ab Ant. Pio.

Tripolis Phoenices.
ΤΡΙΠΟΛΙΤ. ΜΗΤΡ. ex autonomo, sed lectio suspecta.

Tyrus Phoenices.
ΤΥΡΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. obvium in autonomis, inde a Severo: COL. SEPT. TYRVS. METROP. et in numo Alexandri: SEP. TYRO. METROP. COL. PENIC.

Exclusi ex hoc catalogo urbes dictas in numis metropoles sive ex figmentis Goltzii, sive ex falsis variorum auctorum indiciis, quae pridem peritis repudianda sunt visa.

De varia METROPOLEOS in numis significatione.

Non una fuit apud veteres vocabuli Μητροπολις significatio, quam hoc articulo explicandam suscipimus, quod ea in numis quoque variat. Levavit inquirendi laborem immortalis memoriae vir Ezechiel Spanhemius, qui erudita disputatione totam hanc causam complexus est [a]), ex qua pleraque, quae tibi hic propinantur, excerpsi, additis nonnullis, quae illustrando huic

a) Tom. I. p. 568. seq.

Digitized by Google

argumento servire poterunt, aliis aliter explicatis.

Μητροπολις spectata etymologia est *urbs mater*, ἀλληγορικως istud, et eleganter, quod ut mater prolem, sic urbs urbem velut quandam generis sui prolem potest procreare. Dicitur ergo, et est urbs quaepiam mater, quae ob varias causas ex suorum numero civium alibi colonias constituit, cujus quidem instituti infinita numero omnis aevi habemus exempla. Vt taceam vetustissimos Phoenices, qui quaestus causa maria omnia ad Oceanum usque deductis a se coloniis frequentarunt, quis ignorat copiosam Graecorum sobolem per omnia maris mediterranei, Adriatici, Aegei, Euxini littora sparsam, probantibus maxime fecunditatem Atheniensibus, Corinthiis, Milesiis, Chalcidensibus Euboeae? Potuit etiam urbs dici avia, si forte neptes habuit. Sic Corinthus fuit mater respectu Corcyrae filiae, et avia respectu Dyrrhachii a Corcyraeis deducti. Sed deductam hanc altius originem veteres dixere *majorem patriam*, *matrem* vel *patriam antiquam*. Sic et ἀναλογως urbes ejusdem conditoris, seu patris dictae sunt sorores, et populi dicti fratres, testantibus istud numis quoque cum nota epigraphe: ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *fratrum populorum*, quo nomine intelligendas illustres Syriae urbes Antiochiam, Seleuciam, Laodiceam, Apameam, ab uno Seleuco conditas, probavimus in moneta urbium Seleucidum. Sed nolo esse longior in causa pervulgata, in qua explicanda copiosus jam fuit Spanhemius [a]), quo loco multa etiam disserit de juribus et privilegiis metropoleon ratione coloniarum. In numis una Heraclea Bithyniae sese metropolim hujus significationis profitetur docente numo Gordiani sic inscripto: ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟC. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ. *Heracleotarum* urbis, *matris coloniarum urbium*. Quo istud jure potuerit adfirmare, diximus in moneta hujus urbis. Addo Tyrum Phoeniciae, quae Thebas Boeotiae, suam per Cadmum filiam numis inscripsit, tum et Didonis meminit, quae Tyro profecta Carthaginem condidit. Ceterum copiosos habemus numos, in quibus urbes coloniae adscitis suarum metropoleon typis earum se aut filias aut neptes palam testantur, sed de his opportunius agemus in tractatu de numis coloniarum. Huc etiam pertinet titulus *metropolis frugum*, μητροπολις των καρπων auctore Aristide ex Apollinis oraculo inditus Athenis, quod haec urbs beneficio Cereris prima habuit fruges, et deinde per omnes terras dispensavit, additque, hujus beneficii causa quotannis a Graecis frugum primitias huc missas [b]). Sin istud, Athenae, dum aliis consulunt, sui fuere improvidae. Nam teste Demosthene Athenienses importato aliunde frumento omnium mortalium usi sunt plurimo, magnam partem a remotissimis Bosporanis petito [c]). Sed enim aliud saepe docent fabulae fictae, aliud historia vera.

Haec cum esset a principio, neque alia, et ab ipso quidem nomine ducta metropoleos significatio, factum subin-

a) l. c. b) in Panathenaica T. I. p. 105. c) contra Leptinem p. m. 545.

Digitized by Google

de, ut metropoles dicerentur urbes, quae colonias nunquam deduxere, modo dignitate, copiis, aliisque causis praestarent, et nomine adeo metropoleos subinde etiam, et multo frequentius caput provinciae intelligeretur, atque in hoc sensu Dionysius Periegetes dixit [a]):

Ρωμην τιμηεσσαν, ἐμων μεγαν οἰκον ἀνακτων,
ΜΗΤΕΡΑ ΠΑΣΑΩΝ ΠΟΛΕΩΝ.
Romam venerandam, meorum magnam domum regum,
Matrem omnium urbium.

accedente etiam numorum Nicomediae auctoritate, in quibus legas: ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. Hujus alterius significationis jam Graeci ipsi dedere exemplum. Antiochia Syriae, urbs, quod inter omnes notum, nuper condita, nullamque ipsa prolem enixa, metropolis in numis dicitur, ut demonstravimus in ejus urbis moneta, jam anno V. C. 662., multo adeo ante quam duce Pompejo M. in Romanorum leges iret. Thessalonica quoque ab Antipatro Thessalonicensi jam Augusti aetate dicitur *μητης πασης Μακεδονιης* [b]). Sed nolim in eundem censum vocare Tyrum quoque, ut istud visum Spanhemio, qui ex inscriptis Tyriae monetae annis conjecit, Tyrum stante adhuc rep. Romanorum perinde atque Antiochiam dictam fuisse metropolin, et quidem in altera hac significatione, quorum illud ex numorum testimonio improbandum, istud plane dubium. Etenim Tyrus, quod hactenus constet, non ante Claudii tempora in numis se dixit metropolim, ut ostendi in ejus urbis moneta; quod ad alteram partem attinet, cum in marmore Gruteri [c]), quod subinde late explicavit Ignarra [d]), Tyrus dicatur *μητροπολις Φοινικης και ἀλλων πολεων*, dubium non videtur, eam vocari metropolim in priore significatione, et adludi ad colonias intra extraque Phoeniciam constitutas, quod, ut mox vidimus, fecere et Heracleotae.

At Roma demum imperante in immensum auctus metropoleon in posteriore hoc sensu numerus. Nimirum cum urbes vere matres tam propter vetustatem, quam sobolis multitudinem magnis vulgo laudibus efferrentur, urbes noviciae, sed opibus ac potentia conspicuae, quales fuere Smyrna, Antiochia, Nicomedia, dedecus suum arbitratae, si, quod erant, steriles vocarentur, matris nomen immodica coeperunt ambitione adfectare, non difficilibus ad haec eorum vota Romanis, et cum fieri poterat, adnuentibus, qui ridere solebant inepta haec Graecorum desideria, et vanas has de excellentia contentiones vocare Ελληνικα ἁμαρτηματα, *Graecanica peccata*, ut testatur Dio Chrysostomus vellicans ipse fatuam hanc gentis suae ambitionem [e]). Fuisse ab imperatoribus metropoleos honores non raro decretos, illustre testimonium habemus Canonem XIII. concilii Chalcedonensis: *ὁσαι δε ἠδη πολεις δια γραμματων βασιλικων τῳ της μητροπολεως ἐτι-*

a) Orb. descript. v. 355. b) Brunck Anal. T. II. p. 112. c) pag. 1105. d) de pal. Neap. p. 279. e) Orat. 38. p. m. 479.

Digitized by Google

μηθησαν ἀνομασι, κ. τ. λ. *quaecunque vero urbes literis imperatoriis metropoleos nomine decoratae fuere etc.* Impetrato ergo hoc titulo factum, ut urbs quaepiam provinciae caput agnosceretur. Disertis istud verbis prodidit Procopius [a]). Agens enim de Caesarea Cappadociae haec subjungit: ἐξ ὅ δη και εἰς μητροπολεως ἀξιωμα ἠλθεν· ὑτω γαρ πολιν την πρωτην τυ ἐθνους καλυσι Ρωμαιοι. *unde et metropolis dignitatem nacta est; sic enim urbem gentis primam vocant Romani.* Atque hóc quidem Procopii testimonium ex praecipuis est, quibus utuntur Spanhemius aliique, ut comprobent, nativam matris urbis significationem serius in aliam capitis provinciae fuisse detortam. Tamen, quod pace clarissimorum virorum dixero, non sic velim intelligi recitatum Procopii locum, quasi matris urbis significatio exspirasset, posteaquam civitas oblato metropoleos titulo caput regionis aut gentis est agnita. Esto, non deduxit colonias, id est: non fuit mater natura, at potuit fieri mater ex jure scripto. Quemadmodum enim, qui liberis caruit, evasit pater, cum liberos sibi adoptavit, sic urbs suapte sterilis evasit mater, cum ei ab imperatore aliae ejusdem regionis urbes velut adoptandae sunt traditae, quo constituto hae eadem illi obsequia juberentur praestare, quae par erat matri urbi praestari a coloniis. Ad haec licuit urbibus, alterius civitatis adoptare cives singulos, cur non et collectos, seu civitatem integram? Iam vero singulorum, qui duas pluresve patrias agnovere, naturalem unam, alias per quandam velut adoptionem, innumera habemus in veterum monumentis exempla, quorum nonnulla adduxi in moneta Laodiceae Phrygiae ad numum inscriptum: . ATTAΛOC. COΦICTHC. TAIC. ΠATPICI. CMTP. ΛAO. Occurrit exemplum aliud argumentum istud insigniter illustrans. Valuit Graecos inter et Romanos jus, quod trium liberorum dicebatur, variaque iis beneficia et honores indulgebat, qui totidem se liberos genuisse poterant testari. Tamen si quis vel vir vel mulier praecipua fuere dignitate, aut meritis conspicui, etsi sobolem aut desideratum numerum repraesentare non possent, non raro imperatorum indulgentia trium liberorum jus sunt consecuti. Ad hunc modum teste Dione Cassio Livia Augusti conjux in matrum, quae ter peperissent, album est relata [b]), qui et addit continuo: *quibus enim seu viris seu mulieribus fortuna tot liberorum negasset proventum, eorum nonnullis tamen lex, antea quidem per senatum, nunc autem per imperatorem jus trium liberorum largitur, ut neque poenis iis, quae orbitati sunt destinatae, teneantur, et paucis duntaxat exceptis constituta copiosae proli praemia adipiscantur.* Quapropter quid vetat opinari, eodem modo urbes quaspiam illustriores ad metropoleos dignitatem esse evectas sic, ut in matrum numero vere putarentur, et tametsi proles ipsae carerent, in earum locum ex jure scripto sufficerentur urbes provinciae minores, quae ei tanquam urbi matri omnia filiarum officia deferrent! Aliud exemplum significationis ex juris

a) De aedific. Iustin. L. V. c. 4. b) L. LV. §. 2.

Digitized by Google

arbitrio inditae praebent coloniae Romanae. Hoc nomine primum vocabantur urbes, in quas Romani partem civium deduxere, at serius urbes coloniae dici coepere, quibus colóniarum tantum jura concessa sunt etiam nemine civium in eas evocato. Adeo enim paullatim perversae fuerunt ipsae rerum significationes, ut passim aliud enunciaretur, aliud intelligeretur, nihilque aut parum admodum veteris moris institutique remaneret. Quin et istud singulare, non paucas urbes in uno eodemque numo simul metropoles, simul colonias dici, ut Antiochia Syriae, Bostra, Caesarea Samaritidos, Carrhae, Damascus, Edessa, Emisa, Laodicea Syriae, Nisibi, Sidon, Thessalonica, Tyrus, quarum paucae colonos emisere, paucae recepere.

Metropoleos honor Romanis non sine justis causis conferendus est visus, inter quas commemorat Spanhemius, si qua urbs regum antea sedes exstitit, si magnitudine, antiquitate, situs opportunitate, templi majestate ac religione inclaruit, magnum etiam momentum fuit, si qua meritis in Caesares populumque Rom. spectata fuit. Sane urbes fere omnes, quas praefixus catalogus metropoles adserit, ab una pluribusve id genus causis celébritatem nactae sunt. Si qua urbs cetera ignobilior in numis fertur metropolis, cujus generis nonnullas dictus catalogus offert, potest aut jure praetensa lectio in dubium vocari, aut hic titulus aliter explicari, quo modo explicavimus Isaurum Isauriae metropolim, aut extraordinaria subest collati ejus honoris causa, quae omnia ex sequentibus distinctius patebunt. Mirum videri posset, urbes a vetere fama maxime inclytas, quales fuere Athenae, Sparta, Corinthus, Argos, Cnosus, aliaeque, in nullis veterum monumentis metropoles praedicari, nisi satis constaret, titulorum insanam libidinem unis fere tantum Graecis transmarinis fuisse adfixam, quam modicarum etiam urbium arrogantiam salse ridet epigramma Ammiani [a]):

Ἔςω μητροπολις πρωτον πολις, ἔιτα λεγεσθω
Μητροπολις. μη νυν, ἡνικα μηδε πολις.
Heus tu, μητροπολις, esto primum πολις; deinde dicare
Μητροπολις, non nunc, quando ne quidem πολις es.

Ex veterum monumentis certum insuper, in una eademque provincia Romana plures fuisse urbes metropoleos honore decoratas. Atque de celeberrima omnium provincia Asia ut initium ducam, quae complexa est Phrygiam, Lydiam, Mysiam, Aeolidem, Ioniam, Cariam, Lycaoniam, vel ex numis supra descriptis habemus metropoles Halicarnassum, Lampsacum, Magnesiam, Pergamum, Sardes, Coropissum, ac praeter has ex variis aliis monumentis Smyrnam, Ephesum, Cyzicum, aliasque, quas enumerat Spanhemius, et quas miramur, cum tot alios titulos tam ambitiose in moneta sua jactaverint, metropoleos titulum ab ea con-

a) Brunck Anal. T. II. p. 386. VII.

Digitized by Google

stanter procul habuisse. Fuere in Cilicia metropoles Tarsus, Anazarbus, Seleucia, Diocaesarea, in Syria Antiochia, Emisa, Laodicea, Samosata, in Paphlagonia Amastris, Pompejopolis, in Mesopotamia Carrhae, Nisibi, Edessa, in Ponto Amasia, Neocaesarea. Observandum tamen, metropoleon numerum arctum primum, subinde per intervalla auctum fuisse, quo in instituto praeter causas supra allatas suas etiam partes habuere principum seu adfectus seu odium. Sic cum Syria suas jam haberet metropoles, eis addita ab Elagabalo Emisa, quod haec ejus esset patria. Iratus Antiochensibus cum esset Hadrianus, volebat Syriam a Phoenice separare, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur, ut testatur Spartianus a). Revera Tyrum Phoenices ab Hadriano dictam metropolin refert Suidas b). Severus Antiochensibus item iratus, quod a Pescennio stetissent, omnia his adempta jura in Laodiceam ad mare transtulit, inter quae fuit etiam metropoleos honor. Idem sub Elagabalo experta Tyrus, Sidone in ejus locum suffecta metropoli. Etsi vero principum bonitate Antiochia et Tyrus in integrum restitutae fuere, tamen saltem Laodicea metropolis esse perrexit. Haec omnia in singularum urbium numis habes comprobata.

Cum plures fuere in una provincia metropoles, factum, sed rarius, ut harum una quaepiam se metropolin *primam* palam profiteretur. Sic Pergamus dicitur in numo ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΠΡΩΤΗ. et Sardes majore hiatu: ACIAC. ΛΤΔΙΑC. ЄΛΛΑΔΟC. A. (id est: πρωτη) ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. Vtrum et Carrhae Mesopotamiae addito in nonnullis A. indicare voluerint metropoleos primatum, non satis liquet, ut in earum moneta observavimus. Fueriatne primis his metropolibus certa quaedam adfixa jura, difficile est statuere, et vix operae pretium inquirere, quod metus est, ne impensus omnis labor irritus sit, si, quod suspicari sane licet, superbus hic titulus non decreto senatus, sed privata ambitione partus fuit, qua impellente Sardes se dixisse *Asiae, Lydiae, Helladis primam metropolim*, qua in formula Ἑλληνικων ἁμαρτηματων Ἑλληνικοτατον agnosco, dixi in moneta hujus Lydiae urbis. Sed non est cur magnopere miremur, hujus nos primatus causam ignorare, cum ne quidem explicatum apud veteres reperiamus, quid sive commodi, sive honoris, sive jurium accesserit urbi ad metropoleos dignitatem evectae, utrum imperium in urbes inferioris ordinis, an jurisdictionis quaedam potestas, an praeter honorem nihil. Enimvero Scaligerum adserentem in suis ad Eusebium notis, metropoles saltem in Asia eas habitas, in quibus conventus aut causarum fora agerentur, praeclare jam refutavit Spanhemius c) auctoritate rescripti Antonini, dicti Caracallae, ad commune Asiae, in quo disertis verbis distinguitur inter urbes metropoles, inter eas, quae habent fora causarum, et reliquas inferiores. Fuisse tamen aliquem, qualemcunque illum, urbium inferiorum cum metropoli nexum, inde conjicio, quod secus

a) in Hadriano. b) in Πωυλος. c) T. I. p. 611.

Digitized by Google

non intelligo, cur Hadrianus juxta citatum mox Spartiani testimonium voluerit Syriam a Phoenice separare, ea, ut ibi additur, de causa, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. Aliquam etiam nexus imaginem videntur indicare typi, de quibus continuo agemus. Iudice Spanhemio [a]) haec fuerunt metropoleos jura, etsi non satis evidenter a viro summo probata, ut nempe essent capita provinciae, sedes Romani praesidis, ut leges in iis et edicta proponerentur, ut communia gentis concilia, solennes sacrorum et ludorum panegyres in iis haberentur, tum ad publica earum opera, ubi id necessitas exigeret, sumptus a minoribus civitatibus erogarentur. Magis definitum aliud reperio in Dione Chrysostomo his verbis Nicomedenses adhortante [b]): *Conamini igitur principatum inter urbes obtinere, primum cum earum curam geritis*, τυτὸ γαρ, addit, καθο μητροπολις ἐστε, ἐξαιρετον ἐστιν ἐργον ὑμετερον, *istud enim propterea, quod metropolis estis, praecipuum est vestrum negotium.* Alia metropoleos jura vide alibi apud eundem rhetorem [c]).

De epigraphe nihil habeo praeterea quod moneam, cujus leges ex praefixo cataloge possunt intelligi. Ad typos quod attinet, bini tantum mihi cogniti sunt numi, qui ad metropoleos dignitatem videantur adludere. Quorum unus est Neocaesareae Ponti cum capite Severi apud Haymium, in cujus aversa finguntur stantes sex genii muliebres; alter coloniae Laodiceae Syriae cum capite Elagabali apud Pellerinium, (Mel. I.) in quo fingitur sedens in medio mulier turrita, adstantibus quatuor mulieribus aliis turritis ad eam conversis; quibus quidem geniis non aberravero si credam indicari urbes ejusdem regionis inferieres metropoli subjectas.

* * *

Metropoleos una adhuc superest significatio, nempe cum indicatur *urbs Matris*, id est: Cybeles, quae κατ' ἐξοχην *Mater* appellabatur. Teste Stephano Metropolis Phrygiae urbs nomen traxit ab hac dea Matre, a qua condita ferebatur, ut et Metroum Bithyniae, de quo egi alibi [d]). Atque a simili Cybeles cultu verisimile est inditum nomen plerisque aliis, quarum non paucas notavit Stephanus, inferioris omnes ordinis, sic adeo vocatas a religione sui numinis, ut a suis numinibus vocatas habemus Diospolin, Heropolin, Apollonopolin, Hermopolin etc. Haec non παρεργως hoc loco commemoramus, nam propter haec, quae modo disserui, facile adducor ut credam, nonnunquam urbibus additum metropolis titulum, non quod essent vel urbes matres vel capita provinciae, sed Cybeles neocorae, quemadmodum et Cabira Ponti dicta fuere Diopolis a Iovis scilicet cultu, aut Castabala Cappadociae Hieropolis etc. Ergo cum metropoleos magnificum titulum in numis jactare videmus urbes aut obscuras, aut saltem non ejus rationis, propter

a) T. I. p. 637. b) Orat. XXXVIII. p. 477. c) Orat. XXXIV. p. 427. d) num. vet. p. 181.

Digitized by Google

quam aut urbs mater, aut prima provinciae dici posse videatur, possumus suspicari, epitheto metropoleos intelligendam urbem Matri Cybele devotam. Atque in hoc sensu existimo Coropissum in numis dici metropolin, oppidum sane ignobile, aut verius judice Strabone κώμην *vicum*, quam hercle verisimile est nunquam aut deduxisse colonias, aut fuisse caput provinciae, ad haec sitam in Lycaonia regione modica et parum conspicua, cui utique sufficere poterat Iconium, quae urbs Hierocle teste fuit certa Lycaoniae metropolis.

CAPVT VI.

DE VRBIBVS PRIMIS, ΠΡΩΤΑΙΣ.

Primas sese in numis dixere urbes sequentes:

Amasia Ponti.
AMACIA. MHT. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. vel: ΜΗτροπολις ΝΕωκορος ΠΡωτη Ποντu aut similiter inde a M. Aurelio.

Caesarea Samaritidos.
COL. PRIMA. FLavia AVG. CAESARIA. addito inde ab Alexandro Sev. METRopolis titulo.

Ephesus Ioniae.
ΕΦΕCIΩN. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. vel: A. ACIAC. inde a M. Aurelio. — In numo Macrini: ΕΦΕCIΩN. ΜΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. — In numo Elagabali: ΕΦΕCIΩN. Η. ΠΡΩΤΗ. ΠΑCΩΝ. ΚΑΙ. ΜΕΓΙCτη.

Laodicea Syriae.
Perperam huic a Vaillantio tribatum primatum probavi in meis *numis veteribus* pag. 285.

Mytilene Lesbi.
ΠΡΩΤΗ. ΛΕCΒΟΥ. ΜΥΤΙΛΗΝΗ. in numo autonomo.

Nicaea Bithyniae.
ΝΙΚΑΙΕΙΣ. ΠΡΩΤΟΙ. ΤΗΣ. ΕΠΑΡΧΙΑΣ. in numis Domitiani; in alio ejusdem: ΝΕΙΚΑΕΙΣ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ.

Nicomedia Bithyniae.
Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. vel: Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΝΙΚΟ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. ΚΑΙ. ΠΟΝΤυ. in numis Domitiani, Trajani, et Ant. Pii, post quos primatus mentione abstinuit.

Digitized by Google

Pergamus Mysiae.
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. inde a Caracalla, in eximio ejusdem alio musei Caesarei: Η. ΠΡΩΤΗ. ΤΗC. ACIAC. ΚΑΙ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. ΠΡΩΤΗ. ΚΑΙ. ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΟC. ΠΡΩΤΗ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, ΠΟΛΙC.

Sagalassus Pisidiae.
CΑΓΑΛΑCCΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΗC. ΠΙCΙΔΩΝ. in numo Valeriani.

Samus insula.
CΑΜΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΙΩΝΙΑC. in numis Gordiani et Decii.

Smyrna Ioniae.
CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. addito etiam ACIAC. inde a Commodo. — In numis Caracallae: CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ.

Tralles Lydiae.
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΕΛΛΑΔΟC. in autonomo.

Quae sit urbis πρωτης significatio, nulli principio dubio obnoxia videatur, quod urbs, quae se *primam* dicit, ipso nomine provinciae caput sit intelligenda. At vero cum secundum haec, quae in tractatu praecedente diximus, etiam metropoleos nomen caput provinciae indicaverit, ad haec nonnullorum numorum epigraphe: ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. certum inter utrumque vocabulum discrimen enunciet, dubitari coeptum de vera πρωτης significatione, eamque auctores veteres non satis explicent, quae urbibus excellentia addito hoc nomine accesserit, factum, ut eruditi eo explicando occupati in varias abirent sententias, quas continuo paucis enarramus.

Existimavit *Humphridus Prideaux*, urbem Asiae proconsularis tum dictam πρωτην, quando instituta in imperatorum honorem festa, quae Κοινα της Ασιας dicebantur, in illa acta fuerunt, quo factum, ut ad plures idem honor redundaret, ipse vero perpetuus non esset, sed cum dictis festis exspiraret. Haec auctor clarissimus. (ad marm. Oxon p. 467. At nescio, cur haec sententia tam a Buonarrotio, quam Mazzoleno in commentariis, quos infra citabo, Seldeno tribuatur.) Sententiam hanc prorsus arbitrariam refutabunt ea, quae sequentur.

Othoni Sperlingio visum, ΠΡΩΤΩΝ Pergamenorum numis additum significare Pergamenos primos, seu caput suae regionis, nempe Mysiae [a]). Verum quo pacto explicabimus, cum legimus, Ephesum et Smyrnam, quae fuere unius Ioniae urbes, utramque tamen dici πρωτην?

Albertus Rubenius eas ajebat urbes dictas πρωτας, quae conventus seu fora causarum habebant [b]). Verum multae fuerunt in Asia urbes, in quibus acti conventus, quasque enumerat Plinius, et tamen solae in hac fuerunt Ephesus, Smyrna, Pergamus, quae primatum in monumentis publicis jactavere.

Ioanni Vaillantio urbes primae fuerunt, quae tributa quaedam ab aliis

a) Ad num. Tranquillinae. b) diatr. de Neoc.

Digitized by Google

accipiebant, erant sedes conventuum et judiciorum, in qua disceptarent aliae urbes, et quae praetores in oppida mitterent, atque etiam sacrorum pro Augustis et certaminum curam habebant, quae omnia ex Dione Chrysostomo et Aristide liquere ait [a]). Sed haec temere adserta ex iisdem auctoribus refellemus. Tamen a Vaillantio non magnopere dissentit *Harduinus*.

Ezechiel Spanhemius conjicit, contentionem de primata inter Ephesum, Smyrnam, et Pergamum inde profectam, quod communia in Asia proconsulari essent gentis concilia, communia insuper totius provinciae templa, tum sacra et agones, pro quibus apud se celebrandis primatum sibi prae duabus aliis ejusdem provinciae urbibus deberi contendebant singulae illae tres primariae ejus Asiae civitates. Sed cum istud, tantum ad civitates Asiae valere posset, ad explicandum Ponti et Bithyniae urbium primatum alias arcessit causas. Vide haec omnia a viro doctissimo explicata inde a pagina 632. Tomi I.

Philippo Buonarrotio creditum, nomine *primae* significatam urbem aliis magis illustrem, neque tamen huic propterea aliquid sive verae dignitatis sive veri emolumenti accessisse, solamque fuisse immodicam ambitionem adpetiti hujus vani sterilisque tituli causam, quae quidem omnia ex veteribus commode probari, continuo patebit [b]). Eruditi hujus viri sententiam laudavit adprobavitque *Albertus Mazzolenus*, cujus extat copiosus nitidusque de hoc urbium primatu commentarius [c]), in quo Buonarrotii brevia dictata uberius explicare suscepit.

* * *

Habes hic enarratas eruditorum de significatione ΠΡΩΤΩΝ sententias, sed quibus perlectis haud dubie parum tibi profecisse videberis. Quod si haec causa necdum satis est illustrata, nequaquam istud tribuendum virorum praestantium negligentiae, quorum novimus, quam fuerint pertinaces in explicandis monumentis conatus, sed veterum commentariis sive plane silentibus, sive ejus significationis non satis explicatam rationem tradentibus. Tamen ut ambigui hujus argumenti causas et modos, quoad ejus fieri poterit, intelligamus, necesse est, quae certa sunt, quaeque incerta, repraesentare.

Quaeritur I. quae sit nativa vocabuli Πρωτος significatio? Ratione argumenti nostri triplicem esse intelligo, numis etiam stabilitam. Una est, quae nonnisi simplicem divisionem, geographicam, chorographicam, aut quamcunque aliam indicat, cujus generis est in numis MAKEΔONΩN. ΠΡΩΤΗΣ. *Macedonum* partis *primae*, quia Macedonia in quatuor partes divisa fuit, quae divisio provinciarum in primam, secundam, tertiam infimo Romani imperii aevo maxime valuit. Eodem modo legimus in denariis M. Antonii LEGio PRIMA., quia legiones numeris definiebantur. In similibus exemplis primatus excellentiam non dedit, quod in his numeri partium tantum distributio-

a) Num. Graec. p. 209. b) Osserv. istor. p. 195. seq. c) in num. onus Pis. animadv. p. 209.

Digitized by Google

nem enunciant. Alia significatio est, cum quid indicatur primum ratione temporis, ut in denariis gentis Iuniae: L. BRVTVS. PRIMVS. COnSul. vel Memniae: MEMMIVS. AEDilis CERIALIA. PREIMVS. FECIT. Similia famam et nomen tribuere possunt, at non prae aliis excellentiam. Tertia est, cum quid proditur primum causa dignitatis et eminentiae, ut in tractatu praecedente vidimus ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΠΡΩΤΗ. *Metropolis prima*, in numis aliis obviis: ΑΡΧΩΝ. Α. *Archon primus*. Nemo non videt, primatum in numis nostri argumenti ad tertium istud genus pertinere, quod honorem sibi urbes, et ut alias praecellerent, quaesivere, quidcunque deinde fuerit illud, cujus causa se πρωτας dici voluere. Similem dignitatis rationem habet epigraphe: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ЄΒΔΟΜΗ. ΤΗϹ. ΑϹΙΑϹ., qua se Magnesia Ioniae *septimam* Asiae jactat, de qua agemus infra. Accedit denique, Aristidem, cum in oratione, quam paullo post citabimus, post laudatas Pergamum et Smyrnam ad laudandam tertiam Ephesum transiret, metu ne hanc urbem, quod tertiam nominaverat, postponere videretur, continuo addidisse: λεγω δε ἀριθμῳ τριτην, ὁ ταξει, *ajo vero tertiam numero, non ordine*. Ex quibus verbis appareret, solicite cavisse urbes cetera illustriores, ne non primum dignitate inter alias locum obtinere viderentur.

Quaeritur II. fueritne discrimen inter *metropolin*, et *primam*? Si veterum geographorum et historicorum communem usum spectes, promiscue utroque vocabulo ad indicandam provinciae caput usos constat, cujus plura exempla adducit Spanhemius [a]). Ac jure quidem. Nam cum, ut in superiore tractatu diximus, aetate Caesarum nomine metropolis indicari soleret urbs, quae dignitate prima fuit, poterant scriptores, qui subtiles Graeculorum definitiones aut ignorarunt, aut contempserunt, nulle ambiguae orationis periculo utrumque nomen perinde habere. Atque ex ipse quidem syllabo, quem praefixeram, credo posse exempla sumi, quasdam urbes dictas πρωτας propterea, quod vere metropoles, id est, capita suae regionis essent. Sic Mytilene dicta ΠΡΩΤΗ. ΛЄϹΒΟΤ, Sagalassus ΠΡΩΤΗ. ΠΙϹΙΔΩΝ., quia sine dubio illa urbs princeps Lesbi, haec Pisidiae fuerunt. Tamen reperisse Graecorum ingenium verum inter utrumque discrimen, aliquot supra descripti numi aperte testantur, v. g. Nicomediae, quae dicitur Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΤΝΙΑΣ., quod et confirmat Dio Chrysostomus, cum diserte ait metropoleos nomen fuisse peculiare Nicomediae, at πρωτης commune et Nicomediae et Nicaeae [b]).

Posteaquam igitur demonstravimus, epitheton πρωτης significasse aliquam excellentiam, et quiddam a metropoli diversum, inquirendum restat, quidnam urbes hoc titulo tam avide captato sibi quaesiverint. Scriptores, ex quibus aliquid luminis ad illustrandam hanc quaestionem peti possit, et quos eruditi omnes, qui de hoc argumento scripserunt, in consilium adhibuere, sunt pri-

a) T. I. p. 632. et 646. b) Orat. 38.

Digitized by Google

mem Aristides rhetor in oratione περὶ ὁμονοιας ταις πολεσιν, quae exstat in editione Iebbiana Tomo I. p. 517., alter Dio Chrysostomus, qui in oratione, quae est numero XXXVIII., ineptam Nicomedensium et Nicaeensium in captandis titulis ambitionem reprehendit, adde orationem XXXIV., ad Tarsenses alteram, tertius Philostratus in vita Polemonis sophistae, et vixere hi quidem ea aetate, qua Asiae minoris urbes atrocius quam alias honorum insania laborabant, et fuit praeterea illis propositum, nimium civitatum in hos titulos adfectum refrenare. Recte igitur censuere Buonarrotus eumque secutus Mazzolenus, propter causas memoratas ab his unis verum primatus sensum esse eruendum, etsi et hi minus, quam vellemus, aperte ac dilucide ejus omnes causas explicarent. Iam igitur quid hi ipsi senserint, ex eorum ipsorum dictatis intelligamus.

Singulorum scripta si excutiamus, apparebit facile, urbibus, quae se primas dici voluere, praeter honorem, eumque mere fictitium, nihil accessisse sive potestatis, sive utilitatis. Iam primum bonus et apertus Dio nihil circuitione est usus, cum dixit in citata oratione Tarsensi [a]), Aegaeenses cum Tarsensibus, Apamenses cum Antiochenis, Smyrnaeos cum Ephesiis de principatu contendentes *de asini, quod ajunt, umbra*, περὶ ὄνου σκιας, φασι, litigare. Atque hanc ipsam asini umbram cumulatius tota oratione XXXVIII. explicat. Commissi primatus causa (ὑπερ πρωτειων) inter se fuere Nicomedenses et Nicaeenses. At cujus naturae, interrogat orator, est hic primatus, pro quo dimicatis? an res, et verum bonum, et non potius nomen inane? -- Gesserunt bella Athenienses, ut tributa ab insulis acciperent, de omnium juribus apud se disceptarent, verbo: de regno illis bellum fuit. Sed esto, Nicaeenses sponte nobis primatum cedere, an propterea tributa percipiemus, quae percipiunt illi? an urbes ab eorum juribus pendentes ad nos vocabimus? an magistratus iis praeficiemus? quid nobis inde accederet amplius? -- Nos vero existimamus, si modo primi dicamur, jam etiam habere primatum. Quisnam, viri Nicomedenses, hic est primatus? iterum vos atque tertium appello, quae ejus utilitas? quod tantum bonum? an opulentiores fiemus, an majores, an potentiores? Amentium est appetere vanam gloriam, et stupidorum etc. At vero praesides Romani (ἡγεμονες) cum deberent vestrum jus aequumque tueri, manus abstinere a rapinis urbium, hominumque privatorum, neminem adficere contumelia, his omissis nomina vobis ac titulos propinant, cum vos primos aut dicunt, aut scribunt. Simili oratione ad civitates Asiae usus Aristides, cogitare vos velim, inquit, et Lacedaemonios, et Athenienses, et Thebanos (vetera horum de principatu bella intelligit) habuisse aliquam rerum earum, quas inter se gerebant causam -- At vos, si quis ex vobis contentionis, seditionis, ac tumultus causam quaerat, quid estis, obsecro, responsuri? cujus imperii causa vos id

a) pag. 427.

Digitized by Google

facere dicerctis, vel quorum sociorum, qualiumve portuum, triremium, tributorum, locorumve gratia? etc.

Ab his ergo coaevorum scriptorum testimoniis abunde docemur, primatum hunc non modo nihil intulisse sive potestatis sive emolumenti, sed sterilem omnino fuisse titulum, nomen inane, asini adeo umbram. Nimirum urbes illustriores esse sibi domi causas idoneas finxerunt, quibus confisae efferre se prae aliis urbibus possent audere. Sic ut de unius provinciae Asiae urbibus agamus, praedicavit de se Pergamus, fuisse se regum Pergamenorum sedem, et imperasse adeo reliquis civitatibus aemulis, jactavit Smyrna amplitudinem suam, et substructionum magnificentiam, tum et Musarum apud se Gratiarumque consortium, Ephesus super longam vetustatem miraculum templi Dianii, ejusque late pervagatam religionem, et quae plura alia de tribus his urbibus praedicat Aristides, ob quae primatu singulae possent dignae videri, sic tamen ut ipse adserere vereatur, quae inter tres rivales prima sit constituenda, ut supra dixi. Sane in numis ipsis similes primatus causas jactant, ut v. g. Smyrnaei se profitentur ΠΡΩΤΟΤΣ. ACIAC. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. *primos Asiae pulchritudine et magnitudine* urbis suae, quo titulo cum sibi non inferiores viderentur Ephesii, opposuere inscriptionem non magis moderatam: ΕΦΕΣΙΩΝ. Η. ΠΡΩΤΗ. ΠΑΣΩΝ. ΚΑΙ. ΜΕΓΙΣΤΗ. *Ephesiorum prima omnium et maxima* urbs, atque etiam abrogato reliquis omnibus primatu: ΕΦΕΣΙΩΝ. ΜΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCIAC. *Ephesiorum, qui soli primi sunt Asiae.* Arrogantius Pergamus triplicem jactat primatum; sed quae omnia in singularum urbium moneta curatius explicantur. Ergo urbs quaepiam similibus nixa meritis cum aliquid deesse ad suas laudes putaret, si sibi tantum prima videretur, neque istud aliis persuasisset, primam se palam coepit appellare sive suo arbitrio, sive ex praesidum scito, a quibus similes obtentas gratias supra diximus, parum solicita, sitne adscititio hoc nomine aliquid veri boni adsecuta, modo pueriliter scenicum titulum posset jactare, quem deinde pari ambitione, ne inferiores viderentur, sibi adscivere urbes aliae. Crescentibus deinde urbium discordiis magis, quam istud expedire reip. videretur, nequaquam mirum, oratores philosophos in medium progressos hanc inanium titulorum insaniam, ut videmus, pro deridiculo putasse, ipsos vero tum etiam magistratus Romanos, qui teste Dione haec urbium Asiaticarum desideria, quamdiu modum non excessere, Ἑλληνικὰ ἁμαρτήματα appellare consueverunt [a]), immodicis earum cupiditatibus frenum injecisse, quod quidem imperium ex numis ipsis non obscure colligitur. Etenim Nicaeenses, qui, ut ex Dione vidimus, inflammatis odiis de primatu cum Nicomedensibus contenderunt, causa discessisse inferiores inde apparet, quod in solis Domitiani numis se primos jactant, deinceps hoc titulo, non sponte, ut verisimile est, abstinent. Atque haec de primatus honore disputata sufficiant,

a) Orat. XXXVIII. p. 479.

Digitized by Google

inani illo, si oratores audias, nisi forte, quod oratores facere solent, ejus praestantiam causa sic exigente elevare intenderunt. Narrat Philostratus [a]), Smyrnaeis controversiam fuisse de templis eorumque juribus, delatoque ad imperatorem Antoninum Pium judicio Smyrnam primatum abstulisse, *και απηλθεν η Σμυρνα τα πρωτεια νικωσα.* Ex quo videtur colligi posse, litem de primatu non fuisse inanis tituli causa, cujus judicium ad ipsum imperantem delata est, nisi forte nomine *πρωτειων* hoc loco aliud intelligitur, quam in numis. Existimat Mazzolenus, iis, qui primos se appellabant, priorem in publicis solennitatibus locum cessisse, istudque eruit ex Dione Chrysostomo sic Nicomedenses adloquente [b]): *ει μη τι νυν δοκειτε ανευ υπερ της περοπομπειας καλως αγωνιζεσθαι, nisi forte existimatis vos de priore in solennitatibus loco recte contendere.* Apud Iosephum Dolabella, qui post Caesaris dictatoris mortem summam sibi in Asia potestatem arrogavit, praecipit Epheso *πολει πρωτευουσῃ της Ασιας*, ut edictum suum dimittendum curet per urbes singulas, suo, ut opinor, primatui obnoxias [c]).

Cum tres essent in Asia urbes, quae *primae* titulo gloriabantur, Ephesus, Pergamus, Smyrna, fuit etiam, quae *septimae* honore satis sibi nobilitata est visa. Fuit haec Magnesia Ioniae, cujus numus inscribitur: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ЄΒΔΟΜΗС. ΤΗС. АСІАС. *Magnetum urbis, quae est septima Asiae.* Quas sex alias se praestantiores agnoverit, non constat, neque habemus numos alios, ex quibus, quae fuerit secunda, quae tertia, etc. intelligeremus. Vide, quae de singulari hoc titulo in moneta hujus urbis notavimus.

CAPVT VII.

DE POPVLIS ET VRBIBVS NEOCORIS.

Frequenter cum in marmoribus, tum numis privatim personas utriusque sexus, publice populos urbesque Νεωκορους legimus. Ejus igitur vocabuli significatio primum definienda. Ducitur ab Attico *νεως templum*, et *κορεω, verro,*

a) in vit. Polem. §. 8. b) Orat. XXXVIII. p. 479. c) Ant. L.XIV. c. X. §. 12.

Digitized by Google

purgo, et quod sequitur, νεωκορος est is, ad quem purgandi a sordibus templi cura pertinet. Vnde Hesychius a): Νεωκορος, ὁ τον ναον κοσμων, κορειν γαρ το σαιρειν ἐλεγον, id est: Νεωκορος *est is, qui templum mundat; κορειν enim dixere* σαιρειν, *id est: verrere.* Philo Iudaeus neocoros vocat etiam illos, qui janitorum munere funguntur, qui ante sacrarium invigilant, ne quis profanus intret, qui diurnas nocturnasque stationes sortiti templum obeunt, qui porticus, atriumque verrunt, et sordes amoliuntur b) *). Ex quo apparet primaeva hujus ministerii vilitas, sed quo subinde servis relicto retentum tamen nomen, quod et innuit Suidas c): Νεωκορος, ὁ τον νεων κοσμων και ἐντρεπιζων, ἀλλ' οὐχ' ὁ σαρων, *qui templum mundat et instruit, non qui scopis verrit.* Serius enim Neocori dicti fuere sacer magistratus, cui illustria templorum sacrorumque rituum ministeria sunt demandata. Ejus mentionem fieri jam video apud Xenophon-

a) In Νεωκορος. b) de praem. Sacerd. Tom. II. p. 236. edit. Mangey. c) in Νεωκορος.

*) Haec olim lecta cum non satis adriderent eruditissimo L. B. de Locella, in haec verba rescripsit:

» Diu est quod me offendit receptа vocabuli νεωκορος etymologica explicatio. Praefertur » scilicet in verbo κορεω significatio *verrendi*, negligitur minus nota *curandi*, *ornandi*, *in*» *struendi*, atque adeo pro *aedituis* nobis supponuntur puri puti templorum fanorumve » *scoparii*, ut cum Vlpiano loquar. Glossam in Hesychio non moror; nam, praeterquam » quod ipsius Hesychii opus non habemus, non video cur maior esse debeat eius lexici » auctoritas quam Suidae, quandoquidem uterque sua e veteribus scholiis compilavit. » Apud Suidam igitur eadem verba, quae in v. Νεωκορος leguntur, occurrunt denuo in » v. Κορη, ubi vero praecedunt ista haud spernenda: λεγεται δε και κορη και κορος ὁ » νεωτατος, ἀπο του κορω, τα ἐπιμελουμαι. Mox etiam adfertur glossa κορησατε, ἐπιμελη» θητε. Similiter fere Photius in Lex. Ms. Νεωκορος, ὁ τον νεων κοσμων και ἐντρεπιζων, » sine mentione του σαιρειν. Et Cyrillus in Lex. Ms. Νεοκορος (sic scribitur quoque in Cod. » Biblioth. Caes. Vindob.) ὁ τον ναον κασμων· κοσμειν γαρ το κορειν ἐλεγον. Itaque si » κορειν, consentiente etiam Hesychio, praeter σαιρειν et καθαιρειν, significat κοσμειν et » ἐπιμελεισθαι, quod prohibet quin Νεωκορους a curandi, ornandi, instruendi munere » potius quam ab everrendi opera dictos fuisse credamus? tametsi negare non ausim pur» gandi quoque templi ministerium, inter cetera, priscos Νεωκορους et Ζακορης obiisse. » Hoc dumtaxat mihi iure tueri posse videor, numquam sola scopa horum munus (neque » etiam των σηκηκορων, si Suidae fides), fuisse circumscriptum. Quid quaeris? nonne eo» dem modo quo νεωκορος composita sunt: γυιακορος, quod de corporis ornatu praeclare » interpretatus est Graev. ad Hesiodi Opp. et D. v. 66. Graecorum grammaticorum au» ctoritate firmans verbi κορειν potestatem, neque Neocororum nominis oblitus? tum vero » Ζακορος, Σιακορος, et eius interpretatio Θεακορος apud Hesychium? Quare ne plura ad» dam, τους νεωκορους και Ζακορους inter ὀνοματα των Θεων Θεραπευοντων relatos videmus » a Polluce.

Digitized by Google

tem, qui sese incertae belli aleae commissurus, Ephesi pecuniam κατελιπε παρα Μεγαβυζῳ τῳ της Αρτεμιδος νεωκορῳ, *deposuit apud Megabyzum Dianae aedituum* addito mandato, si quid sibi humanitus accidisset [a]). Vnde intelligimus primum muneris hujus vetustatem, deinde neocororum fidei solitos fuisse credi thesauros, ac vel ideo hos fuisse viros conspicuae famae et nominis, et sacri magistratus rationem habuisse, quod praeclare confirmat Plato tria magistratuum genera constituens: πολεως ἀστυνομους, ἀγορας ἀγορανομους, ἱερων νεωκορους, ἱερεας τε και ἱερειας, *urbis astynomos, fori agoranomos, templorum neocoros, sacerdotes mares et feminas* [b]).

Νεωκορον Latini reddunt *aeditimum, aedituum*, utroque perinde dicto teste Varrone [c]). *Sementivis feriis in aedem Telluris veneram rogatus ab* aeditimo, *ut dicere didicimus a patribus nostris, ut corrigimur a recentibus urbanis*, aedituo. Apud Ausonium [d]): *Qui Beleni* aedituus *nil opis inde tulit.* Sequiore aevo non difficiles Latini ipsum *Neocori* vocabulum in linguam suam recepere. Sic in numis Coloniae Neapolis Samariae Latine inscriptis haec dicitur NEOKORA. In marmore Gruteri: NEOCORO. HIEROFANTAE. etc. [e]) praeter Firmicum mox citandum. Aliter Tacitus insulam Co vocat Aesculapii dei *ministram* [f]) id est: neocoram. Fuisse in nonnullis urbibus Neocororum quoddam collegium, atque hos inter aliquem, qui dignitate alios praeibat, docet insignis lapis Farnesius apud Gruterum [g]) in quo M. Aurelius Asclepiades dicitur O. ΠΡΕCΒΥΤΑΤΟC. ΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. CΑΡΑΠΙΔΟC. *Senior inter aedituos magni Sarapidis.* Quod idem testatur etiam Firmicus Maternus [h]): *Hic* (Sarapis) *in Aegypto colitur, hic adoratur, hujus simulacrum Neocororum turba custodit etc.*

Ab his ergo testimoniis eruditur, neocoratus, vilis olim, ut dixi, ministerii, sensim crevisse dignitatem auctoritatemque, et veri sacerdotii instar fuisse, cujus erat procurare templorum nitorem, ac substructiones, tueri privilegia, et jura, custodire donaria, et quae ibi velut communi asylo fuere deposita, pecunias, thesauros, testamenta, etc. quibus deinde sub imperatoribus, ut dicetur, accesserit procuratio sacrificiorum, ludorumque. Secundum Theodoretum Neocororum fuit templum ingressuros aqua lustrali purificandi causa aspergere, atque idem beneficium praestare carnibus ad Caesaris mensam destinatis. Vtriusque adfert exempla [i]). Nequaquam adeo mirum, archontes, prytanes, strategos aliosque magistratus eponymos neocoratus etiam honorem adfectasse, eumque testimonio marmorum numorumque reliquis suis titulis adjecisse. Exempla ex marmoribus non adfero, quorum complura habes apud Van Dale [k]). At lubet neocoros omnes, quotquot in numis reperi, hoc

a) De exped. Cyri. L. V. p. m. 350. b) de legib. L. VI. c) de re rust. L. I. c. 2. d) Carm. 200. 19. e) pag. 1102. 2. f) Ann. XII. 61. g) pag. 314. 1. h) de error prof. rel. p. m. 432. i) L. III. c. 6. et 14. k) diss. IV. c. 1.

Digitized by Google

loco ob causae adfinitatem proponere, etsi juste in magistratus sacri stationem forent trajiciendi. Comparebunt in hoc syllabo neocori tam viri, quam feminae, nam haec dignitas, ut causae postulabant, tam fuit cum utroque sexu communis, quam sacerdotia, quibus et praefuisse feminas in vulgus notum, de quo vide Van Dale [a]), ac praecipue insignem Platonis locum [b]).

ЄΠ. CTP. ATP. ΓAPOT. B. NЄωκορ. in numo Adramytii Mysiae.

MAP. ЄTΓЄNOTC. NЄΩKOPOT. in numo Aegarum Ciliciae.

ЄΠΙ. IOT. CЄTHPЄINOT. APX. Γ. NЄΩKOP. in numo Aezanis Phrygiae.

ЄΠΙ. MHNOΔΩPOT. NЄωκορ. in numo Ancyrae Phrygiae.

ЄΠΙ. IOT. KOΔPATOT. NЄωκορ APX. in numo Cotiaei Phrygiae.

ЄΠΙ. CTP. ΠЄΛΛΩNIOT. NЄωκορ. in numo Eleae Aeolidis.

ЄΠΙ. NЄωκορ ΠЄΔIAC. CЄKOTNΔHC. in numo Eucarpiae Phrygiae.

ЄΠΙ. ΓP. TTXIKOT. B. NЄωκορ. in numo Magnesiae Ioniae.

ЄΠΙ. CTPA. KΛ. CTPATΩNЄIKIANOT. NЄΩκορ. in numo Thyatirae Lydiae.

Numos singulos in suarum urbium moneta laxius descriptos reperies, ubi et observamus, factum aliquoties, ut ab his, qui numos similes ediderant, neocoratus juxta scriptus perperam transferretur ad ipsas urbes, cum tamen ad personas pertineret.

A personis neocoris ad populos civitatesque neocoras transeamus, ad quod examen, longum sane, lubricum et implexum antequam aggredimur, lubet ex vetere meo instituto eorum populorum, urbiumque, qui neocoratu praediti fuere, catalogum constituere.

CATALOGVS

Populorum, Vrbiumque Neocorarum.

Abila Decapoleos, iterum.
ABIΛHNΩN. B. NЄ.

Acmonia Phrygiae.
AKMONЄΩN. NЄΩKOPΩN.

Adramytium Mysiae. Ejus neocoratus falso adsertus a Vaillantio, ut diximus in ejus numis.

Aegae Ciliciae.
AIΓЄAIΩN. NЄΩKOPΩN. vel NЄΩKOPOT.

Amasia Ponti.
AMACIAC. NЄΩK.

Ancyra Galatiae, iterum.
ANKTPAC. B. NЄ.

Attalia Lydiae.
ATTAΛЄΩN. NЄΩK.

a) l. c. b) de Legib. L. VI. p. 759.

Digitized by Google

Caesarea Cappadociae, iterum. Inde a Severo: KAICAP. NЄΩK. inde a Gordiano B. NЄ.

Cibyra Phrygiae. Ejus incertus neocoratus, ut dixi in hujus urbis moneta.

Claudiopolis Isauriae. Ejus neocoratus perperam intrusus a Vaillantio. Vide numos Claudiopolis Bithyniae.

Cyzicus Mysiae, iterum, tertium. Inde ab Hadriano: KTZIKHNΩN. NЄOKOPΩN. — inde a Caracalla usque Claudium Goth. ΔIC. vel B. NЄOKOPΩN. nulla tamen certa lege, nam et neocoratus simplex saepe notatur. — In unico, eoque autonomo: KTZIKHNΩN. Γ. NЄOKOPΩN. (Hunter.)

Ephesus Ioniae, iterum, tertium, quartum. Inde a Nerone adhuc Caesare: ЄΦ. NЄΩKOPΩN. — inde ab Hadriano: ΔIC. NЄΩKOPΩN. — inde a Caracalla: TPIC. NЄΩKOPΩN. et sub hoc insolens formula: ΔIC. NЄΩKOPΩN. KAI. THC. APTЄMIΔOC. — Sub Elagabalo magnifice: ЄΦЄCIΩN. MONΩN. AΠACΩN. TЄTPAKI. NЄΩKOPΩN. In aliis deinceps: TЄTPAKIC. vel: Δ. NЄΩKOPΩN. Sed inde a Maximino variant Γ et Δ. NЄΩKOPΩN.

Halicarnassus Cariae. AΛIKAPNACCЄΩN. NЄΩKOPΩN.

Heraclea incerti situs. HPAKΛЄIΩN. NЄΩKOPΩN. in numo Elagabali. (Vaill.) HPAKΛHAC. NЄΩKOPΩN. in numo Saloninae. Vide, quae de ambiguis his numis notavi in moneta Heracleae Bithyniae.

Hierapolis Phrygiae. IЄPAΠΘΛЄITΩN. NЄΩKOPΩN.

Iuliopolis Bithyniae. IOTΛIOΠOΛЄITΩN. NЄΩKOPΩN.

Laodicea Phrygiae. ΛAOΔIKЄΩN. NЄΩKOPΩN. inde a Caracalla, addito etiam in nonnullis Caracallae et Maesae: ΔOГMATI. CTNKΛHTOT.

Laodicea Syriae. Eam Vaillantius neocoram injuria facit. Vide ejus numos.

Macedones, iterum. KOINON. MAKЄΔONΩN. NЄΩK. in aliis: B. vel ΔIC. NЄΩK. sic inscribuntur numi frequentes aenei, in quorum antica est caput Alexandri M., de quibus vide monetam hujus regis. In imperatoriis sub Caracalla demum neocoratus notari incipit, ac tum statim B. NЄΩ., quod et deinceps observatur dempto numo Diadumeniani, in quo: KOI. MAKЄΔONΩN. NЄΩKOPΩ.

Magnesia Ioniae. MAГNHTΩN. NЄΩKOPΩN. THC. APTЄMIΔOC.

Mantalus Phrygiae. MANTAΛHNΩN. NЄΩKOPΩN. sed numus est dubiae fidei, ut suo loco monuimus.

Digitized by Google

Miletus Ioniae.
ΜΙΛΗCΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in solis numis Balbini et collegarum.

Neapolis Samaritidos.
COL. NEAPOL. NEOKOPO. in quibusdam numis Philippi; serius: ΦΛ. ΝΕΑCΠΟΛΕΩC. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. in numis Treboniani et Volusiani.

Neocaesarea Ponti.
ΝΕΩΚΑΙCΑΡΙΑC. ΔΙC. ΝΕΩ. in numo unico Valeriani. (Sestini Lettere P. III. p. 10.)

Nicomedia Bithyniae, iterum, tertium.
ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΙΑC. ΝΕΩΚΟΡ. sub Antonino Pio — Incipit sub Commodo ΔΙC. ΝΕΩΚ. — Sub Caracalla ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. et deinceps usque ad Gallienum jam ΔΙC. jam ΤΡΙC.

Nysa Cariae.
ΝΥCΑΕΩΝ. ΝΕΩΚ. in rarissimis M. Aurelii.

Perga Pamphyliae.
ΠΕΡΓΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Pergamus Mysiae, iterum, tertium.
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. sub Antonino Pio, et adhuc sub hoc: ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. — inde a Caracalla ΤΡΙC. vel Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. In numo Caracallae musei Caesarei: ΚΑΙ. ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΟC. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΟΛΙC.

Perinthus Thraciae, iterum.
ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. sub Severo scribi coeptum, et adhuc sub hoc Δ vel ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Philadelphia Lydiae.
ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. ΝΕΩΚΟΡΟC. vel: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in pluribus autonomis et imperatoriis.

Philippopolis Thraciae.
ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩC. ΝΕΩΚΟΡΟΥ.

Sardes Lydiae, iterum, tertium.
Inde ab Antinoo: CΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. — Sub Severo: Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. — Sub Caracalla: Γ. vel ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Sub sequentibus imperatoribus variant Β. et Γ. Sed vide, quae de his in moneta Sardium observo.

Side Pamphyliae.
CΙΔΗ. ΝΕΩΚΟΡΟC.

Smyrna Ioniae, iterum, tertium.
CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. inde a Trajano. — Sub Commodo: Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. et forte adhuc sub hoc: Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vide numos hujus urbis. In numis Caracallae et Alexandri Sev. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ.

Taba Cariae.
ΤΑΒΗΝΩΝ. Ν. in uno Gallieni numo apud Pellerinium, (Rec. III. p. 217.) sed minus certum, utrum ea littera Neocoratum notet.

Tarsus Ciliciae. iterum.
ΤΑΡΣΟΥ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. in aliquot autonomis, et imperatoriis unius Commodi nullo cognito simplice neocorata.

Digitized by Google

Teos Joniae, *iterum*.
ΤΗΙΩΝ. ΝΕΩΚ. et B. ΝΕ. utrumque in numis M. Aurelii et Faustinae jun.

Thessalonica Macedoniae, *iterum tertium*.
ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΝΕΩΚΟΡΟC., vel ΝΕΩΚΟΡΑ. addito in aliis B. ΝΕ. vel Γ. ΝΕ. nulla certa lege, ut dictum in ejus urbis moneta.

Tomi Moesiae infer.
ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. ΝΕΩΚ. in unico Domnae numo.

Tralles Lydiae.
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. vel ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. in numis Caracallae.

Tripolis Phoeniciae.
ΤΡΙΠΟΛΙΤ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in unico Elagabali.

Ne mirere catalogi hujus angustias. Facile enim fuerat duplo auctiorem repraesentare, si libuisset sinceram meam mercem inquinare exemplis aliis, quae sive Goltzii fraudes, sive iniqua Occonis, aliorumque praeconia parturivere. Ego enim sic existimo, quantum commentarii numismatici indies crescunt inventis veris, tantum ijs detrahenda, quae falsa sunt comperta, quae quoniam humano pastui jam non prosunt, blattis tineisque in escam permittantur. Eccur enim, quas jam stomachamur, recoquamus adhuc Goltzianas illas vomicas: Καρθαγηνων βις νεωκορων — Φαλαισιεων βις νεων. — Σκιερλιων νεωκορων et plures alias belli ejus thesauri?

Apparet ex hoc syllabo, si quatuor Europae, tres Syriae late sumptae populos demas, reliquos omnes populos urbesque neocoras esse Asiae minoris, qua regione, ut aliorum constat, nulla alia magis vano titulorum apparatu delectabatur.

Scribitur ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum gentile ponitur, at ΝΕΩΚΟΡΟΥ, cum urbis nomen enunciatur. Singulare in numis Aegarum Ciliciae: ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. subaudi: πολεως, quo modo, sed expressis verbis, in marmore Sponii legitur: Η. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΟC. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΠΟΛΙC. a). Potest etiam subaudiri δημω secundum aliud ejusdem Sponii marmor, in quo: ΝΕΩΚΟΡΟC. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΔΗΜΟC. b) In omnibus fere Cyzicenorum numis habetur ΝΕΟΚΟΡΩΝ adversus communem morem et orthographiae legem, quem modum nonnunquam imitati quoque sunt Pergameni, nemo, quod norim in numis, alius, etsi Hesychius quoque scripserit νεοκορος.

In legendis numeris additis, cum hos litera tantum δεχαιωσα indicat cautione opus. B. vel Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. molesta non sunt, cum haec semper *iterum*, vel *tertium* indicent: verum Δ significare potest vel Δις, *bis*, vel τετραχις, *quartum*; utriusque habemus exemplum in numis Perinthi, et Ephesi. Ceterum in solis Ephesi numis το Δ potest significare *quartum*, quia sola haec urbs quartum neocora fuit. Qui eundem

a) Voyage. T. III. p. 98. b) l. c. p. 130.

Digitized by Google

honorem aliis urbibus sunt impertiti, aut decepti sunt ipsi, ut Harduinus legendo NIKAIЄΩN. TЄTPAKI. NЄΩKOPΩN. [a]) aut το Δ interpretati sunt τετραxις, pro ΔIC. in quo peccavit Cuperus [b]). Egregiam formulam: BIΣ. NЄΩKOPΩN. pro ΔIΣ. inter Goltzii cupedias repone, toties hoc vocabulum hybridam invitis Musis Graecis obtrudentis.

Numum singularem vulgavit Patinus [c]) in cujus antica caput Alexandri M., in aversa: KOINON. MAKЄΔONΩN. B. ΔIC. NЄΩKOPΩN. Miror, potuisse viros eruditos in explicando B. ΔIC., cujus utraque pars *bis* significat, tantum laboris incassum impendere, ut videre est apud Cuperum [d]). Cum ii ipsi monetariorum sphalmata non raro fuerint experti, et agnoscere etiam coacti fuerint, mirum sane, cur in hac inscriptione suspicari noluerint tautologiam ab ignavo monetario admissam. Obvium est in his numis jam B. jam ΔIC. NЄΩKOPΩN. Ergo monetarius utrique adsuetus si utrumque temere sociasse dicatur, quod prenissimum est credere, nihil amplius causae erit, cur nodum in scirpo quaeramus.

Numi ante Neronem neocoratum non produnt. Sunt hi, ut vidimus, Ephesi, et quia Neronem nondum Augustum offerunt, sub Claudii imperio signati. Anterior nondum compertus, si Goltzii iterum nugas demas, jam in numis Iulii Caesaris et M. Antonii neocoratus ementiti. Neocoratus mentio sub Claudio Gothico cum ipsis Graecorum urbium numis desinit. Tamen quod mirum, adhuc Fl. Leonis I. aetate Sardiani se dixere ΔIC. NЄOKOPOTC., teste marmore, quod citavi in moneta Sardium.

* * *

Enumeratis populis et urbibus, quae neocoras sese professae sunt deinceps capita duo ad examen vocanda, I. Quorum numinum se populi urbesque in numis neocoros profiteantur. II. Quae fuerint variae eruditorum sententiae de multiplicato urbium neocoratu.

§. I.

Quorum numinum se populi urbesque in numis neocoros profiteantur.

Neocoros veteris fuisse in Graecia instituti, iisque templorum fuisse demandatam curam, jam inter omnes constat. Neque jam animus est refellere Goltzium, ejusque interpretem Nonnium, tum et Antonium Augustinum, qui miram vocabulo NЄΩKOPΩN significationem affinxere, quorum varia judicia exposuit Vaillantius in dissertatione, quam infra laudabo. Primum personae singulae, deinde civitates, neocorae fuerunt eorum numinum, quae sibi fuere dome-

a) numi pop. ill. b) Lettres de critique p. 490. c) numi impp. pag. m. 12. d) Lettres de crit. p. 499.

Digitized by Google

stica, et tutelaria, aut quorum honori intra moenia sua aedes sacras erexere. Personas singulas certorum numinum neocoras frequenter memorant marmora. Urbis numinis sui neocorae insigne habemus exemplum in sacris literis, Ephesiorum scriba, ut est in actis Apostolorum [a]), his verbis concitatum populum compescente: Ανδρες Εφεσιοι, τις γαρ εστιν ανθρωπος, ος ου γινωσκει την Εφεσιων πολιν ΝΕΩΚΟΡΟΝ ουσαν της μεγαλης θεας Αρτεμιδος και του Διοπετους; *Viri Ephesii! quis enim est homo, qui ignoret Ephesiorum urbem NEOCORAM magnae deae Dianae et signi de coelo delapsi?* Ac privati quidem hujus domesticorum numinum neocoratus bina habemus exempla in numis imperatorum aetate percussis: ΕΦΕΣΙΩΝ. ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. *Ephesiorum bis neocororum et Dianae*, nimirum Ephesiae suae. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΗΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. *Magnetum* (Ioniae) *neocororum Dianae*, nempe Leucophrynes suae, ut in eorum moneta comprobamus. Et juvat observare, secundum hanc Graecorum phrasin Iosephum bis Iudaeos dei sui neocoros dicere, nimirum: ους ο θεος εαυτω νεωκορους ηγεν, *quos deus sibi neocoros constituit*, iterum cum narrasset, eos dei sui beneficio Babylone in patriam reversos, addit: περιπεμφθησαν γαρ υπ' αυτου, και παλιν τον αυτων συμμαχον ενεωκορευν, *deducti enim sunt ab eo, et rursum adjutoris sui facti sunt neocori* [b]).

Privati hi Graecorum neocoratus vilescere sensim coepere inductis novis, quos suasit servitium, et quae huic adhaerescere consuevit, adsentandi libido. Etenim Graeci Asiatici crescente latius Romanorum potentia et ad se usque porrecta nihil omisere officiorum, quibus possent populi praepotentis sibi gratiam promereri. Ex his Smyrnaei dato sibi a Tiberio senatu professi sunt publice, se primos templum urbis Romae statuisse M. Porcio consule, nimirum anno V. C. 559 [c]). Ab his in alias urbes datum exemplum; post annos enim non multos Alabandenses Cariae Romae item templum fecere ludis anniversariis ei deae institutis [d]). Petentibus Asiaticis permisit Augustus, ut nomine D. Iulii, vel suo, vel urbis Romae aedificarentur templa per illustrissimas Asiae urbes Ephesum, Nicaeam, Pergamum, Nicomediam [e]). Reliquiae templi, Romae et Augusti honori inscripti, hodieque apud Mylasa Cariae superant [f]), ut templum Lugduni communi Galliarum nomine, aliaque copiosa per imperii provincias posita praeteream, de quibus agam latius in numis Augusti commatis peregrini. Non multo post erectum fuit Smyrnae templum Tiberio, ejusque matri Iuliae et Senatui [g]), Commodo Nicomediae Bithyniae [h]). Atque haec exempla possunt ad causam meam sufficere. Si ergo Graeci Romae et imperantibus constituerunt templa, neocoris etiam iis opus fuit, et ne minus in eos viderem-

a) Cap. XIX. v. 35. b) bell. Iud. L. V. c. 9. p. 348. c) Tacit. Ann. IV. 56. d) Liv. L. XLIII. c. 6. e) Dio L. LI. §. 20. f) Chishull ant. Asiat. p. p. 207. g) Tacit. Ann. IV. 15. 56. h) Dio L. LXXII. §. 12.

Digitized by Google

tur officiosi, si uni tantum alterive templi curam, et quae ibi peragenda fuere, sacrificia ac pro salute vota demandassent, placuit totum populum, aut civitatem dicere neocoram, et communis in principem obsequii facere participem. Iam vero numi aliquot certum praebent testimonium, inscriptum neocoratum non ad privatum urbis numen, sed principes Romanos pertinuisse. In numis Smyrnensium non raro legas: CMTPNAIΩN. Γ. NЄΩKOPΩN. TΩN. CЄBACTΩN. *Smyrnensium ter Neocororum Augustorum*, atque idem confirmat marmor Oxoniense, in quo Smyrna *ter* dicitur Γ. NЄΩKOPOC. TΩN. CЄBACTΩN. *Neocora Augustorum* a). In numo Trallianorum Lydiae: TPAΛΛIANΩN. NЄΩKOPΩN. TΩN. CЄBACTΩN. eodem sensu. Sunt qui existiment, neocoratus omnes numis inscriptos, nisi cum diserte alterius dei nomen exprimunt, ut de Epheso et Magnesia diximus, ad imperatores pertinere, etsi Augusti nomen non addatur, et indicare, in imperantis cujuspiam honorem ibi erectum templum, et vota statis temporibus concipi solita. Istud non adfirmavero, etsi hoc aliae causae in nonnullis faciant verisimile, v. g. in numis Teii Ioniae visitur caput Augusti intra templum, ergo tale ibi stetit, et credibile, Teios, qui se neocoros dixere, fuisse neocoros Augusti. At de aliis omnibus hoc adserere difficile, quanquam facile adsentiar Rubenio, qui istud saltem tunc verum esse conjicit, quando urbs quaepiam sese bis vel ter neocoram profitetur, quia hactenus exemplum non exstat, urbem aliquam causa Dianae suae, vel Iovis, vel Apollinis se bis vel ter neocoram appellasse. Confirmare hoc videtur nota in numis Ephesiis epigraphe: ЄΦЄCIΩN. ΔIC. NЄΩKOPΩN. KAI. THC. APTЄMIΔOC. in qua haud dubie post ΔIC. NЄΩKOPΩN. subaudiendum: TΩN. CЄBACTΩN., sic ut sensus sit: *Ephesiorum*, qui sunt *bis neocori* Augustorum, *et* neocori *Dianae*.

Consentiunt fere eruditi, neocoratus honorem non fuisse meri arbitrii, sed ad eum obtinendum senatus consulto opus fuisse. Neque desunt ad istud adserendum certa antiquitatis monumenta. Sic in marmore Oxoniensi Smyrna dicitur Γ. NЄΩKOPOC. TΩN. CЄBACTΩN. KATA. TA. ΔOГMATA. THC. IЄPΩTATHC. CTNKΛHTOT. *tertium neocora Augustorum* non suopte arbitrio, sed *secundum decreta sanctissimi senatus* b). In alio marmore Oxoniensi c) memoratur ΔЄTTЄPON. ΔOГMA. CTNKΛHTOT. KAΘO. ΔIC. NЄΩKOPOI. ГЄГONAMЄN. *alterum senatus consultum, secundum quod bis neocori facti sumus*, nempe Smyrnaei. His adde numos Laodiceae Phrygiae. ΛAOΔIKЄΩN. NЄΩKOPΩN. ΔOГMATI. CTNKΛHTOT. *Laodicensium neocororum Senatus consulto.* Haec certa; sed nolim aeque certum putare, quod adserit Vaillantius in dissertatione infra citanda, in numo Perinthiorum bis neocororum cum capite Elagabali additum Γ. B. indicare, eos alterum neocoratum

a) Num. V. b) num. 5. et 6. c) num. 10.

Digitized by Google

senatus consulto consecutos. Equidem facile dedero, eas litteras significare Γνωμη Βυλης *senatus consulto*, verum an hic nomine Βυλης intelligatur senatus Romanus, magnopere dubitem. Hunc enim Graeci in monumentis suis constanter dixere συγκλητον, ut diximus supra pag. 225. Potius ergo in hoc numo indicatur magistratus domesticus, perinde atque hic in numis Tarsi et Anazarbi indicatur similibus litteris Γ. Β. vel Γ. Γ. id est: γνωμη vel Γραμματι Βυλης vel Γερουσιας. In viam ut redeam, teste Diene Nicomedenses a senatu denique impetravere, ut erigere Commodo templum, et agere ludos liceret [a]). Ergo, ut diximus, urbium neocoratus a senatus Rom. arbitrio pendebat, qui toties se Graecorum rebus miscuit, quoties res imperantis agebatur, vel eorum mores in licentiam verterunt. Cujus generis fuere neocoratus, imperatorum, ut vidimus, honori constituti, tum et indita urbibus ab imperantibus nomina, de quibus agemus alibi, aut denique asylorum licentia senatus consulto cohibita, cujus memoriam conservant numi Ephesi inscripto: ΔΟΓ-ΜΑΤΙ. CΥΝΚΛΗΤΟΥ. ΟΥΤΟΙ. ΝΑΟΙ. *Senatus consulto haec templa*, de quo vide monetam hujus urbis. Sed neque minus cohibenda fuit Graecorum ambitio neocoratum certatim expetentium, quod hic propter festorum ludorumque solennia magnos sumptus flagitabat. Ceterum ut lubenter permisero, neocoratus imperatorios fuisse a senatu petendos, sic dubium non videtur, urbes suomet arbitrio potuisse se dicere numinum suorum neocoras.

§. II.

Quae fuerint variae eruditorum sententiae de multiplicato urbium neocoratu.

Hactenus inoffenso pede in investiganda neocoratus natura sumus progressi. Restant explicandi neocoratus iterati. Vidimus enim supra, v. g. Ephesum sub Claudio dici simpliciter neocoram, sub Hadriano bis, sub Caracalla ter, sub Elagabalo quater neocoram. Sed neque istud pro recepto plurium imperatorum cultu, quem infra exponemus, difficultatem pariat. Verum illud explicare permolestum, quo pacto urbs, quae se jam v. g. tertium neocoram professa est, serius se potuerit profiteri bis neocoram, atque deinceps inter secundum et tertium neocoratum variare. Implexi hujus argumenti enodatio mirum quantum eruditorum torserit ingenia, verum exitu hucusque infelice, quod antequam comprobamus, necessarium videtur, eorum, qui in praesente causa explicanda aliis copiosius elaboravere, dictata quam fieri potest breviter strictimque propenere.

Iudicium IOANNIS SELDENI, quod exstat in marmorum Arundellianorum,

[a]) L. LXXII. §. 12.

Digitized by Google

seu Oxoniensium editione II. Londin. pag. 186. Eruditus hic vir primus fuit, qui verum vocabuli ΝΕΩΚΟΡΩΝ sensum eruit, quem ii, qui praecesserre, aut inexplicabilem sunt professi, aut infeliciter interpretati. De additis numeris, de quibus nunc agimus, sic sentit: Neocoros ad panegyres, seu sacra certamina, sive pentaeterica, sive aliis tempestatibus annuis innovata attinuisse; temporum autem notas, seu numeros saepius adjectos non annos existimat, non agones signare, sed tantummodo muneris *των Νεωκορων* vices continuas; unde fiebat, ut intermissa prorogatione, alia nimirum ad aedituandum urbe suffecta, cives, qui hoc munere antea bis, ter, quaterve continenter functi essent, vices suas, seu prorogationes denuo minime unquam dinumerarent, sed a prima vice, si quando iterum pluries neocori fierent, similiter, ut primo, redauspicarentur. Haec vir eruditus ad oraculi Pythii morem obscure sane et implexe. Sintne ejus sensum recte adsecuti Vaillantius et Mazzolenus in dissertationibus mox citandis, non meror, cum vel ii ipsi a Seldeni explicatione recedendum sibi putent.

Iudicium ALBERTI RVBENII, quod exstat in diatribe de Neocoris inserta Tomo XI. ant. Rom. Graevii. Is additos numeros B. Γ. Δ. ad numerum templorum in una eademque urbe Caesarum honori exstructorum refert. Confirmat istud Nicomedensium exemplo, qui per Saoterum impetrarunt veniam celebrandi agonem et templum in Commodi honorem aedificandi teste Dione [a]). Quapropter Nicomedenses, qui se antea dixere neocoros simpliciter ob templum Augusti a communi Bithyniae positum, posthac se dixere bis neocoros. Iam vero Nicomedensium numos sententiae suae planissime favere existimat; ii enim, inquit, qui ΔIC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. inscribunt, plerique duo templa exhibent, ut alii tria templa cum epigraphe ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in numis Caracallae. At cum haud dubie templum Caracallae imperfectum remanserit, iterum ad ΔIC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. redivere, resumpto ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. sub Valeriano in numis trium templorum typo insignibus.

Iudicium IOANNIS HARDVINI in numis popp. et urbb. illustratis sub ΑΒΟΛΛΑΙΩΝ. Sub eodem, inquit, principe non modo semel, sed bis, ter, quaterve urbes, ludos ut ederent, deposcebant, et eximii honoris loco ducebant. Quare occurrit in numis *δις, τρις, τετρακις Νεωκορων*.

Iudicium ANTONII VAN DALE, quod est inter ejus dissertationes IX. dissertatione IV. cap. IV. Sub uno, inquit, eodemque imperatore, vel pluribus una imperantibus urbes quandoque semel, quandoque bis, ter vel quater factas fuisse neocoras, quin tamen exigeretur, ut tot erigerentur templa, quot erant neocoratus, hoc enim fuisse meri arbitrii. Ergo ex. gr. si uni Severo constitutum templum et ludi, semel fiebant neocori, et quidem *τω Σεβαστω*;

a) L. LXXII. §. 12.

Digitized by Google

si Severo ac Domnae, bis; si Severo, Domnae, Caracallae simul, ter, sicque erant τρις νεωκοροι των Σεβαστων, quamvis in unico templo, quod principio soli Severo posuerant, etiam hos ceteros simul post consecrarent. At saepe plura templa pluribus, id est, unicuique proprium aedificabatur templum, docente istud numero templorum in numis. Cum pro numero imperantium major est neocoratuum numerus, statuendum, etiam mortuos in honoris societatem adsumptos. Sic cum Ephesii sub Elagabalo leguntur ter et quater neocori, probabile est, ab eo Marcum, Severum, Caracallam accitos, quod is quam maxime Antoninus haberi vellet. Atque hoc is modo difficultates omnes per omnium imperatorum numos nullo, ut vides lector, negotio resecat. Ambidexterum istud systema graviter jam ac severe impetiit Cuperus in epistolis suis criticis pag. 484. seq.

Iudicium IOANNIS VAILLANTII. Aperuit illud vir praestans primum in opere, quo Graecos imperatorum numos vulgavit a), aliquot post annis accuratius exposuit in dissertatione inserta τοις *Mémoires des inscriptions Tome II. p.* 507. Dubitari non potest, inquit, neocoratus varios non sub eodem principe, sed variis concessos, sic ut v. g. Ephesii neocoratum primum auferrent sub Nerone, alterum sub Hadriano, tertium sub Caracalla. Quod si in numis Ephesiorum sub posterioribus imperatoribus legatur ΕΦΕCIΩN. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., quando sub praecedentibus reperimus ΔIC vel TPIC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., tum tenendum, suppressum in illis numerum, quemadmodum etiam perfrequenter numerum tribuniciae potestatis in imperatorum numis suppressum videmus. Cum objicitur, exstare exempla, urbem quampiam se dicere ΔIC neocoram, posteaquam se jam ante TPIC inscripsit, respondet, vereri se, ut numi hi rite sint promulgati, atque exemplo probat, in quae avia non raro iniqua haec indicia antiquarios deduxerint. Quod ad Ephesios attinet, qui se sub Elagabalo dixerunt μονης απασων ΤΕΤΡΑΚΙ νεωκορης, sub sequentibus deinde jam Γ. jam Δ νεωκορης, ait, eos sub quarto neocoratu comprehendisse privatum suum ΤΗC. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. ab ipsis etiam numis indicatum, quo in variis numis omisso restabant neocoratus tres ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ.

Iudicium ALBERTI MAZZOLENI, quod est inter animadversiones in numismata max. mod. e museo Pisano animadversione IX. Postquam constituisset, urbes neocoras fuisse sacras, et unum idemque esse sacram et neocoram, et multis testimoniis comprobasset, urbibus neocoris seu sacris varia praeterea privilegia fuisse concessa, ut asylum, immunitatem, autonomiam, certamen sacrum etc., conjicit denique, urbes a numero horum privilegiorum bis terve neocoras dictas, quo porro admisso facile explicatur, quomodo urbes, quae prius ter quaterve neocorae inscribebantur, postea minore numero neocorae dicantur. Fieri enim potuit, ut effusus nimis gravisque urbibus cultus numinum et inde etiam privilegia

a) pag. 216.

Digitized by Google

minuerentur, vel haec aliunde demererentur urbes, ut cum imperante Tiberio, ut narrat Tacitus, asylis Graecorum modus praescribebatur.

Iudicium IOSEPHI PELLERINII, dictatum in ejus opere: *Melange II. p.* 266. In explicandis, inquit, neocoratuum numis binas occurrere difficultates, quarum prima jam ab aliis agitata in eo constitit, ut expediatur ratio, quo pacto urbs quaepiam, quae se jam bis, ter, quater neocoram appellavit, subinde numerum minorem inscripserit, atque iterum ad majorem suum rediverit; altera, et omnibus hactenus intacta, qui factum, ut urbes secundum et tertium neocoratum ejusdem anni numis inscriberent. Ejus bina adfert exempla ex numis Sardium Lydiae a Vaillantio descriptis primum sub Caracalla, quorum alii habent: ЄΠΙ. ΡΟΤΦΟΤ. ΑΡΧ. CAPΔIANΩN. B. NЄΩKOPΩN., alii: ЄΠΙ. AN. ΡΟΤΦΟΤ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. (in aliis: ΤΟ. Γ.) CAPΔIANΩN. Γ. NЄΩKOPΩN., deinde sub Gordiano, in quorum aliis legitur: ЄΠΙ. ΡΟΤΦЄINOT. CAPΔIANΩN. B. NЄΩKOPΩN. in aliis: ЄΠΙ. ΡΟΤΦЄINOT. ΑΡΧ. ΤΟ. Β. CAPΔIANΩN. Γ. NЄΩKOPΩN. Cum vero constet, magistratus numis inscriptos fuisse annuos, et tam in Caracallae, quam Gordiani numis idem magistratus jungatur jam cum B. jam cum Γ. NЄΩKOPΩN., sequitur, intra unum eundemque annum neocoratus numerum variasse.

Vtramque difficultatem ut resolvat, ante omnia observari jubet, nuspiam a veteribus scriptoribus memorari, in quo constiterint festa et ludi neocoratibus singulis adnexi. Verisimile tamen esse, singulos neocoratus propria sua ac peculiaria habuisse festa. Quoniam vero haec magnos sumptus postulabant, factum, ut neocoratus tres darentur tantum urbibus primi ordinis, duo secundi, quod vel ipsi numi docent. Ait deinde, ex numis verisimile fieri, urbes bis vel ter neocoras singulis annis in honorem plurium imperatorum celebrasse ludos, et nonnullas celebrasse ludos duplicis generis eodem anno et varie ejus tempore. Ergo numi, in quibus simplex NЄΩKOPΩN legitur, signati sunt causa ludorum, ad quos illis neocoratus primus jus dabat, et sic deinceps. Ergo numerus inscripti neocoratus erat is ipse neocoratus, quem celebrabant tum, cum numus signatus est. Atque hac doctrina constituta suapte liquet non modo, cur a neocoratu tertio ad secundum sit retrocessum, atque iterum ad tertium reditum, sed etiam cur in numis Sardium unius ejusdemque anni et secundus et tertius neocoratus notentur.

Epicrisis
sententiarum adductarum.

Ergo antiquariorum, quos citavimus, nonnulli existimavere, plures numero neocoratus urbibus sub uno eodemque principe accessisse, quos inter fuere Seldenus, et Harduinus, quibus hac in parte suffragatum etiam video Gisbertum Cuperum [a]). Sin istud, necesse

a) Lettres de critique pag. 484.

Digitized by Google

erit, quanto diuturnius alicujus fuit principis imperium, tanto etiam esse auctiorem neocoratuum numerum, quanto illud contractius, tanto etiam hunc contractiorem, atque numos Commodi, Severi, Alexandri plures jactare neocoratus, quam numos Macrini, Elagabali, Maximini, quorum perbreve fuit imperium. Verum plane videmus, diuturnius breviusve imperium neocoratus numeros neque augere neque minuere, cujus quidem facti exempla non adfero, quod ea ex praefixo catalogo peti possunt. Neque etiam animus est argumentis pluribus, quae sane non desunt, sententiam hanc convellere, cum et temporis et chartae jacturam putem, suapte infirmam et jam passim fastiditam impugnare. Qui in hac causa plura volet, adeat commentarios Mazzoleni.

Sententia omnium maxime verisimilis est illa, quae collectos per varia imperia neocoratus enunciat. Credo, eruditos antiquarios inde a principio in ea fuisse acquieturos, neque respecturos unquam illam, quae neocoratuum incrementa singulis imperiis adscripsit, nisi eos solicitassent decrescentes iterum eorum numeri, atque iterum aucti, cujus sane inconstantiae rationem difficile est in hoc systemate explicare. Quo enim pacto v. g. Nicomedia, quae sub Caracalla se tertium neocoram est professa, variare deinceps potuit, et se jam bis, jam tertium neocoram enunciare? Enimvero Vaillantius facile ab hac sese molestia liberat, cum reos hujus inconstantiae numos male esse a scriptoribus promulgatos suspicatur. Mira hercle haec oratio visa eruditis, cum sic sibi ipsi certam falsi indicii litem intentet. Etenim non meminit, editos a se in suo de numis Graecis opere numos varios Nicomediae et Sardium, in quibus neocoratus B. et Γ. variant, et si quis vellet amplius de praeconiorum fide dubitare, facile hunc possem auctoritate numorum musei Caesarei convincere. Hic ergo nodus cum modo simplice exsolvi non posset, varias eruditos conjecturas, saepe absurdas, certe male cohaerentes coegit comminisci. Aliquid sibi videbantur adtulisse Rubenius, Vandalius [a]), Sperlingius [b]), et Buonarrotus [c]), qui ex numero templorum, quae saepe in numis similibus pars aversa sistit, numerum neocoratuum posse explicari putabant, at vero quam saepe utrorumque numerus discordet, in laudatis supra commentariis jam satis comprobarunt Vaillantius, Mazzolenus, Pellerinius. Quam sibi salutem postremi hi duo effugiis suis quaesiverint, suapte patet eorum commentarios legenti, qui in causa implexa perturbataque praeter conjecturas nulla nixas auctoritate aliud nihil suppeditant, et qui denique simul leguntur, simul certissime fastidiuntur. Ad Pellerinium quod attinet, mirari satis non possum, qua is ratione potuerit adserere, se in Sardium numis uno eodemque anno signatis deprehendisse duplicis generis neocoratum, nempe B. et Γ. quod, inquit, a nemine hactenus fuit observatum. Numos, quibus is nititur, supra descripsi in judicio Pel-

a) ll. cc. b) diss. ad num. Tranquillinae. c) osserv. ist. p. 159.

Digitized by Google

lerinii. At enim, vir bone, si istud hactenus a nemine est observatum, in causa est, quod ipsi hi numi plane contrarium docent. Vnum eundemque annum conficit, ut diximus, eo, quod sub eodem Rufo Archonte, qui magistratus annuus fuit, legatur et B. et Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Verum non advertit, in quibus numis Rufus dicitur Archon simpliciter, Sardianos dici B. Νεωκορες, et in quibus Archon TO. B. vel TO. Γ., eos dici Γ. Νεωκορες. Quare cum numi hi intra varios magistratus sui annos sint percussi, necesse est etiam auctum eorum neocoratum non in annum unum eundemque, sed diversum incidere. Quaecunque igitur ad explicandam hanc causam attulit, temere sunt in chartam conjecta, a me vero etiam commemoranda, ne incautior alter ejus viri auctoritate in fraudem inducatur.

Meum denique in praesente causa judicium si quis requirat, is norit, illud ab hactenus vulgatis oppido esse diversum. Si aliis e re visum, suae de hoc argumento sententiae conjecturis longe arcessitis, nullaque aut pertenui auctoritate nixis fidem facere, ex quo istud denique obtinuere, ut causam suapte implexam involverent magis, quam explicarent, at mihi majorum irritos conatus apud animum reputanti utilius videatur, non quidem ejus omittere censuram, sed differre judicium, donec reperta nova monumenta, aut solida qua ratio feliciorem jubeat eventum sperare, neque ego nullam ab erudito lectore confido initurum gratiam, si non, oblata animo novae doctrinae imagine, aptae in speciem concinnaeque, ad scribendum continuo aggrediar, augeamque dissertationum fasciculum jam nunc nimio molestum iis, qui hujus naturam tituli cupiunt cognoscere. Equidem non aliam existimo quaestionem Minerva minus propitia a viris eruditis agitatam, neque alterius quaestionis argumenta majore taedio, et satietate legi expendique.

Iuvat, quae latius modo disputavi, paucis verbis complecti, ut arctiore hac circumscriptione universa causae cognitio, tum quae certa, quaeque incerta, continuo appareat. Fuere neocori templorum ministri, principio viles abjectique ipso nominis indicio, addita subinde dignitas, sic ut neocorus a procuratore templorum, caerimoniarum, sacrificiorum non differret. Quare et principes urbium magistratus non dubitabant, neocoratum, quo praeterea praediti fuere, cum reliquis suis titulis in numis marmoribusque conjungere. Serius populi, civitatesque integrae, ut publice pietatem suam testarentur, se numinum suorum dixere neocoras, quod de Ephesiis et Magnetibus Ioniae diserte tenemus. Civitates Graeciae Romanis servire coactae, atque Asiaticae praecipue, ne minore principes suos honore, quam veteres urbis suae custodes deos adficere viderentur, petierunt, ut sibi ex senatus consulto liceret esse neocoris ejus alicujus Augusti, cujus sibi demereri gratiam impensius studuere. Quo a senatu permisso coepere in numis scribere v. g. ΕΦΕCΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. nempe Cεβαςου, vel των Cεβαςων. Quae hucusque dixi, certa numorum, marmorum, scriptorum auctoritate nituntur. Nemo est,

Digitized by Google

qui non facile intelligat, Graecos nequaquam sibi honorem quempiam otiosum tam avide quaesivisse, sed qui faceret sui jactandi, et herilem gratiam aucupandi copiam. Certum iterum, Graecos Augustorum honori erexisse templa sive Augustis id permittentibus, sive senatu, atque his in templis dubium non est peracta fuisse ea, quae ad neocoratum Augusteum obeundum requirebantur. Quibus illa ritibus legibusque fuerint definita, quantum his solennibus interpositum tempus, dum iterum celebrari occiperent, nemo memoriae prodidit, sed quibus Graecorum religio ac studia sunt cognita, continuo intelligent, sacrificiis, conceptis votis, et certaminibus stetisse. Quod vero rei caput est, certum etiam, plures urbibus, quae eminuere, concessos neocoratus. Sic Ephesii imperante Claudio simpliciter scripsere ΝΕΩΚΟΡΩΝ., inde ab Hadriano: ΔΙϹ. ΝϵΩΚΟΡΩΝ., inde a Caracalla: ΤΡΙϹ. ΝϵΩΚΟΡΩΝ., inde ab Elagabalo: ΤϵΤΡΑΚΙϹ. ΝϵΩΚΟΡΩΝ. Dubio iterum vacat, si neocoratus primus observandi cujuspiam principis gratia fuit constitutus, sequentes ad alterius principis honorem spectasse; verum adhaeremus iterum, an singuli principes sua seorsim habuerint templa, an unum idemque praecedentis Augusti, aut etiam vetus numinis cujuspiam domestici novo deo cellam indulserit, an eorum honores conjunctim celebrati, an seorsim, haec atque similia alia plane ignoramus.

Certum denique, urbes nonnullas, quae se ter, vel quater neocoras, et quidem nonnunquam cum ostentatione, dixere, subinde detraxisse de numero, et sese bis tantum vel ter neocoras professas. Atque haec una causa fuit, cur viri praestantes doctrinam, quam modo proposui, planam sane ac nativam aspernati, sententias, quas commemoravi, insolentes plerasque atque incredibiles confingerent. At enim existimo, si prius animo magis tranquillo praesentis causae momenta omnia expendissent, reperissent certe, non esse operae pretium, propter objectos paeculos obices a via trita planaque ad alteram multo impeditiorem deflectere. Non ego hic Alexandri gladium dari mihi postulo, quo usus est aut Vaillantius, cum, ut dixi, suspectam eorum numorum lectionem vocat, qua subinde neocoratuum numerus minuitur, aut Cuperus, cum in animum inducit, ut credat, in neocoratuum calculo veteres negligenter versatos [a]). Nolim ego aut numorum lectionem, aut veterum circumspectionem solicitare, at nolim etiam, propter unam alteramve urbem, quae diversam ab aliis legem secutae videri possunt, doctrinam cetera solidam convelli. Cum dixi, unam tantum alteramve urbem a communi lege discedere, nihil adfirmo temere, siquidem mihi permittatur, nonnunquam sese urbes scripsisse simpliciter neocoras, etiam cum bis et saepius essent neocorae, in qua quidem sententia jam et Vaillantium mihi praeivisse video. Nimirum ut in numis imperatorum tam Latinis, quam Graecis omissus tribu-

a) Lettr. de crit. p. 508.

Digitized by Google

niciae potestatis numerus non semper indicat trib. potestatem primam, sic neque omissus neocoratus numerus necessario indicabit neocoratum simplicem. Quid quod et Philippus senior in numis obviis dicitur simpliciter COS., etiam cum ex aliis causis manifeste pateat, eum tum jam consulatu III. fuisse functum. Atque etiam si ab urbium communi doctrinae adversantium catalogo eximam Ephesum, non istud meum unius est arbitrium, sed jam docuit Vaillantius, quando, inquit, in Ephesiorum moneta legitur TPIC. NЄΩKOPΩN., intelligendos tum tres Augustorum neocoratus, quando TЄTPAKIC., tum conjunctum una intelligendum neocoratum THC. APTЄMIΔOC. seu Dianae suae, ut adeo judice Vaillantio varians in Ephesi numis TPIC. vel TЄTPAKIC. tantum arguat additum vel demptum privatum suum neocoratum, nihilque in lege ordinaria immutatum. Ergo quibus in urbibus certo constet variatum, transitumque a Γ ad B, solae sunt Sardes et Nicomedia, quae utique causas suas privatas nobis ignotas, cur sic variarent, habere poterant. Quid si nonnunquam neocoratum unum suppressissent, sive quod hic majores sumptus exigeret, quam ferre civitas posset, sive quod senesceret memoria alicujus beneficii, cujus causa Augusti alicujus neocoratum ambivere, sive verso subinde in imperatorem odio, cujus fuere neocori? Neque enim quis prudenter sibi persuaserit, impetratum senatus consulto neocoratum sic fuisse in civitate constitutum, ut aeternus hic ille esset, neque quidquam liceret posteris immutare. Possunt haec, quae dixi, ab exemplis aliis adfinibus copiose illustrari. Fuere urbes, quae in imperatorum gratiam novam ab his aeram invexere, serius iterum extrusere. Sic posteaquam Antiochenses Syriae aeram Caesarianam induxerunt, non multis tamen post annis aeram Actiacam sic admisere, ut utramque testibus etiam nummis promiscue usurparent, mox adventitiam alteram mortuo Augusto, cujus illa causa inducta fuit, eliminarent. Sinopenses Ponti aeram a Iulio Caesare ductam sic admisere, ut ea saeculis circiter duobus cum dimidio constanter uterentur, at imperante demum Alexandro Severo placuit eam seponere, et ad veterem suam obtentae libertatis causa constitutam redire. Neque aliter actum videmus cum nominibus ab imperatoribus captis, quae urbes sibi, sive vere, et grati animi causa, sive palpandi studio, adscivere. Tarsus Ciliciae se primum dixit *Hadrianam*, tum *Hadrianam Commodianam*, mox *Hadrianam Severianam*, iterum *Hadrianam Severianam Macrinianam*, subinde *Hadrianam Severianam Alexandrinam*, ex quo exemplo patet, eam se dixisse Hadrianam et Severianam ex vero adfectu, quod haec nomina perseverarunt, at Commodianae et Macrinianae titulos adsentandi causa susceptos, quod hac sublata continuo sunt abjecti. An vero absurdum videatur opinari, in neocoratuum causa more non absimili aliquando ab urbibus actum? Esto, urbem quampiam ad observandum Elagabalum novum sibi neocoratum impetrasse, an credemus adivisse periculum

Digitized by Google

a successore Alexandro, si neocoratum principi abrogavit, cujus nomen ac memoriam senatus ex monumentis publicis abolëri jussit? A similibus igitur exemplis nemo erit, qui inficiari audeat, posse etiam variationum, quas neocoratus offerunt, causas peti, quas tamen qui propius definire volet, is conjecturas nobis obtrudet ejus generis, quibus ob nescio quae majorum delicta ars nostra antiquaria jam nimium laborat. Denique et meminisse velim, hanc neocoratuum perversionem tum demum in numis observari, quando jam veteres leges atque instituta sua deque verti et civitates jura, quae olim senatus Romanus impertiri consuevit, ab suo arbitrio petere coeperunt, tempora intelligo inde a Severo currentia, quam quidem in similibus causis aetatis suae licentiam jam etiam indicavit Dio Cassius [a]). Atqui si quis perturbatum neocoratuum calculum impensius mirabitur, is velim perpendat, ea aetate ipsam etiam tribuniciae potestatis et consulatuum rationem, quae multo majoris sunt momenti, in ipsis numis Latinis non raro claudicare, cujus exempla adfatim dabunt numi Macrini, Alexandri Severi, Philipporum, aliorumque, neque tamen propterea quis sanus a luxatis hujus aetatis exemplis veram utriusque dignitatis naturam esse explicandam censebit. Quae quidem rite expensa tantum mihi habere roboris videntur, ut possint in re desperata, nisi nova quaedam solidaque argumenta suppetias veniant, a molesta inquisitione absterrere. Atque hic et longae disputationis, et subjectae ἀναπαλαιώσεως terminus esto.

CAPVT VIII.

De urbibus SACRIS et ASYLI jure gaudentibus.

De his abunde actum a Ioanne Osiandro [b]) Spanhemio [c]) Simone [d]) et paucis a Belleyo ad numos Olbensium [e]).

Praemitto catalogum urbium, alterutro aut utroque titulo insignium.

* * *

a) L. LIV. c. 23. b) Gronov. ant. Graec. T. VI. c) T. I. p. 659. d) B. L. T. III. p. 35. e) B. L. T. XXI. p. 428.

Digitized by Google

Abila Decapoleos: I. A.
Aegae Ciliciae: IЄPAC.
Ancyra Galatiae: AC. ex numo dubio.
Antiochia Ciliciae: IЄP. KAI. ACTA.
Antiochia ad Hippum Decapoleos: IЄP. ACTAOC.
Antiochia Syriae: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTAOT.
Antiocheni Ptolemaidis: IEPAΣ. AΣTAOT.
Apamea Syriae: THΣ. IEPAΣ. etiam addito KAI. AΣTAOT.
Arethusa Syriae: THΣ. IEPAΣ.
Ascalon Iudaeae: IEP. AΣT.
Byblus Phoenices: IЄPAC.
Caesarea Paniae: IЄP. KAI. ACT.
Caesarea Samaritidos: AΣTAOT. in numo Agrippae I.
Capitolias Coelesyriae: IЄP. AC.
Castabala Cappadociae: IЄPOΠOλις.
Comana Ponti: IЄPOKAICAPЄΩN.
Corycus Ciliciae: ACT.
Damascus Coelesyriae: IЄPA.
Demetrias Syriae: THΣ. IEPAΣ.
Diocaesarea Galilaeae: IЄPA. ACT.
Dora Phoenices: IЄPA. etiam addito ACTA.
Ephesus Ioniae: APTЄMIC. ACTAOC.
Epidaurus Argolidos: IEPAΣ.
Epiphanea Syriae: THΣ. IEPAΣ.
Eusebia, quae et Caesarea Cappadociae: AΣT.
Gadara Decapoleos: I. A.
Gaza Iudaeae: IEP. AΣT.
Germe Mysiae: IEPA.
Hierosolymae Iudaeae: *Kedoshah*, id est: *sancta*, litteris Samaritanis.
Laodicea Syriae: THΣ. IEPAΣ.
Larissa Syriae: THΣ. IEPAΣ.
Moca Arabiae: IЄP. ACT.
Mopsus Ciliciae: THΣ. IEPAΣ.
Nicopolis Epiri: IEPAΣ. forte et AGTAOT.
Nysa Scythopolis Samariae: IЄPA. ACT.
Olba Ciliciae: THΣ. IEPAΣ.
Perga Pamphyliae: ACTAOT.
Ptolemais Galilaeae: IЄPAC. KAI. ACTAOT.
Raphia Iudaeae: IЄP.
Rhosus Syriae: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣ.
Samosata Commagenes: IЄP. ACTA. ATTON.
Sebaste insula: ACT.
Seleucia Syriae: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTAOT.
Sidon Phoenices: IEPAΣ. KAI. AΣTAOT.
Synnada Phrygiae forte: IЄPAΠOΛЄITΩN.
Tarsus Ciliciae: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTAOT.
Tripolis Phoenices: THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTAOT.
Tyana Cappadociae: IEPAC. ACTAOT.
Tyrus Phoenices: IEPAΣ. KAI. AΣTAOT.

SACRI titulum paucioribus absolvam, nam suapte patet, regionem, urbem, locum quemcunque, personam, rem, fuisse sacram ea causa, quod numini cuipiam fuit consecrata. Pleraeque urbes, quarum catalogum praemisimus, cognitas habent *ἀφιερωσεως* causas, ut Epidaurus, Hierosolymae, Nicopolis etc. nimirum propter religionem numinis cu-

Digitized by Google

jusdam ibi impensius culti, quo de ritu egimus in singularum urbium numis.

Epigraphe in his: I. IEP. IEPA. IEPAΣ. sed in postremo hoc vocabulo adhibenda cautio; nam non raro divisim est legendam, nempe ut significet: IEPας ΑΣυλε. in quo offenderunt non pauci. Consecrationem etiam me judice notant additum in Castabalis IEPOΠΟΛις, in Comanis IEPOKAIΣAPEΩN, in Synnadis IEPAΠOΛEITΩN, qua de conjectura vide, quae dixi in earum urbium numis, tum et ad Hieropolin Ciliciae. Fuere urbes, quae sanctitatem suam ipso etiam nomine expresserant, ut Hierocaesarea Lydiae, tum et aliae dictae Hierapoles.

ASYLI rationem ex uno fere Spanhemio, qui eam loco laudato late explicat, expono. Fuere asyla loca, quae sive reis, non involuntariis modo, sed interdum etiam voluntariis, perfugium praebuere, sive quae ab hostibus invadi spoliarive nefas habitum. Prioris exemplum offert asylum a Romulo apertum ex causa cognita, alterius, fana, urbes, insulae, regiones non paucae a Spanhemio citatae, quas religio ab hostium incursu tutas praestabat, unde a Graecis nonnunquam pro ἱερα και ἀσυλας repositum ἱερα και ἀπορθητος, *sacra et ab omni populatione immunis*, atque analoge ad hanc formulam Salbiatius, aut quisquis est auctor orationis I. ad C. Caesarem, *sacrum atque inspoliatum fanum* memorat. Livio Samothracae dicitur *sacra insula, et Augusti tota inviolatique soli* a), atque idem fanum lucumque Apollinis Delii vocat *ea religione et eo jure sanctum, quo sunt templa, quae asyla Graeci appellant* b).

Asyla primum habita arae, simulacra deorum, templa, tum vestibula, porticus, et adjacentes his luci, vineae, ac denique, ut diximus, totae urbes, regiones, insulae, ut Ephesus causa Dianae, Elis causa sacrorum ludorum, Delus, Samothracae, Samus causa notorum naminum et sacrorum. Asyli jus tum valuit, quando consecrationis lege illud concessum fuit c), valuitque sive ex praescripto vetustatis, quo nomine illud obtinuere templa et oracula vetustae famae, sive indulto sacri cujusdam concilii, quo modo illud Amphictyonum decreto tributum fuit Samiis d), sive principis, aut magistratuum, quo modo Seleucus Callinicus Smyrnam asylum constituit e), aut praetores Romani Hierocaesaream Lydiae f), sive ex mutuo consensu urbium populorumque, ut Teos Ioniae ἀσυλιαν sibi acquisivit g). Ab iisdem pariter asyli fines circumscripti. Auctore Tacito h) imperatores Romani non modo templo Hierocaesareae, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerunt. Sanxit loco mox laudato Seleucus, ut non modo templum Veneris Stratonicidis apud Smyrnaeos, sed tota urbs asyli juribus gauderet. Templo Dianae Ephesiae teste Strabone i) Alexander M. stadium largitus est; Mithridates, quousque sagitta

a) L. XLV. 5. b) L. XXXV. 5. c) Servius ad Aen. II. v. 761. d) Tacit. Ann. IV. 14. e) Marm. Oxon. f) Tacit. Ann. III. 62. g) Chishul ant. Asiat. p. 104. seq. h) l. c. i) L. XIV. p. 950.

Digitized by Google

ab angulo tecti emissa pertingeret; M. Antonius id duplicavit, et partem urbis asylo adjecit. Verum haec asylorum indulgentia subinde in licentiam vertit, pessimo quoque securitatem sibi in his quaerente. Quare jam Augustus Ephesiorum asylum abrogavit, ut refert eodem loco Strabo, ac praecipue Tiberius urbium Asiae ἀσυλίαν nimium patentem coercuit, ut late docet Tacitus [a]).

In numo nullo Graeciae Europaeae, saltem certae fidei, ἀσυλίας jura praedicantur, at frequens eorum mentio praecipue in numis urbium Ciliciae et Syriae late sumptae. Observanda formula, qua non urbes, sed numina in iis culta, asylo gaudere dicuntur. Sic in numis Ephesi legitur ΑΡΤΕΜΙϹ. ЄΦЄϹΙΑ. ΑϹΥΛΟϹ. in numis Pergae Pamphyliae ΠЄΡΓΑΙΑϹ. ΑΡΤЄΜΙΔΟϹ. ΑϹΥΛΟΥ.

CAPVT IX.

DE VRBIBVS NAVARCHIDIBVS.

Hunc titulum in numis jactant:

Aegae Ciliciae, ΝΑΥΑΡΧΙΔΟϹ.
Carystus Euboeae, ΝΑΥΑΡΧΙ.
Corycus Ciliciae, ΝΑΥΑΡΧΙϹ.
Dora Phoeniciae, ΝΑΥΑΡ.
Nicopolis Epiri, ΝΑΥΑΡΧΙΔΟϹ.
Sebaste Ciliciae, ΝΑΥΑΡΧ.
Sidon Phoenices, ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ.
Tomi Moesiae, ΝΑΥ.
Tripolis Phoenices, ΝΑΥΑΡΧ.

Omisi Tyrum, quia numus, cujus causa Vaillantius eam navarchidem statuit, est Tripolis Phoenices, ut dixi in hujus moneta.

Navarchides titulus, fueritne tantum honorificus, eo quod urbs quaepiam navalibus copiis et apparatu magis claruit, eoque urbes sive arbitratu suo, sive indulgentia Augustorum, Senatusve Romani usae fuerint, an vero ex certa causa, atque usu imperii permissus, tacentibus veterum testimoniis definiri nequit. In hoc scriptorum silentio Spanhemius ex vocabuli ναυαρχίδος etymo sanxit, urbes ναυαρχίδας dictas propterea, quod naves ibi seu classes ad

a) Ann. III. 60. seq.

Digitized by Google

tutelam urbis ac provinciae velut in statione agerent, et in quas imperium iisdem urbibus erat concessum [a]). At enim si urbs dicta ναυαρχις propterea, quod in ejus portu naves ad sui tutelam starent, nulla sane fuit urbs maritima, quae non se ναυαρχιδα dicere potuerit, cum nulla non naves habuerit ad oram suam defendendam paratas. Sin propterea, quod provincia tota fuerat tuenda, mirum, ad provinciam unam, eamque non maximi ambitus, tuendam, tribus ναυαρχισι opus fuisse, quo modo Cilicia, et Phoenicia tres singulae ναυαρχιδας habuere docentibus numis. Verisimilius igitur existimo, primum ab imperatoribus per opportunos portus classes ad provinciarum custodiam, aut rem frumentariam distributas, easque dictas ναυαρχιδας, sive classicas, quales per Italiam fuere Ravenna, et Misenus; factum deinde aemulatione urbium, ut si qua praestare sese portus commoditate, naviumque numero credidit, ναυαρχιδος quoque nomine se posse gloriari existimaret, satis perspecta urbium Graecarum libidine, quascunque titulorum umbras ambitiose ancupantium. Atque haec reor ex propinquo petita sat commode explicare naturam urbium ναυαρχιδων, neque egere longe ac subtili ratiocinio, quo eam refutatis aliorum sententiis investigavit Abbas Mazzolenus [b]).

CAPVT X.

DE MENTIONE SITVS, ET MAGNITVDINIS.

Factum passim a veteribus tam historicis, quam geographis videmus, ut ejusdem nominis urbes addita quadam nota distinguerent, ne unam cum altera perperam lectores confunderemus. Sic in definienda utraque Carthagine, et Roma discrimen a *vetere* et *nova* petitum. Magis usitatum discrimen sumptum ab urbis situ, et positione variis modis capta, quos sequentes articuli, quod ad numos attinet, suppeditabunt. Sunt autem:

I. a regionibus, populis, urbibus.

a) T. I. p. 687. b) Part. II. animadv. III. p. 251.

Digitized by Google

II. a mentibus.
III. a luco.
IV. ab ἀνω, et κατω.
V. a mari.
VI. a fluviis, et fontibus.
VII. a magnitudine.

§. I. *A regionibus, populis, urbibus.*

Amaci, AMAKVR, Hispaniae populus, cujus urbs Asturica Tarraconensis.

Arecomici, AREC. Galliae Narbonensis populus, cujus urbs Volcae.

Aulerci, AVLERCO, in quibus Eburovices Galliae Lugdunensis.

Bithynia, BIΘT. in numis Nicaeae Bithyniae.

Bruttii, BRET., in quibus Mamertini Bruttii.

Cennati, KENNATΩN, Ciliciae populus, inscripti numis Diocaesareae Ciliciae.

Cilbiani, in quibus Nicaeenses: NIKAIEΩN. TΩN. EN. KILBIANΩ.

Cilices, KILIKΩN, in numo Alarum Ciliciae.

Coelesyria, K. C. — KOI. CT. — vel plene: KOILHC. CTRIAC, in numis Abilae, Gadarorum, Philadelphiae Decapoleos urbium.

Commagene, KOM. in numis Germaniciae Caesareae.

Dardania, CKHΨIΩN. ΔARΔA., in numis Scepsiorum Troadis.

Epirus, HIIEIRO., quo nomine intelligitur *regio continens*, Thaso insulae opposita, in numo Thasi.

Galatia, MHTROΠOLIC. THC. ΓALATIAC., in numis Ancyrae Galatiae. ΓAΛ., in numis Pessinuntis Galatiae.

Ionia, EN. IΩNIA, vel: TΩN. EN. IΩNIA., in numis Apolloniae, et Metropolis Ioniae.

Issus, Ciliciae urbs ad sinum cognominem. KAT. ICCON, in numis Alexandriae Ciliciae.

Lycia, LT. LTKIΩN., in numis Apolloniae Lyciae, et pluribus aliis urbium Lyciae.

Mesopotamia, MECCOH., in numis Carrharum Mesopotamiae.

Moesia superior, P. M. S. in numis coloniae Viminacii.

Molossi Epiri, MOΛOΣΣΩN, in numo Cassopes Epiri.

Opuntii, OΠOT., quo se Locri Opuntii ab aliis Locris discernunt.

Paeonia, EN. ΠAIΩ., in numis Nysae, et Pautaliae Paeoniae.

Palaestina, vide *Syria*.

Paphlagonia, ΠA. ΠAΦA. in numis Germanicopolis, et Pompejopolis ejusdem regionis.

Phoenice, PENIC. in numo coloniae Tyri.

Phrygia, ΦRTΓ., in numo Metropolis Phrygiae.

Pieria Seleucidis pars, ΠIEPIAC, vel TΩN. EMΠIEPIAI, in numis Seleuciae Syriae.

Pisidia, PRO. P. *Provinciae Pisidiae*, in numo Cremnae Pisidiae. — ΠRΩTH. ΠICIΔΩN. in numis Sagalassi Pisidiae.

Pontus, EN. ΠONTΩ, in numis Apolloniae Thraciae, Heracleae Bithyniae. — MHTRΘΠ. ΠONTOT. in numis Tomorum Moesiae inferioris. — TOT. ΠONT. Zelae Ponti.

Digitized by Google

Portus Augustus, ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΛΙΜΕΝΙ, in numis Caesareae Samaritidos.

Ptolemais, Galilaeae urbs, ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ, nempe Antiochensium Syriae Ptolemaide degentium.

Samaria, CAM. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ, in numis Neapolis Samariae.

Seleucis, THC. CΕΛΕΥΚΙΔΟC. in numis Nicopolis Seleucidis.

Sidicini, Campaniae populus, ΣΙΔΙΚΙΝ., in numo Teani Campaniae.

Syria, ΣΥ, in numis Balaneae Syriae. — CΥΡ. CΥΡΙΑC., in numis Sebastes Samaritidos. — P. S. P. vel: PR. S. PAL., id est: *Provinciae Syriae Palaestinae*, in numis Caesareae Samaritidos. — CΥΡΙΑC. ΠΑΛΑΙCΤΙΝΗC, in numis Neapolis Samaritidos.

Tectosagi, Galatiae populus, ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ, in numis Sebastes Galatiae.

Thessalia, ΛΑΡΙΣΑ. ΘΕΣΣΑΛΩΝ, in numo Larissae Thessaliae.

Thracia, ΕΝ. ΘΡΑΚΗ, in numo Aeni Thraciae.

Tolistobogii, Galatiae populus, ΤΟΛΙC., in numis Pessinuntis Galatiae.

Troas, TROAS. TROAD., in numis coloniae Alexandriae Troadis.

Trocmi, populus Galatiae, TR. TRO., in numis Tavii Galatiae.

§. II. *A montibus.*

Non raro montes videmus in numis effictos additis etiam frequenter nominibus, idque non solum causa discriminis, sed et venerationis. Satis constat, veterum superstitionem non alia re magis, quam montium miraculis fuisse nutritam. Nam quo altius caput attollerent, tanto opportuniorem diis praeparatam sedem credidit, in quam se de coelo demitterent. Quapropter non modo religione consecrati fuere Olympus, Ida, Atlas, Argaeus, aliique, sed et his ipsis inesse numen creditum. Intenderunt superstitionem prodigia ex causis quidem naturalibus profecta, sed quae facilius fuit imperitis ad deos referre, quam ratione explicare. Sic cum viderent, Olympum Lyciorum montem placido per noctem lumine collucescere, ipsum hoc lumen habitum est et templum, et statua [a]). Ex eadem causa observatum a Caesarensibus Cappadociae Argaeum, ab Apolloniatis Illyrici monticulum Nymphaeum, et numis illatum, in horum moneta vidimus. Montem Garizim jactant in numis Neapolitani Samariae, Panachaicum Patrenses Achaiae, alii alios.

Montium in numis forma ex natura est petita. Vertici in nonnullis templum imminet, si quo fuere nobilitati. Argaeus et Nymphaeum flammas attollunt per causam mox adlatam. Alia alios addita insignia distinguunt, quae in singulis commemorantur.

Sequens catalogus offert montes omnes, quorum nomina sive definiendi situs causa, quod plerumque, sive religionis, et observantiae in numis extra urbem signatis produntur.

* * *

Anazarbus, ΤΠ. ΑΝΑΖΑΡ. vel ΤΩΝ.

a) Maxim. Tyr. diss. VIII. §. 8.

Digitized by Google

ΠΡΟC. ΤΩ. ΑΝΑΖΑΡΒ., in numis Caesareae Anazarbi Ciliciae.

Argaeus, ΠΡ. ΑΡΓ. vel: Τ. ΠΡ. ΑΡΓΑΙΩ, in numis Caesareae Cappadociae.

Cnemis, ΕΠΙΚΝΑ. Dorice, quo notantur Locri Epicnemidii, sive Cnemidi adsiti.

Gaurus, ΓΑΥΡΟΥ, in numis Nuceriae Campaniae.

Hippus, ΠΡ. ΙΠ. in numis Antiochiae Decapoleos.

Ida, ΙΔΗ, in numo Scepsiorum Troadis.

Libanus, ΠΡΟC. ΛΙΒΑΝΟΝ, in numis Heliopolis Coelesyriae. — ΛΙΒΑΝ. vel: ΠΡΟC. ΛΙΒΑΝΩ. vel: ΤΩΝ. ΕΝ. ΤΩ. ΛΙΒΑΝΩ, Laodiceae Coelesyriae, — ΛΙΒΑΝΟΥ, serius: ΛΙΒ., Caesareae Phoeniciae.

Olympus, ΠΡΟC. ΟΛΥΜΠΟΝ. vel: ΕΝ. ΟΛΥΜΠΩ, in numis Hadrianorum Bithyniae.

Panium, ΠΡ. ΠΑΝΕΙΩ. vel: ΤΠ. ΠΑΝΕΙΩ. in numis Caesareae Trachonitidos.

Pelorias, vel *Pelorum*, ΠΕΛΩΡΙΑΣ, in numis Messanae Siciliae.

Rhodope, ΡΟΔΟΠΗ, in numo Philippopolis Thraciae.

Sipylus, ΣΙΠΥΛΟΥ, vel: ΑΠΟ. ΣΙΠΥΛΟΥ, in numis Magnesiae Lydiae.

Taurus, ΤΩΝ. Π. Τ. id est: Πρὸς Ταύρῳ, in numis Tyanorum Cappadociae. In autonomo Tyanorum proponitur taurus animal adludendo ad nomen montis.

Viarus, ΟΥΙΑΡΟC, in numo Prostannae Pisidiae.

§. III. *A luco.*

Daphne lucus prope Antiochiam: ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΔΑΦΝΗΙ, in numis Antiochiae Syriae.

§. IV. *Ab ἀνω et κατω.*

ΤΩΝ. ΑΝΩ. vel ΤΩΝ. ΚΑΤΩ. Nimirum in *superiores*, et *inferiores* divisi fuere Cilbiani Lydiae populi. Sic et Moesia duplex, *superior*, et *inferior*, et *superior* quidem etiam in numis Viminacii memorata.

§. V. *A mari.*

ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗ, vel; ΘΑΛΑΣΣΑΝ. Sic se distinxere Prusias Bithyniae, et Laodicea Syriae ab aliis urbibus ejusdem nominis.

§. VI. *A fluviis, et fontibus.*

Non sola tollendi ambigui causa fluvios, fontesque monetae inscripsit, sed potiores in hoc instituto partes obtinuit religio. Quis enim ignorat, veteres non modo singulis fluviis, fontibusque sua praefecisse numina, quae Najades, aut Napaeas appellare placuit, sed cum iis summos etiam deorum honores communicavisse? Sic Aegyptus non magis in Sarapide, quam Nilo superstitiosa, dii, quod inter omnes constat, a Trojanis habiti Xanthus Simoisque, ab Apamenis Phrygiae Maeander et Marsyas, tum Iovis filius habitus Hermus, in Aeolica, Lydiaque moneta ob-

Digitized by Google

vius, ut est in vita Homeri, quae Herodoto tribuitur a):

Ερμυ δινηεντος, ὁν ἀθανατος τεκετο Ζευς,
Hermi vorticosi, quem immortalis genuit Iuppiter.

Accessere ad observandos fluvios causae aliae, quas eleganter, et vere enumerat Maximus Tyrius b): ἐστι που, *inquit*, και ποταμων τιμη, ἡ κατ' ὠφελειαν, ὡσπερ Αιγυπτιοις προς τον Νειλον, ἡ κατα καλλος, ὡς Θετταλοις προς τον Πηνειον, ἡ κατα μεγεθος, ὡς Σκυθαις προς τον Ιστρον, ἡ κατα μυθον, ὡς Αιτωλοις προς Αχελωον, ἡ κατα νομον, ὡς Σπαρτιαταις προς τον Ευρωταν, ἡ κατα τελετην, ὡς Αθηναιοις προς Ιλισσον. *Sed et suus habetur fluviis honor sive utilitatis causa, ut ab Aegyptiis Nilo, sive pulchritudinis, ut a Thessalis Peneo, sive magnitudinis, ut a Scythis Istro, sive ex fabulis, ut ab Aetolis Acheloo, sive ex lege, ut a Spartanis Eurotae, sive ex sacro instituto, ut ab Atheniensibus Ilisso.* A similibus igitur causis cum amarent Graeci typorum argumenta petere, nequaquam mirum, tam frequenter in monetam suam fluvios fuisse derivatos.

Placuit etiam populum aut regionem fluviorum imaginibus συμβολικως exprimere. Sic in elegante numo Alexandrino cum capite Antonini Pii Tiberis, et Nilus stantes dexteras jungunt scripto juxta: ΤΙΒΕΡΙϹ. ΟΜΟΝΟΙΑ, quo nimirum symbolo suam Aegyptii adversum Romanos observantiam testatam voluere. Eodem modo in eximiis Trajani numis commatis Romani Tigris et Euphratis imagines Mesopotamiae partes agunt utroque hoc flumine interceptae. Ex diversa causa in monetam Trajani advocatus DANVVIVS, nimirum victoriae Dacicae ex vicino testis et praeco.

Ex his liquet, fluvios non unius situs indicandi causa numis fuisse illatos, quod praeter adductum mox exemplum Tiberis in moneta Alexandrina propositi confirmat etiam Meles Smyrnae fluvius inscriptus numis Amastrios Paphlagoniae, Xanthus Troadis, quem jactat numus Germanicopoleos ejusdem Paphlagoniae. Certum situs indicium faciunt praefixa ΠΡΟϹ, ϵΠΙ, ΑΠΟ, quorum exempla dabit subjectus catalogus.

Quae de fluviis dixeram, cum fontibus quoque communicanda, in quorum cultu non minus testibus veterum monumentis vetus superstitio insanivit. Non majore sane adfectu in Nilum suum ferebatur Aegyptus, quam in suam Syracusae Arethusam, ut taceam aliarum urbium in fontes suos adfectum, quo de argumento vide praeclaram dissertationem abbatis Fontenu c), et Bimardi dissertationem de diis ignotis praefixam tomo I. Inscript. Muratorii. Fontes ergo hos quoque inscriptos numis comprobant Arethusa certus Siciliae fons, aliique, tum et vocabula ΠΗΓΗ, *fons*, ΠΗΓΑΙ, *fontes*, et in numo Pompejopolis ΠΗΓΗ. ϹΟΥΝΙΑϹ, *fons Sunias*. Fontes etiam existimo ignota geographis nomina ΚΟΡϹΥΜΟϹ, ϵΛΑΤΗϹ, ΤϵΡΑ, et similia alia infra fluvii jacentis imaginem posita, quorum certe ali-

a) Cap. 9. b) Diss. VIII. c. 1. c) B. L. Tom. XII. hist. p. 27.

Digitized by Google

cubi exstaret mentio, si fluvii fuissent, at neglecti, quia fontes tantum fuerint, et unis oppidanis per superstitionem, aut aliam causam, honorati habiti, de quo vide, quae disserui in numis Phocaeae Ioniae ad similia nomina fluviorum imaginibus subjecta.

Generatim binis modis fingi flumina in numis consuevere, primum typo figurae virilis, rarius muliebris additis variis insignibus, de quibus mox infra. Obtinuit hic modus per Graeciam Europaeam, et totam Asiam minorem demptis Cappadocia, et Cilicia. Sic et Aegyptii Nilum suum finxere, et Romani in monumentis suis fluvios omnes. Deinde typo juvenis nudi medio corpore ab aquis exstantis, et diductis brachiis natare visi, supra quem plerumque conspicua mulier turrita rupi insidens. Hoc typo adumbratos fluvios videas in numis Cappadociae, et Ciliciae, et ab his per totum reliquum Orientem numismaticum. Extra hunc tractum non reperi fluvium in hunc modum formatum, praeterquam in numo Nicaeae Bithyniae, quem olim edidi [a]). Cl. Ennius Visconti signum marmoreum vulgavit forma similis mulieris rupi insidentis emergente subtus fluvio. Hanc cum frequenter videret in numis Antiochiae Syriae, non dubitavit adfirmare, ea genium Antiochiae exhiberi. Verum, ut dixi, obvius est hic typus in moneta variarum hujus tractus urbium, ac praecipue Tarsi quoque illustris in Cilicia urbis. Addit, Orontem videri in his Antiochiae numis propterea fingi imberbem, quia is teste Strabone [b]) prope Antiochiam terram subingressus post XL. stadia renascitur. At non reflexit animum vir praeclare eruditus, in omnium, quas laudavi, urbium numis fluvios hoc modo propositos fingi imberbes. Haec generatim, sed privatim alius mos valuit. In Sicularum urbium numis finguntur fluvii, et fontes specie decora viri juvenis, aut puellae, atque hi aut stantes, aut solo eorum capite proposito, ex cujus fronte plerumque minutum cornu turget. Acheloum in numis Oeniadarum Acarnaniae indicat caput barbatum duplici taurino cornu praefixum, et in tauri collum abiens, nimirum quod tauri specie in certamen cum Hercule descendisse ferebatur. Eodem exemplo bovem cum capite humano in numis urbium Campaniae et Siciliae fuisse symbolum fluviorum, adseruit princeps Turris Muciae, et cum eo alii, sed quam ego sententiam late impugnavi in diatribe Campaniae numis adfixa. Maeandrum Phrygiae et Cariae fluvium designant in numis lineae in se recurrentes, capta imagine a natura fluminis tortuosi, et se in serpentis morem sinuantis, unde in proverbium, et poetarum lusus valuit. In Damasci Coelesyriae numo videntur fluvios indicare duae lineae vagae ex montis vertice ductae, et ad ejus radicem coeuntes, de quo vide numos hujus urbis.

Cum fluvii specie viri humi decumbentis finguntur, varia illis insignia ab eorum ducta indole tribui solent. Sic

a) Num. vet. p. 183. b) L. VI. p. m. 422.

Digitized by Google

v. c. cubito sinistro innituntur urnae, ex qua unda profluit, dextera tenent arundinem, quam ipsi educant, sinistra cornucopiae, quia fertilitatem procurant, quo modo eos describit Dio Chrisostomus, exhibentes, inquit [a]), *εἰδὴ ὀικεῖα καὶ σημεῖα ἀπο τῆς φυσεως, οἷον τοὺς ποταμοὺς κατακειμενους γυμνους, το πλεον γενειον πολυ καθειμενους, μυρικην ἡ καλαμην ἐσεφανωμενους*, *species sibi proprias et signa ex natura sumpta, ut fluvios nudos jacentes, barba plerumque multum promissa, myrica vel arundine coronatos.* At comitantur fluvios alios insignia sibi unis propria. Nili omnem apparatum, crocodilum, hippopotamum, ibin, cubitos exposui in numis Alexandrinis. Xanthus Palladium praetendit insigne Trojae, quam adluit. Folia epii juxta Selinum Pergami rivum comparent, a qua herba nomen abstulit. Cornua tribuuntur fluminibus, quod per undarum strepitum impetumque taurorum irruentium vim ac mugitum imitantur, de quo egi copiosius ad numos Campaniae. Sed haec frequentius a poetis, quam artificibus video adficta. In Siciliae numis istud obviam, extra hanc vix reperias. Cornua praefigit Achelous, sed quia, ut dixi, in taurum abit. Cornutus est etiam fluvius decumbens, qui est in numo Postumi inscripto: SALVS. PROVINCIARVM, et qui Rhenus putatur, denique et Oceanus in numo coloniae Tyri, sed qui ibi fluvii imago non est, sed maris magni extra Herculis columnas porrecti. Ad haec alias peristases videre sibi visi sunt eruditi nonnulli. Dejeravit Vaillantius, fluviorum imagines tum proponi imberbes, aut cultu femineo, cum ipsi in alios fluvios exeant, aut navium patientes non sunt, aut cum nomi, qui hos exhibent, sub principibus imberbibus signati sunt; contra proponi barbatos, cum magni sunt, aut cusi sub imperatoribus barbam nutrientibus [b]). At enim vagas esse has leges, et quas sibi artifices veteres praescribi certe passi non sunt, jam ante me vidit Pellerinius adversantibus exemplis non paucis contrarium docentibus [c]), ac multo ante Iobertus [d]). Equidem observaveram, majorum gentium fluminibus additam barbam, at variatam in iis, quibus tenuior domi facultas, tum et in fontibus. Enimvero Romani, quos in artefactis suis Graecorum legibus inhaesisse satis constat, in notis Trajani numis genium AQVAE TRAIANAE, quo nomine notabatur modica aquae portio per aquaeductus in urbem derivata, liberaliter barbatum proposuere. Ceterum fontes, perinde atque eorum praesides nymphas, plerumque puellari specie fuisse effictos, ex residuis veterum statuis abunde constat, atque hunc morem confirmat Dio Chrysostomus, cum narrat [e]), *καὶ κρηνας ἐν τισι γυναικειους ἰδεσι*, *et fontes quibusdam mulierum formis* exhiberi fuisse solitos. Aliud magis mirum edixit abbas Fontenu, qui laudatam supra dissertationem, egregiam sane atque eruditam, his verbis claudit: *iidem hi fluvii in numis aut ad dexteram, aut sinistram partem sunt conversi, prout nimi-*

a Orat. IV. p. 73. b) Num. Graec. p. 342. c) Mel. II. p. 365. d) Tom. II. p. 5. e) Orat. IV p. 75.

Digitized by Google

rum eorum cursus aut in Orientem, aut Occidentem fertur. Quid his verbis intelligi velit vir praestans, difficile est ariolari; nam fluvii figura, si numum in gyrum ducas, omnes potest plagas respicere. Satis apparet, auctoris nostri mentem, cum haec scriberet, chartis nostris geographicis fuisse adfixam, in quibus Oriens plerumque respicienti ad dexteram, Occidens ad sinistram est positus. Sed neque sic veritas sibi constat. Nam fluviorum imagines, cum privae in numis proponuntur, fere constanter in occasum sunt versae, et sic etiam, ut innumeris aliis exemplis abstineam, Danuvius et Nilus, quorum ille in Orientem, hic in septem triones tendit.

Cum humanam fluviis formam largiantur veteres, nequaquam mirum, humanas quoque illis adfectiones tributas. Amantium fluviorum, et qui inter suas ipsi undas, ut olim ignis ille Graecus, arsere, catalogum justum adornavit amoris ipse magister, et adsectator Naso [a]), et numi quoque exempla suppeditant.

Sequitur quem promiseram, catalogus fluviorum omnium fontiumque, quorum ex quacunque causa fit mentio in numis extra urbem signatis. Quae ad singulos fluvios notanda sunt, pete ex numis, qui horum meminere.

Fontes anonymi.

Fontes nullo addito nomine offerunt binae urbes:

ΠΗΓΗ, *fons*, Philadelphia Lydiae.

ΠΗΓΑΙ, *fontes*, colonia Damascus Coelesyriae.

Fluvii et fontes additis nominibus.

Acragas, ΑΚΡΑΓΑΣ, in numis Agrigenti Siciliae.

Amenanus, ΑΜΕΝΑΝΟΣ, in numis Catanae Siciliae.

Arethusa, ΑΡΕΘΟΣΑ, in numis Syracusarum Siciliae, fons famigeratus et religione sacer.

Asines, ΑΣΣΙΝΟ, in Numis Naxi Siciliae.

Axius, ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΑΞΙΩ, in numis Apameae Syriae cum capite Alexandri I. Syriae regis.

Billaeus, ΒΙΛΛΑΙΟC, junctus etiam cum *Sardo* seu fluvio, seu fonte, in numis Tii Bithyniae.

Callirhoe, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΠΙ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ. Vide numos Antiochiae Syriae.

Calycadnus, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩΙ, in numis Seleuciae Ciliciae.

Caper, vide infra in *Lyco*.

Caus, ΚΑΟC, dubium fluvii nomen in numo Erizae Cariae.

Cayster, ΚΑΥCΤΡΟC, in numis Ephesi Ioniae. Cum hoc conjungitur nonnunquam alter fluvius

Cenchrius, ΚΕΝΧΡΙΟC. ΚΑΥCΤΡΟC., in ejusdem Ephesi numis.

Cestrus, ΚΕCΤΡΟC, in numis Sagalassi Pisidiae.

Cetius, ΚΗΤΙΟC, semper in consortio cum CΕΛΙΝΟC, in numis Pergami Mysiae.

Chrysas, CRYSAS, in numis Assori Siciliae.

a) Amor L. III. eleg. 6.

Digitized by Google

Chrysorrhoas, XPTCOPOAC, in numis Hierapolis Phrygiae, et Leucadis Coelesyriae.

Corsymus, KOPCTMOC, in numis Aphrodisiadis Cariae.

Cydnus, KTΔNOC, vel TAPΣEΩN. TΩN. ΠPOΣ. TΩI. KTΔN., in numis Tarsi Ciliciae.

Elates, EΛATHΣ, in numo Midaei Phrygiae.

Euphrates, ANTIOXЄΩN. ΠPOC. ЄTΦPATHN, in numis Antiochiae Commagenes.

Glaucus, ΓΛATKOC, in numis Eumeniae Phrygiae.

Hermus, ЄPMOC, in numis Bagarum Lydiae, Cadorum Phrygiae, Cymes Aeolidis, Magnesiae Lydiae, Saettenorum Lydiae, Sardium Lydiae, Tabalorum Lydiae, Temni Aeolidis.

Hipparis, IΠΠAPIΣ, in numis Camarinae Siciliae.

Hippurius, IΠΠOTPIOC, in numis Blaundi Lydiae.

Hyllus, TΛΛOC, in numis Saettenorum Lydiae.

Hypius, ΠPOTΣIЄIΣ. ΑΠO. TΠIOT, vel: ΠPOTCIЄΩN. TΠIOC, vel: ΠPOC. TΠIΩ, in numis Prusiadis Bithyniae.

Hypsas, HTΨAΣ, in numis Selinuntis Siciliae.

Iberus, HIBERA. ILERCAVONIA, in numis Ilercavoniae Tarraconensis.

Indus, INΔЄI. CTPATONЄI, in numis Stratoniceae Cariae, nisi forte hic INΔЄI. non Indum Cariae fluvium, sed Cariam Indicam notat.

Ister, NIKOΠOΛITΩN. ΠPOC. IЄTPΩ. vel: ΠPOC. ICTPON, in numis Nicopolis Moesiae inferioris.

Limyrus, ΛIMTPOC, in numis Limyrae Lyciae.

Lycus, ΛTKOC. KAΠPOC, bini fluvii in numis Laodiceae Phrygiae.

Maeander, MAIANΔPOC, MЄANΔPOC, in numis Antiochiae Cariae, Apameae Phrygiae, Dionysopolis Phrygiae, Magnesiae Ioniae, Tripolis Cariae. AΠAMEIAΣ. ΠPOΣ. MAIANΔPON, in numis Apameae Phrygiae. Occurrit etiam in consortio Marsyae: MAPCTAC. MAIANΔPOC, in numis Apameae Phrygiae. Omisso nomine solis lineis recurrentibus indicatur in numis Apolloniae Cariae, Magnesiae et Prienes Ioniae, et Apameae Phrygiae. Nempe sinuosi hi flexus fluminis hujus naturam exprimunt per varias ambages ad caput suum redire visi, quae poetarum non paucis, ac Naseni praecipue, ad amoenos lusus materiam suffecit, unde fluvius hic dictus Senecae *poetarum omnium exercitatio, et ludus* [a]). Similes flexus non raro in aliis veterum monumentis, ac praecipue Etruscis, ornamenti causa comparent, saepe etiam in picturis vasorum fictilium Campanorum. Vnde recte Festus [b]): *Maeandrum, genus picturae, dictum est a similitudine flexus amnis, qui appellatur Maeandrus.* In vetustissimis Syracusarum numis ejusdem generis lineae tortuosae reticulum, quo muliebris capitis crines colliguntur, ambiunt. Et constat, idem istud in vestibus ornamenti genus sumpta a tortuoso Maeandro similitudine Maeandrum fuisse dictum teste ejus Marone [c]):

a) Epist. 104. b) in *Maeandrum*. c) Aen. V. 250.

Digitized by Google

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit.

Ad quem locum Servius: *Maeandro duplici, flexuoso, et hoc dicit: Erat in chlamyde flexuosa, et in se remeabilis purpura, in modum Maeandri fluminis Cariae.* Fluminis exemplum ad mores etiam fuit traductum, dictumque *Maeandri more* de iis, qui obliquis consiliis, neque simpliciter agere cum hominibus consueverunt, de quo vide lexica eruditorum.

Marnas, ΜΑΡΝΑΣ, in numis Ephesi Ioniae.

Marsyas, ΜΑΡCΥΑC, in numis Apameae Phrygiae, junctus etiam cum Maeandro, ut mox diximus.

Meles, ΜΕΛΗC, in numis Amastrios Paphlagoniae.

Mestus, ΝΙΚΟΠΟΛΕΩC. ΠΡΟC. ΜΕCΤΩ, in numis Nicopolis Thraciae.

Nilus, ΝΙΛΟΣ, in Alexandrino Titi.

Oceanus, ΩΚΕΑΝΟC, sive hoc nomine indicetur Nilus, seu mare, in Alexandrino Commodi, et coloniae Tyri.

Orontes, ΑΠΟ., quas literas sic legendas conjicio: Ἀντιοχέων Πρὸς Ὀρόντῃ, in numo Antiochiae Syriae.

Parthenius, ΠΑΡΘΕΝΙΟC, in numis Amastrios Paphlagoniae.

Pitnaeus, ΠΙΤΝΑΙΟC, alii legunt: ΤΙΤΝΑΙΟC, ignotus fluvius, vel fons, in numis Aegarum Aeolidis.

Pyramus, ΠΤΡΑΜΟC, in numis Anazarbi Ciliciae. ΚΛΕΤΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΤΡΑΜΩΙ, in numis Eleutherocilicum Ciliciae, sed quae lectio suspecta. ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΤΡΑΜΩ, in numis Hieropolis Ciliciae. ΜΕΓΑΡΣΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΩΣ. ΤΩ. ΠΤΡΑΜΟ, Megarsi Ciliciae.

Rhodius, ΡΟΔΙΟC, in numis Dardani Troadis.

Rhyndacus, ΡΥΝΔΑΚΟC, vel: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ΠΡΟC. ΡΥΝΔΑΚΩ, in numis Apolloniae Mysiae.

Sagaris, *Sangarius*, CΑΓΑΡΙC, in numis Nicaeae Bithyniae. CΑΝΓΑΡΙΟC. addito collega CΚΟΠΑC, in numo Iuliopolis Bithyniae.

Sardo, CΑΡΔΩ, seu fluvius, seu fons, sed geographis ignotus, addito socio ΒΙΛΛΑΙΟC, in numis Tii Bithyniae.

Sarus, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Π. ΣΑΡΟΝ, vel, ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΣΑΡΩΙ, in numis Antiochiae Ciliciae.

Scamander, ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ, in numis Alexandriae, et Ilii Troadis urbium.

Scopas, ΣΚΟΠΑC, vide *Sangarius*.

Selinus, CΕΛΙΝΟC conjuncte etiam ΚΗΤΙΟC, in numis Pergami Mysiae.

Smard - - CΜΑΡΔ., in numo Phocaeae Ioniae.

Strymon, CΤΡΥΜΩΝ, in numis Pautaliae Thraciae.

Sunias, ΠΗΓΗ. CΟΥΝΙΑC, *fons Sunias*, in numo Pompeiopolis Ciliciae.

Tera, ΤΕΡΑ, in numis Phocaeae Ioniae.

Tiberis, ΤΙΒΕΡΙC, in Alexandrino Antonini Pii.

Tigris, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΙΓΡΕΙ, in numis Seleuciae Mesopotamiae.

Timeles, ΤΙΜΕΛΗC, in numis Aphrodisiadis Cariae.

Xanthus, ΞΑΝΘΟC, in numo Germanicopolis Bithyniae.

Digitized by Google

§. VII. *A magnitudine.*

ΤΕΡΜΗΟΣΣΕΩΝ. ΤΩΝ. ΜΕΙΖΟΝΩΝ, nam fuit in Pisidia Termessus duplex major et minor.

ΤΒΛΑΣ. ΜΕΓΑΛΑΣ, Hyblae magnae in Sicilia ob eandem causam.

ΔΙΟΠΟΛΙ. ΜΕ. Diospolis magna Aegypti; nam fuit in hac etiam altera parva.

ΟΑΣΙΣ. ΜΕΓ. Oasis magna Aegypti, ut distingueretur a parva ejusdem nominis.

CAPVT XI.

DE VRBIVM VARIIS NOMINIBVS.

Saepenumero factum antiquitus, ut urbes vetus suum nomen invecto novo altero permutarent. Novandi causa potior aut principum victorumque libido, aut foeda populorum adulatio fuit. Sic Ariarathes Eusebes Cappadociae rex Mazacam ex nomine suo in Eusebiam, Messenii victores Zanclen Siciliae in Messanam, Sicyonii in gratiam Demetrii regis Sicyonem suam saeculorum gloria nobilitatam in Demetriadem verterunt. Et erant urbes, quibus per vices plura imposita nomina. Ita quae olim Sybaris, serius Thurium, postremo Copia, comprobantibus etiam hanc varietatem numis; quae olim Bethsan Samaritidis urbs, subinde Nysa, denique Scythopolis. At potissimum a Macedonibus in vetera nomina saevitum, ex quo sibi per Alexandri M. victorias Asiam minorem, Aegyptum, Syriam, Phoenicen, aliasque in ortum regiones subjecere. Parcitum quidem plerumque coloniis Graecis, quae maritima fere tantum insedere, reverentia credo conditorum, parcitum etiam magnis nominibus, ut Tyro, Sidoni, aliisque similis famae. At nulla in urbes mediterraneas Asiae minoris, Syriaeque, easque tum adhuc incultas barbarasque moderatio. Memorabile est, quod refert Appianus [a]), Seleucum I. urbibus ditionis suae indidisse nomina ex nominibus urbium Macedoniae Graeciaeque. Factum inde, ut non Macedonia Graeciaque magis, quam Syria suam habeat

a) Syriac. c. 56.

Digitized by Google

Berhaeam, Pellam, Amphipolin, Arethusam, Chalcidem, Larissam etc. Adde Pieriam Seleucidis partem a Pieria Macedoniae regione nomen mutuatam, quin et Axium flumen testibus Apameae numis ex Macedonia in Syriam derivatum. Addit Appianus eodem loco, Seleucum per regnum suum aedificasse XVI. Antiochias, VI. Laodiceas, IX. Seleucias, III. Apameas, I. Stratoniceam. At noli credere, eas omnes a fundamentis excitatas. Satis constat, Apameam Phrygiae diotam prius Celaenas, tum et Cibotum, Laodiceam Syriae olim Ramitha, missis infinitis exemplis aliis, quae videre potes apud Stephanum. Verum adscititia haec nomina non semper aevum tulere, praecipue cum aut invitis fuerunt imperata, aut unius adulationis causa arcessita. Sublatis enim sive metus sive benevolentiae causis revixit vetustatis amor urbibus Graecis penitus insitus. Ita Sicyonii paullo post noviciam Demetriadem, Ciani Bithyniae multis denique post annis Prusiadem abjecerunt. Et respexere vetus Mantineae nomen Antigonenses Arcadiae, Bithynii Claudiopolitae Bithyniae, utrique Hadriani Augusti suasu, ut in eorum numis docuimus. At fuere urbes aliae, quibus et vetus et novum nomen retinendum visum, utroque saepe nomine uni eidemque numo inserto, cujus mox exempla proferemus. Haec in Graecis comperta, eosque sive imitati Romani, sive suapte, nomina urbium ipsi quoque immutavere, saepe ridiculo superstitionis impulsu. Nam cum *Maleventum* Samnii urbs mali esse ominis videretur, quod nollent nisi *bene venire*, obscoenum istud nomen in auspicatius *Beneventi* placuit commutare, ut tradit Plinius. Habeo auctores veteres, similis illos delirii monitu Egestam Siciliae in Segestam, Epidamnum Illyrici in Dyrrhachium vertisse, sed effeci invictis numorum testimoniis, quae in utriusque urbis moneta commemoravi, ut victor orbis populus saltem hac parte minus videretur ridiculus. Hadrianum Hierosolymas in Aeliam Capitolinam, Constantinum M. Byzantium in Constantinopolin transtulisse, in vulgus notum. Quo pacto isthaec numorum subsidio comprobentur, subjecta experimenta dabunt, sed variationum causas ex singularum urbium numis pete.

Vrbes vetus ac novum nomen in nunis, sed diversis, enunciantes.

Aboni tichos Paphlagoniae. ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ, serius *Ionopolis*, ΙΩΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Ace Galilaeae. ΑΚΗ, serius *Ptolemais*, ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΕΩΝ. vel: COLONIA. PTOLEMAIS.

Alexandria Aegypti. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. serius *Roma* sub Antonio IIIviro, ΡΩΜΗΣ. Vide numos Alexandrinos.

Anthedon Iudaeae ΑΝΘΗΔΟΝΟC, serius Agrippias, ΑΓΡΙΠΠΕΩΝ.

Antiochia Syriae. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, serius *Theupolis*, THEVP. in numis Latinis infimi aevi.

Byzantium Thraciae. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ,

Digitized by Google

serius *Constantinopolis*, CONSTANTINOPOLIS.

Elaeusa insulae cognominis juxta Ciliciam. ΕΛΑΙΟΤΣΙΩΝ, serius *Sebaste*, ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ.

Ierusalem Iudaeae. ירושלים litteris Samaritanis, serius *Aelia Capitolina*, COL. AEL. CAP.

Soli Ciliciae. ΣΟΛΕΩΝ, serius *Pompejopolis*, ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Sybaris Lucaniae. ΣΤΒΑ., serius *Thurium*, ΘΟΤΡΙΩΝ., serius *Copia*, COPIA.

Zancle Siciliae. DANKLE, serius *Messana*, MESSANIΩN, serius *Mamertinorum urbs*, MAMEPTINΩN.

Vrbes, quae vetus nomen restituerunt.

Adana Ciliciae, serius *Antiochia*, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΣΑΡΩΙ, iterum ΑΔΑΝΕΩΝ.

Anazarbus Ciliciae, serius *Caesarea*, ΚΑΙCΑΡЄΩΝ, iterum ΑΝΑΖΑΡΒΟΤ.

Anthedon Iudaeae, serius *Agrippias*, ΑΓΡΙΠΠΕΩΝ, iterum ΑΝΘΗΔΟΝΟC.

Bithynium Bithyniae, serius *Claudiopolis*, ΚΛΑΤΔΙΟΠΟΛЄΩC, iterum ΒΙΘΤΝΙЄΩΝ.

Cius Bithyniae, serius *Prusias*, ΠΡΟΤΣΙΕΩΝ, iterum ΚΙΑΝΩΝ.

Edessa Macedoniae, serius *Aegae*, ΑΙΓΑΙΟΝ, iterum ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ.

Lugdunum Galliae, serius *Copia*, COPIA, iterum *Lugdunum* in nùmis Latinis Albini Clodii.

Mantinea Arcadiae, serius *Antigonia*, ΑΝΤΙΓΟΝΕΩΝ, iterum ΜΑΝΤΙΝΕΩΝ.

Vrbes in uno eodemque numo vetus et novum nomen enunciantes.

Apamea Bithyniae, olim *Myrlea*, ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΩΝ. ΜΤΡΛΕΑΝΩΝ.

Apamea Phrygiae, olim *Cibotos*, ΚΙΒΩΤΟC. ΑΠΑΜΕΩΝ.

Caesarea Cappadociae, olim *Eusebia*, ΕΤΣΕΒΕΙΑΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ.

Crannon Thessaliae, olim *Ephyri*, ΚΡΑΝΝΟΤ. ΕΦΤΡ.

Flaviopolis Bithyniae, olim *Cretia*, *Cratia*, ΚΡΗΤΙΕΩΝ. ΦΛΑΟΤΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ.

Leucas Decapoleos, olim *Abila*, ΛΕΤΚ. ΑΒΙΛΑ.

Patrae Achaiae, olim *Aroe*, COL. *Augusta Aroe* PATRAE.

Scythopolis Samariae, olim *Nysa*, ΝΤCΑΙЄΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΣΚΤΘΟΠΟΛΙΤΩΝ.

Digitized by Google

CAPVT XII.

DE VRBIBVS ORIGINEM SVAM, AVT COMMVNICATAM CVM ALIIS CIVITATEM PROFESSIS.

Legimus non raro in numis urbium ad populi nomen additum alterum alterius populi, ut ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ. vel: ΕΤΜΕΝΕΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. aut similiter. Ejus addendi causa fuit duplex, seu cum urbs primorum conditorum, suumque adeo genus voluit profiteri, seu commemorare populum, quem forte in societatem vitae et juris communionem adscivit. Ad illud quod attinet, constat, varias gentes Graecas sive quod sobolis multitudine laborarent, sive quod istud civitati suae expedire varias ob causas videretur, colonos aliorsum deduxisse, qui deinceps memores, unde essent profecti, addita originis mentione suam in matrem pietatem amabant comprobare. Ita Perinthii *Ionas* sese in numis professi sunt, quia deducti a Samiis, qui Iones fuere. Quanquam in numis et alii occurrunt metropolin profitendi modi, seu typis, seu inscribendi ratione. Ita Syracusani insculpto Corinthiorum Pegaso Corinthios sese volebant intelligi, tum Siculi, Peloponnesii, Cretes, Rhodii Dorice in numis loquendo Dores sese edixere. Sed de binis his originem suam indicandi modis hoc loco non agimus. Populi Asiae minoris non pauci sese dixere *Macedonas*, quorum nomina in subjecto catalogo proferemus, et praeter hos Plinius in Macedonibus numerat Aschilacas Aeolidis, Caduenos Phrygiae, et Mysomacedones. Ejus causa epitheti in promptu. Constat, Macedonas primum sub Alexandro, deinde sub ejus ducibus longo bello exercitos impetrata missione in variis Asiae regionibus consedisse, ac tum aut novas sibi sedes condidisse, quod de Docimeo Phrygiae historia docet, aut sese cum veteribus urbium incolis miscuisse, quo modo Romani iis, qui confectis stipendiis erant, per Hispaniam aut urbes aedificarunt, aut eos urbibus jam aedificatis adscripserunt, quae fuit Italicae, Patriciae, et Emeritae origo.

Digitized by Google

Vtrumvis factum, poterant se oppidani eorumque posteri Macedonas dicere, sive quod ipsi urbis auctores essent, sive quod pars urbis nobilior contemptis utique indigenis barbaris haberentur. Haec rite et ex historiae verae praeceptis constituta existimo. Verum altius Panelius Macedonum nomen pluribus Asiae minoris populis tribui solitum orditur [a]). Narrat, totam fere Asiam minorem antiquissimo aevo dictam Macedoniam, idque probat ex libro Estheris [b]), ubi dicitur *Aman filius Amadathi et animo et gente MACEDO, alienusque a Persarum sanguine.* Additur mox infra [c]): *hoc cogitans, ut regnum Persarum transferret in Macedonas.* Atqui, infert Panelius, de Macedonibus Europaeis haec verba accipi non possunt, quod hi Artaxerxis aetate nullius erant nominis, et cum propterea, tum propter locorum intercapedinem Persis metum incutere nondum poterant. Intelligenda ergo Macedonia Asiatica, ex qua profecti coloni annis circiter centum quinquaginta ante Artaxerxem in Emathia sedes posuere. Taedet inconcinna reliqua, quae addit, referre. At enim priusquam isthaec tam audacter assereret, necesse fuerat, in fidem vocabuli *Macedo*, quam offert vulgata, curatius inquirere. Textus Hebraicus, cum Amani genus recitat, eum binis locis vocat הָאֲגָגִי [d]) quod et vulgata constanter et rite vertit *de stirpe Agag.* At variant LXX., qui Amanum binis locis non *Agagitem*, sed Βουγαῖον faciunt [e]), ac paullo post hoc etiam nomen aspernati adfingunt aliud, diciturque illis Aman filius Ἀμαδαθοῦ ὁ ΜΑΚΕΔΩΝ [f]). Hebraica, et LXX. interpretum Esther ultra caput X. non progrediuntur. Ad vulgatam quod attinet, ea, quoties textus Hebraicus praesto fuit, semper vertit, ut dixi, *Agag.* Deinceps (nam in sex alia capita procurrit ex vetere Hieronymi versione) ipsa quoque variat, atque illi Amam jam est Agagites, jam Bugaeus [g]), jam Macedo [h]). Habemus igitur Amanum secundum Hebraeos constanter Agagitem, secundum LXX. Bugaeum et Macedonem, secundum vulgatam Agagitem, Bugaeum, Macedonem, et est volupe videre inanem nisum Lyrani, Estii, Menochii, Tirini, aliorumque, dum exsolvere molestum hunc nodum satagunt. Praestabat, Gordios hos nexus Pellaei juvenis gladio explicare, et profiteri palam, non audiendos hoc loco aut LXX., aut Hieronymum, tanto intervallo ab oraculo Hebraico aberrantes. Ad Panelium ut revertar, donec gravioribus argumentis Macedonas suos Asiaticos statuat, permissum mihi putabo, his neglectis in simplice meo, quem proposui, explicatu acquiescere.

Ceterum non semper facile definire, utrum additum populi externi nomen

---

a) Num. cistoph. p. 85. seq. iterum in Remarq. sur les prem. vers. de Maccab. b) cap. XVI. 10. c) v. 14. d) cap. III. 1. et IX. 24. e) c. III. 1. et c. IX. 10. f) c. IX. 24. g) c. XII. 6. h) c. XVI. 10.

Digitized by Google

conditores notet, an hunc ipsum populum veteri urbi adjectum. Docimenses Phrygiae per Docimum Macedonem eumque conditorem fuisse origine Macedones diximus, at certum etiam esse, Nicaeensibus propterea additum fuisse vocabulum ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ, quod cum Cilbianis cohabitarunt, apparet ex altera in eorum numis formula: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. In compluribus lucem dabunt, quae in singulorum numorum explicatu commemoro, quorum hic syllabum habes.

Achaei, memorati in numis *Eumenensium* Phrygiae, ΕΤΜΕΝΕΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ., sive hi ab Achaeis genus duxere, sive cum Achaeis permixti.

Campani, a quibus profecti *Entellini* Siciliae, ΕΝΤΕΛΛΑΣ. ΚΑΜΠΑΝΩΝ.

Dores, a quibus oriundi *Mesembriani* Thraciae, ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. ΔΩ. — In numis *Synnadae* Phrygiae: ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ. ΔΩΡΙΕΩΝ., in aliis: ΙΩΝΩΝ., in aliis conjunctim ΔΩΡΙΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ. ex quo mixtos Synnadae incolas intelligas.

Himerenses Siciliae, a quibus ortos se profitentur Thermitani Siciliae, ΘΕΡΜΙΤΩΝ. ΙΜΕΡΑΙΩΝ.

Iones, a quibus deducti *Perinthii* Thraciae: ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ., vel: ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΙΩΝΩΝ. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. nempe: Herculem. Iones *Synnadenses* mox vidimus.

Macedones, sunt in numis *Blaudi* Lydiae: ΒΛΑΥΝΔΕΩΝ. ΜΑΚΕ. — *Docimei* Phrygiae: ΔΟΚΙΜΕΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. — *Hyrcani* Lydiae, ΥΡΚΑΝΩΝ. ΜΑΚΕΔ. — *Peltae* Phrygiae: ΠΕΛΤΗΝΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ.

Mysi, sic vocantur in numis Abbaeti incerti situs, ΜΥΣΩΝ. ΑΒΒΑΙΤΩΝ.

Nicaeenses, *Pergameni*, singuli vel conjuncti memorati in numis *Cilbianorum* Lydiae: ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. vel: ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. vel: ΝΙΚΑΕΩΝ. ΠΕΡΓΑΜ. ΚΙΛΒΙΑΝ.

CAPVT XIII.

DE VRBIBVS IMPERATORVM NOMINA SIBI ADDENTIBVS.

Ex ipso hoc titulo apparet, non agi hic de urbibus, quae objecto vetere nomine novum ab imperatore captum usurpavere, quales fuere Soli, deinde Pompejopolis, Mazaca deinde Caesarea, ut et Diocaesarea, Hierocaesarea, Neocaesarea, aliaeque, sed quae qualicunque suo nomini, quo tum praeditae

Digitized by Google

fuerunt, unum plurave imperatorum nomina adjecerunt, ut *Hadriana* Amasia, vel *Hadriana, Severiana, Antoniniana* Amasia.

De adscitis his nominibus locus classicus est apud Dionem Cassium [a]). Παφιοις, inquit, σεισμῳ πονησασι και χρηματα ἐχαρισατο, και την πολιν ΑΥΓΟΥΣΤΑΝ καλειν κατα δογμα ἐπετρεψε. *Paphiis terrae motu adflictis pecunias largitus est, et urbem AVGVSTAM vocari ex S. C. permisit*, nempe Augustus; et paullo infra; ἀλλ' ὁτι και τας ἐπωνυμιας τοις πολεσιν ἡ γερουσια ἐνεμερει τιμης ἑνεμε, και οὐχ ὡσπερ νυν, αὐτοι ἑαυτοις ἑκαστοι καταλογους ὀνοματων, ὡς ἀν ἐθελησωσιν, ὡς πληθει τιθενται. *Sed quod cognomina etiam urbibus honoris causa senatus imposuit, aliter ac modo fit, cum plerumque singulae seriem sibi, quam voluerint, nominum imponunt.* Docet insigne hoc testimonium, primo, nequaquam initio permissum arbitrio urbium, ut quibus vellent, imperatorum nominibus uterentur, sed senatus decreto opus fuisse, quorsum pertinet et illud Taciti [b]): *At in Italia vetus oppidum Puteoli jus coloniae, et cognomentum a Nerone adipiscuntur*, deinde, id genus nomina pro urbium libidine adoptata. Innuit Dio, qui historiam suam imperante Alexandro Severo scripserat, ineptum aetatis suae morem ab ipsis etiam numis comprobatum, qua maxime cumulati hi tituli, atque ut vere idem loquitur, καταλογοι ὀνοματων valuere.

Causa adpetendi haec nomina fuit duplex, vera una, altera ficta. Vera fuit, cum urbs quaepiam grati animi causa, quod insignia ab imperatore beneficia abstulit, ejus nomine gloriari concupivit. Ficta fuit, cum urbs adulandi tantum studio, et aucupandae gratiae imperantis sibi nomen adscivit. Ad utram pertinuerint singula nomina, non raro potest colligi. Nam si aevum tulere, quemadmodum Laodicenses Syriae se usque in Severi tempora dixerunt Iulienses, Amasenses Ponti se Hadrianos sub ipsum adhuc Alexandri Severi imperium, dubium non est, serio fuisse usurpata. At si continuo abjecta fuerunt imperatore vita functo, quod factum ab iis, qui v. g. Commodi et Macrini nominibus usi sunt, suapte patuit adulatio, quemadmodum teste Eustathio [c]) Byzantii se dixerunt Antoninianos, sc. in honorem Caracallae, verum, ut addit, donec vixere Severus et Caracalla.

Frequenter in uno eodemque numo plurium imperantium collecta nomina videas. Sic Tarsus in numo Alexandri Sev. dicitur ΑΔΡΙΑΝΗ. CЄΤΗΡΙΑΝΗ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΙΑΝΗ. In Ciliciae maxime urbibus haec adsentandi libido viguit.

Rarius in numis adscita exterorum principum nomina leguntur. Ejus forte unicum exemplum praebet Gaba Trachonitidos, quae se *Philippensem* a Philippo tetrarcha dixit.

Catalogus urbium cum adscitis imperatorum nominibus.

A POMPEIO M. Gadara Decapoleos.

a) L. LIV. §. 24. b) Ann. XIV. 27. c) ad Dionys. Perieg. v. 805.

Digitized by Google

A IVLIO. Acci. Hisp. Tar.
Ancyra Phrygiae.
Babba Mauretaniae.
Berytus Phoeniciae.
Calagurris Hisp. Tarr.
Carthago Nova. Hisp. Tarr.
Celsa Hisp. Tarr.
Corinthus Achaiae.
Gordus Lydiae.
Ilercavonia Hisp. Tarr.
Ilici Hisp. Tarr.
Laodicea ad mare Syriae.
Leptis Syrticae.
Parium Mysiae.
Pax Iulia Lusitaniae.
Philippi Macedoniae.
Sinope Paphlagoniae.
Traducta Baeticae.
Vienna Galliae Narb.
Vtica Zeugitanae.

AB AVGVSTO.
Abila Decapolis. CЄBACTΩN.
Alexandria Troas, AVG.
Amastris Paphlagoniae. CЄBACTH.
Apamea Bithyniae. IVL. AVG.
Asturica Hispaniae Tarrac. forte, AVGVSTA.
Berytus Phoenices, IVL. AVG.
Bilbilis Hisp. Tarr. AVGVSTA.
Caesarea Panias Ituraeae, CЄBACTH.
Cassandrea Macedoniae. IVL. AVG.
Comana, incertum cujus regionis. Vide Comana Ponti. IVL. AVG.
Cremna Pisidiae. IVL. AVG.
Dertosa Hisp. Tarr. IVL. AVG.
Dium Macedoniae, IVL. AVG.
Emerita Lusitaniae. AVGVSTA.
Germe Galatiae, AVG.
Heliopolis Coelesyriae. IVL. AVG.
Heraclea Bithyniae forte. CЄBACT.
Ilici Hisp. Tarr. A.
Ocea Syrticae. AVG.
Parlais Lycaoniae. IVL. AVG.
Patrae Achaiae. A.
Pergamus Mysiae. CЄBACTΩN.
Philippi Macedoniae. AVG. IVL.
Sillyum Pamphiliae, CЄB.
Sinope Paphlagoniae. I. AV.
Thessali, ΣЄBAΣTHΩN.
Trajanopolis Thraciae. ATΓOTCTHC.

A CAESARE.
Antiochia Pisidiae. CAESARIA.
Bagae Lydiae. KAICAPЄΩN.
Cibyra Phrygiae. KAICAPЄΩN.
Cyme Aeolidis. KAICAPЄΩN.
Ilici Hisp Tarr. C.
Sinope Paphlagoniae. *Iulia Caesarea.*
Tralles Lydiae. KAICAPЄΩN.

Non satis semper liquet, ad quem pertineant nomina *Iuliae*, *Augustae*, *Caesareae*, nam Iulius idem qui Caesar, Augustus in gentem Iuliam adoptatus et Iulius, et Caesar. Quare et Carthaginem Novam, et Ilici jam Iuliam, jam Caesaream diei in numis videmus, cum vellent unum Iulium Caesarem intelligi. Nonnullae coloniae sese dicunt Iulias, etsi satis probabile, quin saepe certum sit, deductas ab Augusto. Sic legimus apud Plinium a): *colonia Augusti Iulia Constantia Zilis*, et mox infra: *Augusti colonia Babba*, *Iulia Campestris appellata*, utraque ergo Iulia, etsi ab Augusto deducta. Exem-

a) L. V. c. 1.

Digitized by Google

pla similia vide in numis Iuliae Traductae Baeticae, et Iuliae Beryti Phoenices.

Quare vereor, ut satis tuto uteri possit legibus a cl. Menardo dictatis ad distinguendos coloniarum auctores in numis, qui vel simpliciter IVL., vel IVL. AVG. inscribuntur a). Latius adhuc patent nomina Augustae et Caesareae, quia Augusti et Caesares fuere omnes, qui Auguste successere; unde non raro inter ipsos veteres orta dissidia, v. g. utrum Mazaca Cappadociae ab Augusto, an Tiberio Caesareae nomen acceperit. Ceterum existimo, ambiguum istud in primis tantum his imperantibus obtinere, nam series, si qua urbs dicta fuit Augusta, additum etiam fuit ejus Augusti nomen proprium, ut *Augusta Trajana* Thraciae. Quare non continuo probo conjecturam Vaillantii, qui Germen Galatiae dictam *Augustam* a Commodo opinatur. Verius enim tum, ut reor, dicta fuisset *Augusta Commodiana*, cujus exempla alia in sequentibus occurrent.

A CLAVDIO.

Gaba Trachonitidos, ΚΛΑΤΔιος ΦΙΛΙΠπου, nempe a Claudio Aug. et Philippo tetrarcha.

Iconium Lycaoniae, ΚΛΑΤΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ.

Leucas Coelesyriae. ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΚΛΑΤΔΙΑΙΩΝ.

Ptolemais Galilaeae. CLAV. PTOL.

Seleucia Pisidiae: ΚΛΑΤΔΙΟΣΕΛΕΥΚΕΩΝ.

Tiberias Galilaeae: ΚΛΑΤΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. aut similiter.

A NERONE.

Patrae Achaiae, NEP.

A GALBA.

Clunia Hispaniae, SVLPICIA.

A FLAVIIS.

Caesarea Samariae, FL. AVG.

Chalcis Syriae, ΦΛ.

Corinthus Achaiae, FLAVIA. AVG.

Cretia, ΦΛΑΟΤΙΟΠΟΛΙC.

Cyrene, ΦΛΑΥ.

Deultum Thraciae, FL.

Neapolis Samariae, ΦΛΑΟΥ.

Philadelphia Lydiae, ΦΛΑΟΥ.

Samosata Commagenes, ΦΛ.

A TRAIANO.

Anchialus Thraciae, ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ.

Bostra Arabiae, TPAIANHC. vel in Latinis, TRA.

Epiphanea Ciliciae, TPAIANOΠΟ.

Mytilene Lesbi, ΟΥΛΠΙΑC.

Nicopolis Thraciae, ΟΥΛΠ.

Pautalia Thraciae, ΟΥΛΠΙΑC.

Serdica Thraciae, ΟΥΛΠΙΑC.

Topirus Thraciae, ΟΥΛΠΙΑC.

AB HADRIANO.

Adana Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.

Aegae Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.

Amasia Ponti, ΑΔΡ.

Bithynium Bithyniae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.

Capitolina, olim Hierosolyma, AEL. vel AIΛ.

a) B. L. Hist. T. XXIX. p. 229.

Digitized by Google

Cius Bithyniae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Coela Chersonnesi Thrac. ΑΕL.
Diocaesarea Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Iconium Lycaoniae, ΑΕL.
Mopsus Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Neocaesarea Ponti, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Parium Mysiae, HA*driana*.
Petra Arabiae, ΑΔΡΙΑΝΗ.
Philomelium Phrygiae, ΑΔΡΙΑΝΩΝ.
Smyrna Ioniae, ΑΔΡΙΑΝΗ.
Stratonicea Cariae, ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.
Tarsus Ciliciae, ΑΔΡΙΑΝΗ.

Narrat Spartianus, Hadrianum multas civitates de nomine suo appellasse. Vide, quae diximus in Stratonicea Cariae.

AB ANTONINO PIO.
Ephesus Ioniae, ΠΕΙΩΝ.

A M. AVRELIO.
Carrhae Mesopotamiae, ΑΤΡ.
Singara Mesopotamiae, ΑΤΡ.

A COMMODO.
Aegae Ciliciae, ΚΟΜΟΔΙΑΝΩΝ.
Aelia Capitolina Iudaeae, COMM.
Roma, *Lucia*, AN*toniniana* COM*modiana*, in numis Romanis Commodi.
Tarsus Ciliciae, ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ.

A SEVERO.
Adana Ciliciae, CЄT.
Aegae Ciliciae, CЄΘΗΡΙΑΝΩΝ.
Amasia Ponti, CЄT.
Diospolis Samaritidos, Λ. CЄΠ. CЄT.
Eleutheropolis Iudaeae, Λ. CЄΠ. CЄ.
Laodicea Syriae, SEPT.
Mytilene Lesbi, CЄOT.
Nisibi Mesopotamiae, CЄΠ. vel Λ. CЄΠ.
Rhesaena Mesopotamiae, CЄΠ.
Sebaste Samaritidos, L. SEP.
Singara Mesopotamiae, CЄΠ.
Tarsus Ciliciae, CЄΘΗΡΙΑΝΗ.
Tavium Galatiae, CЄ.
Tyrus Phoeniciae, SEPT.

A CARACALLA.
Adana Ciliciae, ΑΝΤΩΝЄΙΝΟΤΠΟ.
Aegae Ciliciae, ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑΝ.
Alexandria Troae, AVR. ANTONINIANA.
Amasia Ponti, ANT.
Ancyra Galatiae, ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑΝΗC.
Caesarea Samaritidos, ANT.
Carrhae Mesopot. ANTONINIANA.
Coela Chersonn. Thrac. ANT.
Cyzicus Mysiae, ΑΤΡ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑΝΩΝ.
Edessa Mesop. MAR. AVR. vel AV. AN.
Esbus Arabiae, ΑΤΡ.
Laodicea Syriae, AVR.
Neapolis Samaritidos, ΑΤΡ.
Tarsus Ciliciae, ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑΝΗ, ΑΝΤΩΝЄΙΝΟΤΠΟΛΙ.
Tyana Cappadociae, ANT.

A MACRINO.
Aegae Ciliciae, ΜΑΚΡЄΙΝΟΤΠ.
Edessa Mesop. O. M.
Tarsus Ciliciae, ΜΑΚΡЄΙΝΙΑΝΗ.

AB ELAGABALO.
Sidon Phoeniciae, AVR. PIA.

Digitized by Google

AB ALEXANDRO SEV.

Aegae Ciliciae, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤΠΟΛΙC.

Amasia Ponti, ΑΛΕΞ.

Bostra Arabiae, ALEXANDRIANAE.

Carrhae Mesopotamiae, ALEX.

Tarsus Ciliciae, ΑΛϵΞΑΝΔΡΙΑΝ. vel ΑΛϵΞΑΝΔΡΟΤ.

A PHILIPPO.

Nisibi Mesop. IO. IOT. IOTΛ.

AB AEMILIANO.

Damascus Coelesyriae: AEMILIA.

A CONSTANTINO M.

Daphne castrum ad Danubium. CONSTANTINIANA. DAFNE. Vide numos Constantini M.

CAPVT XIV.

DE RELIQVIS VRBIVM EPITHETIS.

Restant nonnulli tituli, quos urbes sibi sola libidine, nulla auctoritate publica, plerumque aemulationis impulsu adscivere. Habes hic, lector, solum ejusmodi epithetorum catalogum; nam quae de his singillatim observari possunt, peregimus in numis singularum urbium. Augeri hic catalogus late posset additis titulis *Felix*, *Laus Iulia*, *Paccnsis etc.* verum cum haec epitheta sint alterius generis, et a coloniis tantum usurpata, opportunius in tractatu de numis coloniarum persequemur.

* * *

ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *Fratrum populorum.* Numos sic inscriptos vide in prolegomenis ad numos Seleucidos et Pieriae.

ΑΔϵΛΦΑΙ. ΠΛΩΤϵΙΝΟΠΟΛΙC. ΔΟΜΗΝΟΠΟΛΙC. *Sorores Plotinopolis et Domenopolis.* V. numos Plotinopolis Thraciae.

ΑΡΙCΤΟΙ. V. infra in ΜϵΓΙCΤΟΙ.

Γ. quae littera solitarie posita videtur indicare Γνωϵιμος, *illustris*, in numis Abilae et Gadarorum Decapoleos urbium.

ΕΒΔΟΜΗ. ΤΗC. ΑCΙΑC. *Septima Asiae*, Magnesia Ioniae.

ϵΝΔΟΞΟC. *illustris*, Anazarbus Ciliciae, et Side Pamphyliae.

ϵΝΔΟΞΟΤϵΡΑ., *magis illustris*, Syedra Ciliciae.

ΕΝΤΙΜος, *honorabilis*, Lalassensium Isauriae.

Digitized by Google

ΕΠΙΣΗΜΟΣ, *insignis*, Neapolis Samariae.

ΕΣΤΙΑ. ΘΕΩΝ. *domus deorum*, Germanicopolis Paphlagoniae.

ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. *pulchritudine et magnitudine* sc. spectabilis, Smyrna Ioniae.

ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ, *splendidissima*, Side Pamphyliae.

ΜΕΓΙΣΤΟΙ. ΑΡΙΣΤΟΙ, *maximi, optimi* Nicaeenses Bithyniae.

ΣΕΜΝΗ, *venerabilis*, Syedra Ciliciae.

ΦΙΛΟΡΩΜαιοι, *amantes Romanorum*, Carrheni Mesopotamiae.

CAPVT XV.

DE CONCORDIA, OMONOIA.

Concordia jam a vetustissimis Graecis summo loco habita, et in deorum concilium relata fuit, quod usu edocti fuere, nihil sine ejus praesidio firmum solidumque, maximas vires suapte dilabi et procumbere, nullumque majus inceptum, ad quod perficiendum plurium socianda opera, e voto cedere. De Argonautis, quibus ad arduum suum propositum nihil hujus deae numine prius potiusque fuit, sic Apollonius Rhodius a):

Αὐταρ ἐπειδη τοκγε χορειγ μελψαν ἀοιδῃ,
Λοιβαις ἐναγεσσιν ἐπωμοσαν, ἠ μεν ἀρηξειν
Ἀλληλοις ἐις ἀιεν ΟΜΟΦΡΟΣΥΝΗΣΙ ΝΟΟΙΟ
Ἀπτομενοι Συεων, και τ' ἐισετι νυκγε τετυκται
Κειο' ΟΜΟΝΟΙΗΣ ἱερον ἐυφρονος, ὁῤῥ' ἐκαμοντο
Αὐτοι, κυδιςην τοτε δαιμονα πορσαινοντες.

At postquam illum (Apollinem) *laeto celebrarunt cantu,*
Inter libationes sacras jurarunt, collaturos operam
Mutuam in perpetuum CONCORDI ANIMO
Tangentes sacra, et adhuc nunc exstat
Ibi CONCORDIAE templum propitiae, quod struxerunt
Illi, inclytam tum deam observantes.

Neque adeo mirum, constitutam a ma-

a) Argon. L. II. v. 716.

Digitized by Google

joribus beneficae hujus deae religionem ad posteros durasse. Graecorum exemplo, aut suomet ingenio Romani praeter alia bona, quae felicitatem humanam constituunt, Concordiam quoque coelo intulere, ejus testibus tot in ipsa urbe aris ac templis huic deae erectis consecratisque, quin et signatis varii argumenti numis ejus effigiem et epigraphen praeferentibus, ut: *Concordia Augustorum*, *militum*, *legionum etc.*

OMONOIA, *Concordia*, in numis Graecis (de his enim tantum nunc sermo) varias habet significationes; nam I. sumitur generatim, II. notat concordiam inter Augustos, III. civitatum exterarum cum Romanis, IV. civitatum secum ipsis, V. civitatis unius cum alia, vel aliis. Atque hoc ordine dabimus numos, qui dictas significationes testantur.

I. Concordia generatim sumpta.

OMONOIA. *Concordia sedens d. spicas*, *vel eadem sedens d. pateram*, in numis Alexandrinis Titi et Aelii Caesaris. (Mus. Caes.) In alio: OMONOIA juncta cum ЄIPHNH, *Pax*, item Alexandrino Trajani. (Mus. Caes.)

Nimirum in his generatim sumitur Concordia, dissimulato, quorsum ea tendat, proposita tantum instar numinis societati humanae salutaris, ut saepe in Latinis etiam CONCORDIA nude ponitur. Nexum cum certo quodam argumento dabunt numi sequentes.

II. Concordia inter Augustos.

OMONOIA. CЄBACTΩN. *M. Aurelius, et L. Verus dexteras jungunt*, in numis Nicomediae Bithyniae, tum Anazarbi, Pompejopolis, Tarsi Ciliciae urbium. Numos suis locis plenius descriptos vide.

Captus horum numorum modus ex numis Latinis Aurelii et Veri. Duobus nempe Augustis tum primum una imperantibus optanda fuerat inter utrumque concordia, nisi suapte exstitisset. Ad idem argumentum pertinent memorati saepe in numis ludi ΦIΛAΔЄΛΦIA, instituti ab urbibus Graecis ad impetrandam a diis concordiam dissidentium fratrum et una orbis principum Caracallae et Getae.

III. Concordia civitatum exterarum cum Romanis.

OMONOIA. *Caput muliebre laur.* Ϫ ΘЄΣΣAΛΩN. PΩM. *Equus currens.* AE. III. (Pellerin.)

OMONOIA. TIBЄPIC. L. Z. *Tiberinus stans dexteram jungit cum adstante Nilo.* In numo Alexandrino Ant. Pii. (Mus. Caes.)

OMONOIA. *Gordianus togatus stans dexteram jungit cum adstante genio muliebri Marcianopolis Moesiae.* (Mus. Caes.)

PΩMAIΩN. CAΓAΛACCAIΩN. etc. *Duae dexterae junctae.* Sagalassi Pisidiae. Numus est Valeriani, et plene describitur loco suo.

In numis his civitates exterae sincerum suum et cum Romanis rerum dominis conspirantem animum testantur, etsi in nonnullis numis similibus civitates, si liberae et foederatae fuerunt, nomine ὁμονοιας intelligere poterant foedus quoddam cum Romanis initum,

Digitized by Google

sed juris sane admodum iniqui, de quo egi capite III. de urbibus autonomis et liberis, nimirum ut libertatis suae foederisque saltem titulum jactarent, cum utriusque nihil fere aliud relictum esset. Iunctio dexterae certissimum est ὁμονοιας symbolum jam aliunde cognitum, atque his rursum numis comprobatum. In numo II Tiberis Romanorum, Nilus Aegyptiorum vicem eleganter supplent.

IV. Concordia civitatum secum ipsis.

OMONOIA. NIKAIEΩN. *Mulier stans d. pateram, s. cornucopiae, pro pedibus ara.* In numo L. Veri. (Mus. Medic.)

NEIKOMHΔEIA. BOTAH. ΔHMOC. OMONOIA. *Figura senilis dexteram porrigit mulieri turritae.* In numo M. Aurelii. (Vaillant.)

Praeclare Dio Chrysostomus Ομονοιαν vocat πραγμα ἐκ ἀιδες ὁτε ἐν ταις ὁικιαις, ὁτε ἐν ταις συγγενειαις, ὁτε ἐν ταις φιλιαις, ὁτε ἐν ταις πολεσιν, ὁτε ἐν ταις ἐθνεσιν, *rem non injucundam neque in familiis, neque in cognationibus, neque in amicitiis, neque in urbibus, neque in populis* a). Quam graviter saepe urbes motibus intestinis concussae fuerint, post tot praesentia cujusvis animo exempla enarrare superfluum. Quocirca non mirum, urbes populosque, sive quod concordiae beneficio res suae domi florarent, sive quod oppidani finitis turbis in gratiam iterum secum redirent, benevolum istud numen libationibus, et sincera in monumentis publicis laude prosecutos. Ejus benefacti gratia numi quoque praesentes signati, quorum praecipue alter concordiam senatum inter populumque sive constantem, sive restitutam depraedicat.

V. Concordia cum civitate una, vel pluribus.

Hactenus varios Concordiae modos in numis Graecis obvios commemoravimus. Restat modus postremus, praecedentibus multo usitatior, nimirum Concordia, vel foedus cum externa quapiam civitate, vel etiam pluribus constitutum, quem antequam expendimus, more nostro catalogum urbium populorumque hanc concordiam jactantium praemittimus, quin tamen necesse putemus, omnes eas urbes proferre, cum quibus una quaepiam illustrior, ut Pergamus, Ephesus, Nicomedia, concordiam inivit.

* * *

Adramytium Mysiae cum urbibus variis.

Alexandria Aegypti cum Samo insula, et Epheso Ioniae.

Amasia Ponti cum Nicomedia Bithyniae.

Amastris Paphlagoniae cum Amiso Ponti.

Amisus Ponti cum Amastri et Miletо Ioniae.

Ancyra Phrygiae cum Nysa Cariae.

Antiochia Cariae cum Laodicea Phrygiae.

Aphrodisias Cariae cum paucis vicinis.

Apollonia Cariae cum paucis vicinis.

Aradus Phoeniciae cum Laodicea Syriae.

a) Orat. XXXVIII. p. m. 469.

Digitized by Google

Asia Lydiae cum Smyrna.

Assus Mysiae cum Pionia Mysiae.

Athenae Atticae cum Tarento Calabriae et Smyrna Ioniae.

Attalia Pamphyliae cum Side Pamphyliae.

Bagae Lydiae cum Temenothyris Lydiae.

Bilbilis Tarraconensis cum Italica Baeticae.

Buxentum et Syris Lucaniae urbes.

Byzantium Thraciae cum Chalcedone Bithyniae et Nicaea Bithyniae.

Cadi Phrygiae cum Gordo Lydiae.

Ceretape Phrygiae cum Hierapoli Phrygiae.

Chalcedon Bithyniae cum Byzantio Thraciae.

Chius insula cum variis Ioniae urbibus.

Clazomenae Ioniae cum Smyrna Ioniae.

Colophon Ioniae cum Pergamo Mysiae.

Cos insula cum Milete.

Croton Bruttiorum cum vicina Pandosia Bruttiorum, et Velia Lucaniae.

Cumae Campaniae cum vicina Literno.

Cyzicus Mysiae cum variis Asiae minoris urbibus.

Dertosa et Ilercavonia Tarraconensis urbes.

Domenopolis et Plotinopolis Thraciae urbes.

Ephesus Ioniae cum copiosis urbibus.

Erythrae Ioniae cum Chiis insulanis.

Gordus Lydiae cum Cado Phrygiae.

Hadriani Bithyniae cum vicinis urbibus.

Hadrianopolis Thraciae cum Nicopoli Moesiae.

Halicarnassus Cariae cum Ionibus, ex numo dubiae fidei.

Hierapolis Phrygiae cum multis urbibus vicinis.

Hercavonia et Dertosa Tarraconensis urbes.

Iones, vide Halicarnassus.

Irenopolis et Zephyrium Ciliciae urbes.

Italica Baeticae cum Bilbili Tarraconensis.

Iulia et Ancyra Phrygiae urbes, etsi concordia dubia.

Lacedaemon cum Sagalasso et Selge Pisidiae, et Smyrna.

Laodicea Phrygiae cum variis Asiae minoris urbibus.

Laodicea Syriae cum Arado Phoeniciae.

Laus et Posidonia Lucaniae urbes.

Liternum et Cumae Campaniae urbes.

Lycii cum Apollonia Cariae.

Lysias Phrygiae cum Apollonia Cariae.

Miletus Ioniae cum variis urbibus vicinis.

Myra Lyciae cum Side Pamphyliae.

Mytilene Lesbi cum variis Asiae minoris urbibus.

Nicaea Bithyniae cum variis urbibus Asiae minoris.

Nicopolis Moesiae cum Hadrianopoli Thraciae.

Nysa Cariae cum Ancyra Phrygiae.

Pandosia Lucaniae cum Crotone Bruttiorum.

Perga Pamphyliae cum vicina Side et Apollonia Cariae.

Digitized by Google

Pergamus Mysiae cum variis Asiae minoris urbibus.

Perinthus Thraciae cum Epheso et Smyrna Ioniae.

Philadelphia Lydiae cum Smyrna Ioniae.

Pionia Mysiae cum Asso vicina.

Posidonia et Laus Lucaniae urbes.

Roma cum Thessalis et Sagalasso Pisidiae.

Sagalassus Pisidiae cum Roma, et Lacedaemone.

Samus insula cum Alexandria Aegypti.

Sardes Lydiae cum variis provinciae Asiae urbibus.

Selge Pisidiae cum Lacedaemone.

Selinus et Syracusae Siciliae urbes.

Side Pamphyliae cum variis urbibus vicinis.

Siris et Buxentum Lucaniae urbes.

Smyrna cum copiosis Asiae minoris urbibus, etiam dissitis Athenis et Lacedaemone.

Synnada Phrygiae forte cum Hierapoli Phrygiae.

Syracusae et Selinus Siciliae urbes.

Tarentum Calabriae cum Athenis Atticae.

Thessali cum Roma.

Thyatira Lydiae cum Smyrna Ioniae.

Tralles Lydiae cum pluribus Asiae minoris urbibus.

Tripolis Cariae cum Laodicea Phrygiae.

Velia Lucaniae cum Crotone Bruttiorum.

Vlia et Vrso Baeticae urbes.

Zephyrium et Irenopolis Ciliciae urbes.

* * *

Vocabulum OMONOIA vel additur, vel omittitur; sic: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. vel: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. tantum. In numis vetustissimi aevi semper abest, atque in his nomen urbis unius exaratur in una numi pagina, alterius in altera, ut videre est in numis concordiae Buxenti cum Sirie, Crotonis cum Pandosia et Velia, Syracusarum cum Selinunte. Rarissime in numis Graecis imperante Roma signatis dissociata videas urbium nomina. In autonomo quodam, qui concordiam inter Philadelphenses Lydiae, et Smyrnaeos exhibet, in una facie legas: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. in alia: Και ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. Vide numos Philadelphiae. Concordiam etiam notat hic modus: ΔΗΜΟΣ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΔΗΜΟΣ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Duo viri togati et barbati dexteras jungunt.* Vide numos Sardium. Singulare est praefixum ΕΠΙ. in autonomo Cyzici Mysiae: ΕΠΙ. ΟΜΟΝΟΙΑ. ΚΥΖΙΚ. ΣΜΥΡΝΑΙ.

Typi in his concordiae numis variant, at plerumque proponuntur effigies numinum, quae in singulis civitatibus praecipua fuere. Sic in numo Ephesi, qui eloquitur concordiam cum Smyrna et Pergamo, Ephesus suam habet Dianam, Smyrna suam Nemesin, Pergamus Aesculapium; in aliis Laodicea Phrygiae suum Iovem, Tripolis Cariae suam Latonam etc. quin domestica haec numina sic repraesentabant suas civitates, ut nonnunquam neque necesse visum sit, ipsa civitatum nomina adscribere. Ejus exemplum praestat Mytilenes Lesbi numus, in quo scriptum tan-

Digitized by Google

tum: ΟΜΟΝΟΙΑ. ΜΤΤΙΛΗΝΑΙΩΝ, at typus praeter mulierem sedentem, genium scilicet Mytilenes, offert Aesculapium Pergami, Dianam Ephesi, et Nemeses binas Smyrnae, quo placuit indicare concordiam initam cum Pergamo, Epheso, Smyrna, quo quidem instituto docemur praeterea, quae numina singulis civitatibus privatim fuerint propria, sic ut etiam sine scriptura per se civitatem, quorsum pertinuere, elucerentur. In numo Sagalassi Pisidiae vice vocabuli ΟΜΟΝΟΙΑ fingitur typus duarum dexterarum junctarum, qui omni aevo concordiae symbolum est habitus, et sine quo certi non essemus, inscriptione ΡΩΜΑΙΩΝ. CΑΓΑΛΑCCΑΙΩΝ., quae varie posset accipi, revera concordiam Romanos inter et Sagalassenses indicari. Duos viros togatos, qui dexteram jungunt, paullo supra ex Sardianorum numo citavi. Non raro in concordiae numis unicum tantum numen comparet, ut in concordia Ancyrae Phrygiae cum Nysa Cariae, Byzantii cum Chalcedone, Erythrarum Ioniae cum Chio, Samí cum Alexandria, ac praecipue Hierapolis Phrygiae cum variis civitatibus. At tum caute expendendum, an in similibus vere notetur concordia, et additum alterum nomen, quod designare alteram urbem videri possit, non sit potius nomen honorificum inditum, in quo non raro a variis peccatum. Sic Vaillantius in numo Commodi ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ. concordiam inter Diocaesaream et Ceretapen Phrygiae urbes vidit, cum tamen verisimilius το ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ sit honorificum Ceretapes nomen, ut dixi in hujus numis. Eodem modo probavi suis locis, neque in ΙΕΡΟΠ. ΚΑCΤΑΒΑΛΕΩΝ, vel ΙΕΡΟ-ΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΚΟΜΑΝΕΩΝ. latere duas distinctas urbes, sed Castabala Cappadociae dicta praeterea Hierapolin, et Comana Ponti Hierocaesaream. Praetereo exempla alia visae perperam in numis similibus, aut saltem dubiae concordiae. Certissimum concordiae numum faciunt additum ΟΜΟΝΟΙΑ, vel copula ΚΑΙ. utrique urbis gentili interpositum, vel numinum effigies urbibus inscriptis propriae, vel typus junctarum dexterarum, vel quando sic manifeste diversae in numis exarantur civitates, ut nullo pacto nomen unum pro alterius urbis nomine honorifico haberi possit, ut v. g. ΕΦΕCΟC. ΚΤΖΙΚΟC.

Placuit nonnunquam Graecis, solitum concordiae typum copiosius exornare, et amplificare. Exemplum peto ex numo maximae formae cum capite Commodi, qui est in museo Caesareo sed magis integer apud Buonarrotium a). In hoc praeter nomen praetoris legitur: ΚΟΙ-ΝΟΝ. ΟΜΟ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΑΙ. ΕΦΕCΙΩΝ. Typus est: *Vir barbatus pileatus et pallio amictus stans d. signum Aesculapii cum adstante Telesphoro tenet, s. hastam, ex adverso stans vir nudus d. signum Dianae Ephesiae, s. hastam tenet.* Aesculapio indicari Pergamum, et Diana Ephesum, exploratum plane est. At quaeritur, quod nomen impertiendum sit utrique viro domesticum numen praeferenti. Libenter adsentior

a) Osserv. istor. p. 124.

Digitized by Google

Buonarrotio affirmanti, virum cum Dianae effigie esse Androclum Codri Atheniensium regia filium, qui transmisso cum Ionum parte mari Ephesum condidit. Quod si verum, ex analogiae causa prorsus est verisimile, viro altero cum Aesculapii signo intelligendum Pergami conditorem, quem fuisse Pergamum Pyrrhi Neoptolemi filium, et a Pergamenis in moneta publica pro conditore agnitum, in horum numis diximus. Quae sententia haud dubie praeferenda est illi, quam dedit Buonarrotius, qui ex pallio, pileo, baculo, et signo Aesculapii conjicit, Pergamenos ea imagine jactare voluisse illustrem suum civem, et medicum Galenum, et ipsius etiam Commodi, cui dedicatus is est numus, tuendae valetudini praefectum de quo vide plura apud Fabrettum, qui ejus sententiae primus auctor exstitit [a]). Honorificum adeo visum Pergamenis, a quibus hic numus signatus est, non modo praestites utriusque urbis deos, sed et longaevam ejus vetustatem propositis primis conditoribus in monumento publico celebrare.

Plerumque duarum tantum urbium concordia in numis proditur, ut: ЄΦЄCIΩN. KAI. CAΡΔIANΩN. OMONOIA. at habemus etiam tres in numo Domitiani apud Vaillantium: ЄΦЄCIΩN. CMTP. ΠЄΡΓAM. id est: *Ephesum, Smyrnam, Pergamum*, quin et quatuor, Mytilenen, Pergamum, Ephesum, Smyrnam in numo, quem descripsi in moneta Mytilenes Lesbi. Vt concordiam initam plerumque videmus inter urbes vicinas, aut saltem non magnopere distantes, sic et aliquoties remotissimas amicitiae vinculo conjunctas habemus, ut: Athenas cum Tarento et Smyrna, Alexandriam Aegypti cum Epheso et Samo, Lacedaemonem cum Smyrna, tum Selge et Sagalasso Pisidiae urbibus.

Iam in numis remotissimi aevi concordiae reperimus vestigia. Habemus numos, in quibus perscripta nomina Buxenti et Siris Lucaniae urbium, Crotonis et Pandosiae, Lai et Posidoniae, Syracusarum et Selinuntis, et quorum nonnulli, quantum ex fabricae modo colligere licet, quingentis fere ante Christum natum annis cusi videntur. Reliquum fere totum agmen imperatorum aevo debetur, quo tempore civitates Romanis subjectae, cum publica jam non possent, privata inter se foedera junxerant, quo de instituto mox infra agemus.

Quaeritur, cum duarum pluriumve urbium eodem in numo comparent nomina, in utra existimandus sit cusus numus. Ex Vaillantii sententia [b]) signatus est in ea, quae in numo prima exaratur. Verum judice Pellerinio [c]) Vaillantius ipse toties cogitur refigere hanc legem, ut melius actum fuisset, si nunquam eam fixisset. Contra existimat, numi patriam plerumque esse eam, quae secunda nominatur, alterique honoris causa nobiliorem locum datum. Quidquid erit, istud certum, hac in parte certam legem nequaquam observatam, quia utrumque perinde fa-

a) De Col. Traj. p. 211. b) Num. Graec p. 221. seq. c) Mel. II. p. 291.

Digitized by Google

ctum videmus. Sic numus ΑΘΗΝΑΙΩΝ. CMTPNAIΩN. cum capite Commodi apud Vaillantium signatus non est Athenis, quae primae ponuntur, nam Athenis moneta cum imperatorum capite percussa non est, sed Smyrnae, quae secunda ponitur; e converso, numus ЄΦΡЄCIΩN. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΩN. cum capite Macrini apud eundem, signatus est Ephesi, quae prima ponitur, non Alexandriae Aegypti, nam hujus moneta sub imperatoribus vulgata multo alia est forma. Ad patriam numi dignoscendam serviunt adhuc criteria alia, v. g. numus Commodi apud Vaillantium: CTPατηγω AI. HPAKΛЄIΔOT. ΛΑΚЄΔΑΙμονιων OMOνοια CMTPναιων, a Lacedaemoniis signatus non est. Habuerintne hi magistratum strategum, ex numis sane non constat; at constat istud de Smyrnaeis, et quidem ex copiosis aliis numis, M. Aurelio et Commodo imperantibus fuisse Smyrnae strategum Aelium Heraclidem in praesente queque numo memoratum, ergo numus hic sine dubio Smyrnae malleum est expertus. Verum in haec curiosius inquirere exiguum adfert operae pretium.

* * *

Peractis variis similium numorum modis, jam etiam, quis fuerit hujus Ομονοιας finis et scopus, indigandum. Vrbes Graecae suae adhuc libertati relictae, ut suapte ingenio pronae erant ad dissensiones et bella, sic etiam nequaquam difficiles ad pacem, et renovanda foedera. Vtriusque exempla, quia passim ex historicis cognita sunt, cumulare necesse non est. Romano postea populo subjectae, pro innata sibi levitate, ac vetere instituto, jam ardere inimicitiis mutuis, jam iterum pacis audire consilia consuevere. Sed olim et nunc dispar utriusque ratio. Nam ut olim inimicitiae vim et arma spectabant, foedera autem contrahebantur ad propulsandum hostem, legendos milites et pecuniam, tutandos fines, et commercia, et quae alia sunt id genus gravia ac seria, sic nunc dissensiones propter causas levissimas ortae in dicteriis et contumeliis stetere prohibentibus vim apertam Romanis, et concordia, amicitia, foedera in communione sacrorum, et ludorum, conventibus, aliisque levibus sive collatis sive repensis officiis et honoribus. Vtriusque argumenti in numis habemus exempla; neque enim credibile, concordiam, quam reperimus consignatam in numis vetustissimi commatis supra citatis, initamque eo tempore, quo civitates sui plane juris fuere, non fuisse ex causa gravi, et utrique reipublicae copiose proficua constitutam, qualis esse poterat, ut moneta utriusque civitatis nomine signata aequo jure in utraque valeret, quod sancitum fuit Smyrnam inter et Magnesiam teste marmore, quod est inter Oxoniensia II. versu 55. vel singulare beneficium, ut cum Syracusani ab Antandriis civitate donati sunt, quod hi illorum ope muri partem absolverunt, ut legimus apud Xenophontem a), vel quod civitas quaedam foedere se obligavit, si quis alteri bellum intulerit, fore ut totis viribus opem ferat, quod Tejis Ioniae spopondere Arcades Cre-

a) Hist. Graec. L. I. p. m. 431.

Digitized by Google

tae [a]), vel communi consilio Lyciae urbes teste Strabone [b]), adde communia jura hospitii et connubii, qualia non inter privatos solum, sed totas civitates intercessere, de quibus lege disserentem Spanhemium [c]). Alia luculenta exempla dabit foedus Smyrnaeorum et Magnetum citati mox marmoris Oxoniensis. Ad concordiam urbium Romanis denique inservientium quod attinet, facile consenserim, ea nonnunquam indicari, praecipue cum vicinae fuerunt, post sopitas inimicitias in gratiam reditum. Verum haec causa ad urbes valde remotas valere non potest. Quid enim Ephesii et Alexandrini Aegypti dissentirent? Certior finis haud dubie fuere communia sacra; festa, ludi; quod quidem eo elucet, quod in numis hujus classis, ut supra vidimus, plerumque domestica urbium numina proponuntur. Et vero exterorum numinum cultum a civitatibus avide expetitum receptumque, a numis ipsis liberaliter docemur. Etenim videmus, urbes etiam longe remotas jactare in moneta sua Dianam Ephesiam, urbes Cariae et Phrygiae Iovem Laodicenum, Aegas Ciliciae Herculem Tyrium cum petris ambrosiis, qui typus ad unam Tyrum spectat; Sardes Lydiae tanto ab se distantem Venerem Paphiam et Herculem Tyrium, eodem nempe modo, quo urbes non paucae ludos Olympia, Pythia, Actia a se certe alienos intra fines suos recepere. In explicatione vocabuli COMMVNE dicetur, hac aetate inter KOINON, et OMONOIA magnam fuisse affinitatem.

* * *

Concordiae etiam speciem praebent

I. urbes et populi, qui se in numis ἀδελφοις, ἀδελφαις, *fratres*, *sorores* dixere, ut: ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ, *fratrum populorum*, quo nomine intelliguntur quatuor Syriae urbes Antiochia, Laodicea, Apamea, Seleucia, aedificatae omnes a Seleuco I. communi adeo parente. Item ΠΛΩΤΙΝΟΠΟΛΙC. ΔΟΜΗΝΟΠΟΛΙC. ΑΔΕΛΦΑΙ. *Plotinopolis Domenopolis sorores*. De numis similibus vide, quae dixi in prolegomenis ad numos Seleucidis et Pieriae. Huc pertinet, quod ad Nicomedenses declamat Dio Chrysostomus oratione XXXVIII., qua eos ad concordiam hortatur: Οφελον ἐξην, ait, και τον Εφεσιων δημον ποιησασθαι ἀδελφον ὑμων, ὀφελον και τα Σμυρναιων οἰκηματα κοινα ὑμιν ἐγενετο, *utinam liceret et Ephesiorum populum efficere fratrem vestrum, utinam et Smyrnaeorum domus communes vobiscum essent.*

II. Concordia rationis monetariae in numis, qui diversarum urbium nomina inscripta exhibent. Non hic intelligo variarum urbium numos, quorum typi casu conspirant. Neque enim mirum, si quae urbes impensius Palladem vel Apollinem veneratae sunt, in earum numis comparere hinc caput Palladis, inde noctuam, vel hinc caput Apollinis, inde lyram vel tripodem. At possunt jure advertere animum nu-

a) Chishul pag. 118. b) L. XIV. p. m. 980. c) T. II. p. 618.

Digitized by Google

proferre neglectis vilioribus passim per universum opus obviis.

* * *

Aegae. *Aegos potamus*, urbes a *capra*, ἀπο της αἰγος, nomen sortitae, hanc amabant numis insculpere.

Alopeconnesus, id est: *vulpis insula*, oppidum Chersonesi Thraciae, vulpeculam offert.

Ancona urbs agri Piceni manum cum *cubito* exhibet, nam ἀγκων Graecis *cubitus*.

Apamea Phrygiae arcam proponit adludendo ad vetus urbis nomen Κιβωτος, quod Graecis *arca*.

Arpi Apuliae equum pascunt adludendo ad vetus urbis nomen Αργος Ἱππιον, *Argos equestre*.

Cardia Chersonesi Thraciae; καρδια Graecis *cor*, unde illud in numis.

Clides insulae parvae propter Cyprum ex nomine suo *clavim* signavere, ἀπο της κλειδος.

Leontini Siciliae leonis rictum.

Melos insula, Cycladum una, sic dicta ἀπο τυ μηλυ, Dorice μιλυ, *malo*, malum Punicum.

Panticapaeum Chersonesi Tauricae, caput *Panos*, cujus nomen in urbis hujus vocabulo continetur.

Populonium Etruriae urbs, Etruscis dicta *Pupluna*, faciem lunae plenam in numis sistit.

Rhodus insula rosam ἀπο τυ ῥοδυ.

Selinus Siciliae folium apii ἀπο τυ σελινυ.

Side Pamphyliae malum Punicum ἀπο της σιδης.

Ursо Baeticae ursum.

CAPVT XVII.

DE HEROIBVS, HEROIDIBVS, CONDITORIBVS, PERSONIS ILLVSTRIBVS.

Heroes, heroides, conditores sic in numis proponuntur, ut etiam haec ipsa honorum vocabula non raro adjiciantur. Praeter hos occurrunt alii, qui neque in heroum numero sunt habiti, neque conditores urbium fuere, quos *personarum illustrium* solemus nomine compellare.

Heroum naturam in hac vetustatis inconstantia, eorum honores sive am-

Digitized by Google

plificando, sive imminuendo, explicare non tento. In eo plerique consensere, fuisse medium quiddam inter deos hominesque. Sane definiente Trophonio, qui heros ipse fuit, credebatur heros ἐξ ἀνθρωπου τι και θεου συνθετον, *compositum quoddam ex homine, et deo* a). Vnde factum, ut idem putaretur heros, et semideus teste praeter alios Servio b), cui heros est *vir fortis, semideus, plus ab homine habens*, laudato etiam Hesiodo c):

Ζευς Κρονιδης ποιησε δικαιοτερον, και ἀρειον
Ανδρων ἡρωων θειον γενος, οι καλεονται
Ημιθεοι.

Iuppiter Saturnius fecit justius, et melius
Virorum heroum divinum genus, qui vocantur
Semidei.

Quapropter et Callisthenes apud Arrianum diversos esse oportere deorum, et heroum honores edixit d). Sic inter utrosque discrevere quoque Spartani, qui teste Isocrate Menelao et Helenae sacrificarunt *non ut heroibus, sed ut diis* e). Fecit autem heroas sive nascendi conditio, sive hominum decretum. Deorum filii, nisi cum et ipsi in Olympum sunt admissi, heroes natura fuere. Vnde Servius ad verba Maronis f): *dis geniti*, addit: *quia corporibus se infundebant potestates supernae, unde heroes procreabantur.* Addi his possunt viri feminaeque ejus aevi, quod *heroicum* appellamus, ab Homero aliisque sive propter generis splendorem, sive generosam indolem cum laude memorati, quorum adeo heroicis honoribus per ipsam antiquitatis causam sequior aetas non invidit. Decreto hominum agniti heroes sive propter rerum gestarum magnitudinem, sive collata in civitates beneficia. In horum numerum relatos ab Atheniensibus Harmodium, et Aristogitonem, communis quippe libertatis vindices, nequaquam mirum. Quin et vivo Dioni ex eadem causa a Syracusanis decretas τιμας ἡρωικας refert Diodorus g). In heroum etiam loco habitos civitatum conditores, continuo dicemus.

At enim eximius hic herois honos olim ex causis veris et idoneis partus, ut pleraque inter Graecos alia coepit vilescere, seu quod ex levi causa, seu plane indignis delatus est. Sic Antinoum Hadriani catamitum sexcenta monumenta heroem appellant. Theodorum nescio quem, heroem praestat marmor apud Reinesium h), tum Diomedem, et Chaerea, nescio quos, marmor Sardianum apud Sponium i), et heroes dicuntur in numis, quos infra recitabimus, Sextus et Iulia Procla, incertum cur, ut taceam reliquum heroum heroidumque vulgus in marmoribus obvium, quorum si quod fuit in cives suos meritum, ejus certe fuerit generis, cui vetere illo, ac multo modestiore aevo honorificus ἐυερ-

a) Lucian. Dial. mort. 3. b) ad Aen. I. 196. c) in Εργ. v. 158. d) de Exped. Alex. L. IV. c. 11. e) Encom. Helenae. f) Aen. VI. 131. g) L. XVI. §. 20. h) Syntag. p. 677. i) Miscell. p. 357.

Digitized by Google

γενεσ *beneficii* titulus rependi est solitus. Neque vero jam ad augendum heroum numerum aut decreto senatus, aut plebiscito opus fuit, sed valuit auctoritas privata. Nam testibus Sponii marmoribus. a) Tychasius patrem, Elpizusa maritum, Carpus uxorem unisiram ἀρωσιξαν, id est: *in heroum numerum retulerunt*. Atqui et herois appellatio passim fastidiri coepit, quia eadem opera nobilius, magnificentiusque *dei* nomen decerni potuit. Sic promiscue Antinous in numis jam heros, jam deus salutatus, Theophanes Mytilenaeus, quod patriae impensius consuluerat, manifestus in numis deus, et si per Tullium stetisset, Caesaris interfectores *non heroes, sed dii futuri* fuerant b). Adde, ararum, templorum, sacerdotum honores cum heroibus fuisse communicatos, et peracta iis sacrificia, exiguo, aut nullo hos inter, deosque discrimine. Neque enim omnes fuerunt animo tam moderato, quam fuit Labeo, cui cum Cymei Aeolidis immensos, et ultra, quam hominem deceret, honores decrevissent, ille, quod erat, mortalem se confessus, et contentus praeclaro populi de se facto judicio, ὑπερβαρεα και θεοισι και τοις ισοθεοισα ἀρμοζοισαν ταξε τω ναω κατειρωσιος, ταξε τω κτισα πρωτονυμασιας τειμαν παρεντησατο, *invidiosum, et diis heroibusque proprium dedicandi templi, et conditoris appellandi honorem est deprecatus*, quod illustre et rarum in homine Graeco modestiae specimen offert marmor ex praestantissimis unum dialecto Aeolica exaratum, et Augusto imperante positum c), magis etiam mirum propterea, quia stante adhuc rep. T. Quinctius Flamininus non detrectavit divinos honores sibi a Chalcidensibus delatos, nimirum sacerdotem, sacrificia, hymnos, quos in Plutarchi usque aetatem durasse, ipse hic auctor est d). Et quis propterea magnopere rideat novicios Graecos, quando jam vetustissimi Spartani Agamemnoni suo summi Iovis vocabulum addidere teste Lycophrone e), ad cujus verba observat Tzetzes: οι Λακεδαιμονιοι ἐδειμαντο Αγαμεμνονος Διος ἱερον εις τιμην του ἡρωος; *Lacedaemonii exstruxerunt Agamemnonis Iovis templum in honorem ejus herois*. Ex quo patet, limites, quibus veteres deorum, geniorum, heroum naturam discrevere, verbis quidem fuisse definitos, reipsa pro cujusque libidine perruptos, et confusos.

Conditores urbium, in numis et hi frequenter laudati, heroas proxime sequuntur. Conditorum honos tributus aut diis, aut heroibus, aut hominibus. A diis conditas fuisse urbes, aequum ante ac civile habeatur, quando et ipsi promiscua cum hominibus libidine numerosam condidere sobolem. Magis mirum, quod sibi conditoris honores mutuis odiis, irisque saepenumero quaesivere. Cui igneta Minervae, et Neptuni pro Athenis studia? At potiora in condendis urbibus merita Apollinis fuere, et Herculis, atque Apollinis quidem, quod nemo ad deducendas colo-

a) Misc. p. 342. b) ad Attic. L. XIV. ep. 11. c) Caylus Rec. T. II. tab. 56. d) in ejus vita. e) in Alex. v. 1124.

Digitized by Google

nias inconsultis ejus oraculis animum appulit, quorsum spectat illud, quod de Apolline praedicat Callimachus a):

- - - Φοιβος γαρ ἀει πολισσι Φιλησι
Κτιζομεναις, ἀυτος δε Θεμειλια Φοιβος ὑφαινει.
- - - *Phoebus enim semper urbibus gaudet*
Condendis, et ipsa fundamenta Phoebus texit.

Quae poetice Callimachus, eadem rhetorice de Apolline Aristides b): ὁς ταις μεν ἀλλαις πολεσιν ἐξηγητης ἐστι, τηδε πολει ταυτη (Κυζικῳ) και ἀρχηγετης, ταις μεν γαρ ἀλλας πολεις δια των ὁικιστων ὡκισεν, ὡς ἀπεστειλεν ἑκαστοθι, ταυτης δε ἐυθυς ἀυτος γεγονεν ὁικιστης. *Qui aliis civitatibus interpres, huic etiam (Cyzico) auctor est; alias enim urbes per conditores quoquoversum missos condidit, hujus ipse protinus fundamenta jecit.* Sed de Apolline urbium conditore videsis alia apud Spanhemium in observatis ad laudatos Callimachi versus. At enim si suggestis opportune consiliis urbium conditor passim dictus est Apollo, non minus celebratus ex hoc merito Hercules, sed admota ipse operi manu, constitutis per omnes terras, quas obiverat, urbibus. Incredibile dictu, quanta fuerit veterum contentio, quo Herculem urbis suae conditorem adsererent, cujus quidem vanitatis argumenta singulis tibi paginis dabunt Strabo, Stephanus, et geographi alii, fidem etiam facientibus numis, quos infra dabimus. Sed et in hujus communionem laudis venere dii alii, etsi parcius, tum et heroes, intuta in his quoque fide, et satis cognita veterum libidine, qua suarum originem urbium a fictis fabulis amabant repetere. Hominum conditorum innumera praebet exemplа historia vera, unde tot Alexandriae, Seleucicae, Laodiceae, Nicopoles etc. Iure igitur ab oppidanis conditores fuere appellati, vocabulo nequaquam otioso, sterilive, quia communes tum cum heroibus honores sunt adepti. Hunc morem praeclare confirmat Diodorus Siculus Sicyoniorum exemplo, qui Demetrio Antigoni eosdem, qui dii haberi solent, honores decreverunt, quod se in libertatem vindicasset, aliaque in se beneficia contulisset. Δημητριαδα μεν γαρ, addit, την πολιν ὠνομασαν, θυσιας δε και πανηγυρεις, ἐτι δ' ἀγωνας ἐψηφισαντο συντελειν ἀυτῳ κατ' ἐνιαυτον, και τας ἀλλας ἀποδειξιν τιμας ΩΣ ΚΤΙΣΤΗΙ, *nam Demetriadem appellaverunt urbem, sacraque et festos conventus, itemque ludos annuos, aliosque honores exhibendos sanxerunt TANQVAM CONDITORI* c). Et constat, similes honores alibi conditoribus habitos, quales infra in Brasida memorabimus. Conditores consecratos plures collegit Spanhemius d). Ab his exemplis docemur, quanto olim adfectu oppidani conditores suos sint prosecuti, quamque id sibi laudi duxerint, seu numini, seu heroi, seu illustri cuipiam viro suae se urbis incunabula

a) In Apollin. v. 56. b) Paneg. Cyzici T. I. p. 237. c) L. XX. §. 102. d) Tom. I. p. 565.

Digitized by Google

debere. Atqui et conditoribus a laeto urbium suarum statu accessit honos. Ait Quinctilianus [a]): *Adferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus*, sed et addit paullo post: *et est conditoribus urbium infamiae, contraxisse aliquam perniciosam ceteris gentem, qualis est primus Iudaicae superstitionis auctor.*

Observandum praeterea, colonias non semper iis conditoris honores decrevisse, qui eas condidere, sed communes saepe cum metropoli conditores veneratas. Sic Callatia Moesiae inferioris, et Priene Ioniae Herculem in numis conditorem jactant. Nimirum Callatia deducta fuit ab Heracleotis Ioniae, quorum conditor Hercules, et Prienen aedificavit Philotas Boeotia profectus, quae Herculem apud se natum praecipuo cultu mactavit. Plures item in eadem civitate conditores fuisse agnitos, numis, aliisque monumentis docemur. Vna Cyzicus jactavit tres, Herculem, et Cyzicum heroem testibus numis et marmoribus, tertium Apollinem ex adducto supra Aristidis testimonio. Nicaea Bithyniae et Bacchum et Herculem in conditoribus suis numerat. Haec quidem fabulosa. At poterat urbs ex vero plures jactare conditores, cum forte alterius beneficio ex ruderibus surrexit, aut insolita accepit incrementa, aucta totis regionibus, ac vicis, aut aliis oppidanis ager in vicinia ad inhabitandum designatus est. Ex causis similibus Smyrna tres habuit Conditores, Pelopem, Theseum, Alexandrum M. [b]), et Athenienses urbe sua ab Hadriano multis accessionibus aucta jure Hadrianum agnovere conditorem, et inscripsere arcus, qui hodieque Athenis visitur, parti uni [c]):

Αι δ' ιδε Αθηναι, Θησεως πρωτοι πολις,
Hae sunt Athenae, Thesei olim urbs,

alteri:

Η δ' Αδριανου, κ' ου δε Θησεως πολις.
Haec vero Hadriani, at non Thesei urbs.

Praeclare etiam Marcellus a Silio Italico Syracusarum conditor dictus esto: *servando condidit urbem* [d]), quando eas captas a militibus diripi non est passus. Quam normam secutus Mamertinus dixit ad Maximianum [e]): *Re vera enim, sacratissime imperator, merito quivis te, tuumque fratrem Romani imperii dixerit conditores; estis enim, quod est proximum, restitutores.* At Amphipolitae Thraciae atrox in constituendo novo conditore exemplum dedere. Illi enim amplissimis a Brasida Spartano beneficiis edfecti nondum omnem ei in acie caeso gratiam rependisse sibi videbantur, si ei ut heroi (ὡς ἡρωι) parentarent constitutis annuis sacris, et omnes deferrent conditoris honores, (ὡς οἰκιστῃ) nisi et Agnonem Atheniensem, hactenus pro conditore agnitum honore dejicerent abolitis omnibus ejus aedibus, et si quod forte ejus monumentum supererat. Haec Thucydides [f]), et Himerius sophista [g]).

a) Inst. L. III. c. 7. b) Aristides Orat. ad Smyrn. T. I. p. 271. c) Gruter p. 1078. 1. d) Punic. XIV. 682. e) Paneg. ad Maximian. c. 1. f) L. V. §. 11. g) Orat. VII. §. 10.

Digitized by Google

Hae, inquam, causae justae videantur. At quis ferat honorificum istud conditoris nomen ob meritum impar, aut unam palpandi causam collatum? Memorat vetus marmor apud Montfauconium a) T. Flavium Gaianum equitem R. κτίστην της μητροπόλεως Αγκυρας, *conditorem metropolis Ancyrae* Galatiae, non majore forte ejus hominis merito, quam quod teste Ammiano fuit inepti cujusdam Lampadii, qui *per omnia civitatis membra, quae diversorum principum exornarunt impensae, nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed CONDITOR* b). Et duravit haec insania in Arcadii usque aetatem, Eutropio eunucho in statuaram titulis dicto Constantinopolis conditore, ut refert Claudianus c),

quod tertius urbis
Conditor, hoc Byzas, Constantinusque videbunt?

Atqui si fallere licuit Graecis in dictandis urbium conditoribus, licuit etiam in adserendo alieno orbis conditore, Lyttiis Cretae Trajanum THC. OIKOTMENHC. KTICTHN., *orbis conditorem* ferentibus d), injuriis hercle in Liviam Augusti conjugem, quae testibus Romulae Hispaniae numis multo jam antea eum ipsum orbem partu enixa fuit. Eodem modo Iustinianus, quod multa per imperium aedificia excitavit, a Procopio dicitur ὁ της οἰκουμενης ὁικιστης, *orbis conditor* e).

Conditoris vocabulum tribus variis modis in numis Graecis proponitur, ἀρχηγετης, sed Dorice APXAΓETAΣ, in numis Tauromenii, et Ennae Siciliae, de qua voce vide, quae in Tauromenio notavi. OIKIΣTAΣ Dorice, in unis Crotonis numis legitur. In reliquis perpetuum KTIΣTHΣ, vel, ut in numo Amaseae Ponti: ЄPMHC. KTICAC. THN. ΠOΛIN., *Mercurius conditor urbis.* In numis Latinis CONDITOR valuit; in rarissimo Corinthi: FVNDATOR; in alio coloniae incertae, eoque valde attrito: DEDVX f).

Reliquos, qui neque heroes fuere neque conditores, sed insignis a philosophia, poesi, aliisque artibus nominis, ut Pythagoras, Anacreon etc.: nomine *personarum illustrium* comprehendimus, ut docebit subjectus catalogus, qui, ut plenior evadat, addam eos, qui habentur in contorniatis, sed quos uberius descriptos in hac numorum classe reperies.

Catalogus

heroum, heroidum, conditorum, personarum illustrium.

Abdera, Diomedis soror, a qua Abderae Thraciae urbi nomen factum. Ejus nomen, et caput male intrusum ex numo Goltziano, qui est obvius Arcadum, ut in horum moneta stabilivimus.

Achilles. AXIΛΛЄTC. *Caput juvenile galeatum.* ℞ NIKOMAXOT. *Equus*

a) Palaeogr. p. 161. b) L. XXVII. c) in Eutrop. Carm. XX. v. 82. d) Gruter. pag. 1084. 11. e) de aedific. L. IV. f) Pellerin Rec. III. tab. CXVI. n. 1.

Digitized by Google

liber gradiens. AE. III. (Hunter tab. 68. 5.) Vrbis nomen, in qua cusus hic numus, ignoratur. Achillem efferunt etiam nonnulli contorniati scripto ACHILLIS.

Aeneas. Fuere, qui Aeneae Trojani caput viderent in numis Aeni Thraciae, sed quod certius est Mercurii, ut dictum in hujus numis. Alium edidit Pellerinius: (Rois tab. XXII.) *Caput juvenile galeatum.* Ɪ AINEAΣ *intra quadratum quadripartitum.* AR. III. Est is perantiquae fabricae. Auctor existimat, Aeneam in hujus numi antica exhiberi. Mihi verius videtur, esse caput Palladis, et το ΑΙΝΕΑΣ esse magistratum urbis ignotae. Aeneae nomen, quod hactenus norim, soli offerunt contorniati, etsi ipse Anchisem gestans in copiosis numis compareat.

Alabandus heros, in numo Alabandae Cariae.

Alcaeus, ΑΛΚΑΙΟC, poeta, et heros, in numo Mytilenes Lesbi.

Alexander M. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟC. ΚΤΙCΤ. in numis Apolloniae Cariae.

Anacreon, ΑΝΑΚΡЄΩΝ, in numo Teii Ioniae.

Anchises, ΑΝΧЄΙCΗC junctus cum uxore ΑΦΡΟΔΙΤΗ, *Venere*, in numo Ilii Troadis.

Antinous heros. Ejus numos vide in parte II. hujus operis post numos Hadriani.

Antisthenes philosophus, cujus nomen indicari putavit Haymius inscripto ΑΝΤΙΣ., quod tamen verius *Antissam* Lesbi urbem notat, ut advertimus in hujus numis.

Apollo ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ, in numis Ennae, Tauromenii, Hierapolis.

Apollonius Tyaneus, ΑΡΟLΟΝΙVS. ΤΥΑΝЄVS, in contorniatis.

Apuleius philosophus, ΑΡVLЄΙVS, in contorniatis.

Aratus philosophus, in numo Pompejopolis Ciliciae.

Arcas Iovis F. ΑΡΚΑΣ, in numo Phenei Arcadiae.

Archelaus Cappadociae rex, in numo habet nomen ΤΟΤ. ΚΤΙΣΤΟΤ, nimirum Sebastes suae. Vide ejus regis numos.

Archytas Tarentinus. Ejus effigies perperam definita ex monogrammate dubio numi aenei, quem descriptum reperies in numis gentis Proculeiae.

Athymbrus, ΑΘΤΜΒΡΟC, quem conditorem in numis suis celebravit Nysa Cariae.

Augustus, ΚΤΙΣΤΗΣ Clazomenarum, Ephesi, Teii Ioniae urbium, item Nicopolis Epiri, quae se in alio suo numo vocat CЄΒΑCΤΟΤ. ΚΤΙCΜΑ, *Augusti opus.*

Bacchus, ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. ΝΙΚΑΙЄΙC, nempe Nicaeenses Bithyniae. Idem et ΚΤΙCΤΗC Tii Bithyniae.

Bellerophon saepe in numis col. Corinthi, Crotonis Bruttiorum, Stratonicae Cariae, cujus et nomen indicari videtur litteris ΒЄΛ, in numo dubio Hierapolis Phrygiae.

Byzas, ΒΤΖΑΣ; conditor Byzantii Thraciae, in hujus numis.

Cephalus, ΚЄΦΑΛΟΣ ab uxore Procride notissimus, in numis Cephallenum.

Chrysippus philosophus, in numo Pompejopolis Ciliciae.

Corcyra, ΚΟΡΚΤΡΑ, a qua Corcyrae nomen datum, in numis Corcyrae insulae.

Digitized by Google

Cyzicus, ΚΤΖΙΚΟC, heros, et conditor Cyzici Mysiae.

Damonax. Voce ΔΑΜΩΝΑΚΤΟΣ numo Cyrenaico inscripta creditum indicari Damonactem pervetustum Batti IV. tutorem. At esse nomen magistratus, dixi in numis Cyrenaicae.

Dardanus Trojanus, ΔΑΡΔΑΝΟC, in numo Ilii Troadis.

Dido, ΔΕΙΔΩΝ, in numo coloniae Tyri.

Docimus, ΔΟΚΙΜΟC, Docimei Phrygiae conditor.

Euclides, ΕΥΚΛΕΙΔΗC. Caput laureatum barbatum, in aversa caput, et epigraphe Hadriani. Numum exhibet Sponius a). Fuit philosophus Megarensis, et mathematicus insignis. Vide Diogenem Laertium. Urbis nomen non additur.

Eurypylus, ΕΥΡΥΠΥΛΟC. ΗΡΩC, in numis Pergami Mysiae.

Gorgias Leontinus rheter, ΓΟΡΓΙΑΣ, in numo Leontinorum Siciliae.

Hadrianus Aug. ΚΤΙCΤΗC Argorum Argolidis. — CONDitor COLoniae AELiae CAPitolinae.

Hannibal Poenus. Ejus caput plerisque eruditis exhiberi visum in argenteis quibusdam Phoenicie inscriptis, sed quam sententiam impugnavi in tractatu de numis Phoeniciis Vol. III. p. 412.

Hector, ΕΚΤΩΡ, in numis Ilii Troadis.

Hercules ΚΤΙCΤΗC Callatiae Moesiae inferioris, Cyzici Mysiae, Nicaeae Bithyniae, Perinthi Thraciae, Prienes Ioniae, Prusiadis ad mare, quae et Cius, Temenothyrarum Lydiae. ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΑΝ, Heracleotarum Bithyniae. ΟΙΚΙΣΤΑΣ, Crotonis Bruttiorum. Hercules etiam ROMae CONDitor dicitur in numis Romanis Commodi Aug.

Hero, ΗΡΩ, juncto etiam Leandro; ΛΕΑΝΔΡΟC. vel: ΛΗΑΝΔΡΟC, in numis Abydi Troadis, et oppositae Sesti Chersonnesi Thraciae. Adde et contorniatos.

Hippocrates, ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ, medicorum post deos eandem artem professos facile princeps. Exstat in numo insulae Co, sed forte suspecto.

Homerus, ΟΜΗΡΟC, in numis Amastrios Paphlagoniae, Chii insulae, Colophonis Ioniae, Ietarum insulae, Nicaeae Bithyniae, Smyrnae Ioniae. Cretam intrusit Haymius b), sed in eo numo pro ΚΡΗΤΩΝ legendum ΙΗΤΩΝ, quem deinde errorem propagatum video in numis Pembrokii. Etiam Teum Ioniae intrusit auctor musei Theupoli; nam et in hoc pro ΤΗΙΩΝ legendum ΙΗΤΩΝ. — ΩΜΗΡΟC. in contorniatis.

Horatius poeta, ΗΟRΑΤΙVS, in contorniatis.

Iulia Procla, ΙΟΥΛΙΑΝ. ΠΡΟΚΛΑΝ. ΗΡΩΙΔΑ, in numis Mytilenes Lesbi.

Leander, vide supra in *Hero*.

Leucaspis heros, ΛΕΥΚΑΣΠΙΣ, in numo Syracusarum Siciliae.

Lichas, ΛΙΧΑΣ, in numis Lacedaemonis.

Lycurgus, ΛΥΚΟΥΡΓΟC, in numis Lacedaemonis, si modo nomine Lycurgi vere exhibetur caput celebris ejus legislatoris.

---

a) Miscell. p. 140. b) Tom. II. p. 72.

Digitized by Google

Mercurius, ЄРМНС. КТІСАС. ТНN. ПОЛІN, *Mercurius conditor urbis*, nempe Amaseae.

Menestheus Athenarum rex. МЄNЄСΘЄТ. КТІСТН, in numo Eleae Aeolidis.

Midas Phrygiae rex. ВАСІЛЄТС. МІΔАС, in numis Cadoenorum Phrygiae. — ТОN. КТІСТНN, in numo Midaei Phrygiae.

Myrhina, Amazon, МТРЄІNА, in numis Myrhinae Aeolidis.

Nausicae, NАТСІКААN. НРΩІ-ΔА, in numis Mytilenes Lesbi.

Nicaea nympha, NІКАІА, in numis Nicaeae Bithyniae.

Nicoclia herois, nescio quae, male a Begero intrusa ex numo male lecto [a]). Est is numus obvius Antiochiae Syriae.

Parius, PARIO. CONDIT*ori*, in numo Parii Mysiae.

Patreus, Patrarum Achaiae conditor, perperam inductus a Begero ex numo inscripto ПАТРАОТ [b]), consentiente etiam Spanhemio [c]), quam sententiam impugnatam vide in meis Numis vet. p. 221.

Penthesilea Amazon, PENTESILEA in contorniatis.

Pergamus КТІСТНС Pergami Mysiae.

Pheraemon ΦЄРАІМΩN, heros, in numo Messanae Siciliae.

Phocaea, ΦΩКЄА, Amazon, in numis Phocaeae Ioniae.

Pittacus philosophus, ΦІТТАКОС, (sic) sed Harduinus legit ПІТТАКОЄ, in numis Mytilenes Lesbi.

Plato philosophus, ПΛΑΤΩN. Ejus caput barbatum crinibus compositis, in numi aversa caput et epigraphe Augusti. Vrbis nomen non additur. Vide de hoc plura in numis Augusti commatis peregrini.

Pompejus (Cn.) Magnus. Γ. ПОМ-ПНІОС, numis Pompejopolis Ciliciae tanquam ejus conditor illatus.

Proela, V. supra in *Iulia*.

Pythagoras philosophus, ПΤΘА-ГОРНС, in numis Nicaeae Bithyniae, et Sami insulae.

Romulus, ROMVLO. CONDITORI in numis Hadriani Aug. commatis Romani.

Sallustius historicus. SALVSTIVS. AVTOR, in contorniatis.

Sappho poetria, in numis Mytilenes Lesbi.

Sardus pater, in numis Sardiniae.

Sextus heros, СЄΞТОN. НРΩА. Caput nudum barbatum. Aversa numi vitiata urbis nomen abolevit. Censet Sponius, qui eum edidit [d]), Sextum philosophum sisti, cujus auditor fuit M. Aurelius teste Capitolino. Hoc numo duce auctor musei Pio-Clementini effigiem quandam marmoream hujus esse Sexti adfirmavit [e]).

Sipylus heros, СІПΤΛОС, in numis Magnesiae Lydiae.

Smyrna Amazon, СМТРNА, in numis urbis homonymae.

Socrates, СΩКРАΤНС, in contorniatis dubiis.

Solon legislator, СОΛΩNОС, in numo suspecto Metropolis Ioniae.

---

a) Thes. Br. T. I. p. 278. b) Th. Br. T. I. p. 283. c) Tom. I. p. 560. d) Misc. p. 140. e) Tom. III. p. 23.

Digitized by Google

Solymus heros, ΣΟΛΥΜΟΣ, in numis Termessi Pisidiae.

Sparta, ΣΠΑΡΤΗ, Eurotae filia, a qua Spartae nomen, in hujus numis.

Stesichorus poeta, in numis Thermarum Siciliae.

Taras heros, ΤΑΡΑΣ, in numis Tarenti Calabriae.

Terentius poeta comicus, TERENTIVS, in contorniatis.

Theseus heros, ΘΗΣΕΑ, in numis Nicaeae Bithyniae. TESEVS, in contorniatis.

Thetis, ΜΗΤΡΟΣ. ΠΗΛΕΙΔΟΥ, in numis spuriis, lubet tamen eorum meminisse, quia frequentes exstant, et a quibusdam pro genuinis agniti.

Tiberius Aug. ΚΤΙΣΤΗΝ Magnesiae Sipyli.

Teos, ΤΕΩΣ, haud dubiae Amazon, in numo Tei Ioniae.

Tius, ΤΕΙΟΣ, conditor Tii Bithyniae, aut certe huic nomen impertiens.

Tmolus, heros, a quo monti nomen, in numis Sardium, et Tmoli Lydiae urbium.

Tomus, ΤΟΜΟΥ. ΗΡΩΟΣ, vel: ΤΟΜΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ, in numis Tomorum Moesiae inferioris.

Vlysses, in numis Ithacae.

Xenophon medicus, ΧΕΝΟΦΩΝ, in numo Coorum.

Exclusi ex hoc catalogo numos in variis libris memoratos, v. c. *P. Ovidii Nasonis* cum praetenta inscriptione ΟΤΗΙΔΙΟΣ. ΝΑΣΩΝ, cum vera sit: ΟΤΗΙΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ, et numus Caesareae Bithyniae, ut demonstravi in hujus urbis moneta, et copiose olim in meis numis veteribus p. 176. Neque pluris faciendi numuli aenei triti, in quibus hinc: P. VIRGILIVS. MARO cum hujus poetae capite, inde solum EPO totam aream occupans. Fuere tamen, qui eos in veteris aevi reliquiis putaverunt. In horum numero mirabimur exstitisse Winkelmannum, haec absenti amico ex urbe scribentem [a]): *Compertus est Romae parvus numus aeneus, in cujus una parte circa caput, sed quod exesum fere est, evidenter legitur nomen Virgilii Maronis. In parte aversa literis majoribus scriptum est* E. P. O. *Numus hic Cardinali meo* (Alexandro Albano) *missus unicus in orbe est, et si caput magis esset integrum, veram teneremus Virgilii formam.* At enim numus hic suus neque unicus est, (nam ejus multa mihi occurrerunt exemplaria) neque artis anticae. Vix dubitem, numulos hos ante annos complures Mantuae, quae Virgilii patria fuit, suadente adfecta in poetarum Latinorum principem fuisse percussos. Aspernatus sum etiam numos personarum illustrium, quos tabulis IV. undequaque congestos repraesentavit Gessnerus, quod ii haud dubie aut falsi sunt, aut male lecti, aut nomina iis inscripta urbis potius quempiam magistratum, minime vero illustrem personam indicant, quas seu fabulas, seu insomnia taedeat aliquando antiquarios in tabulas suas perpetuo revocare. Exclusi etiam numos, in quorum antica juxta caput muliebre turritum legitur ΚΤΜΗ, ΕΦΕΣΟΣ, CAPΔIC, ΤΗΜΝΟΣ etc. Sunt, qui existiment, his capitibus proponi Amazonem cognomi-

a) Briefe in die Schweiz, Seite 168.

Digitized by Google

nem, a qua urbe condita ferebatur, ut sane pleraeque Aeolidis, Ioniae, Cariae, Lydiae urbes Amazonum cuipiam suum debere nomen profitebantur. At enim haec capita tutius inter urbium genios, aut symbola referes. Neque enim scriptum juxta caput simile ΕΡΤ-ΘΡΑΙ, quod est in multitudinis numero, notare potest Amazonem, aut etiam ΑΠΑΜΕΙΑ, quae appellatio novicia est, tracta ab Apame Antiochi Soteris matre.

CAPVT XVIII.

DE NVMIS CISTOPHORIS.

De his insignem habemus commentarium Alexandri Xaverii Panel Galli, quo, quidquid de illustri hac numorum classe dignum est commemoratu, magno ingenio et solida doctrina complexus est. Ex eo nos multa, quibus hi numi illustrantur, excerpemus, nonnisi mutatis additisve, quae e re videbuntur, quod saepenumero eveniet.

Cistophori dicti fuere a Graeco κιστοφορος, vel κιστιφορος, *qui*, vel *quae cistam gerit*, nimirum in sacris Baechi, vel Cereris et Proserpinae, eorumque solennibus pompis, cujus rationis fuere etiam κανηφοροι, λικνοφοροι, δενδροφοροι in iisdem festis. Latinis hi dicti fuere *cistiferi*, ut patet ex Martiali [a]). Ab his μεταφορικως numi, de quibus agimus, a Latinis, quorum infra testimonia proferemus, dicti fuere *cistophori*, scilicet ab imagine cistae, quam impressam gestant. Talenti *cistophori* meminit Festus [b]), quod ait fuisse, sicut Rhodium, 4500 denarium, sed quod ad hanc causam non pertinet, quia talentum numus non fuit, sed numorum congeries.

Iuvat universam de his cistophoris doctrinam in plures articulos dispescere, quorum I. instruetur catalogus omnium hactenus cognitorum. II. agetur de patria III. de typis. IV. de inscriptis magistratibus. V. de origine et aetate. VI. de metallo, pondere, usu, et copia. VII. de cistophoris impropriis.

I. *Catalogus numorum cistophororum.*

Commode totum cistophororum agmen in duas classes dispescas, quarum I. continet cistophoros autonomos, seu quos urbes suo quodam jure, nullo cum

a) Epigr. V. 17. b) in Talentum.

Digitized by Google

Romanis nexu, signavere, II, qui mentionem magistratuum Rom. praeferunt. Cum omnes sint argentei IV. drachmarum, metallum et magnitudo non notabitur.

§. *I. Cistophori autonomi.*

1) *Cista semiaperta, ex qua serpens provolvitur, omnia intra coronam ex hedera et corymbis contextam.* Ϫ ΑΠΑ. *(in monogr.) Duo serpentes implicatis caudis exsurgentes pharetram complectuntur, quam mediam exornat quid acrostolio simile, et ex qua superne prominet arcus, in area noctua intra quadratum.* (Pellerin. Rec. II. tab. 43.) In aliis: *in area prora navis*, vel *auris humana*, vel *apis etc.* (Mus. Caes. Hunter.)

2) *Eadem adversa.* Ϫ ΑΠΑ. ΑΤΤΑΛΟΤ. ΤΙΜΩ. *vel:* ΣΩΚΡΑΤΟΤ, *vel:* ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΤ. ΠΡΤΤ. *Idem typus princeps; inferne duae taedae, vel tibiae, vel secundum alios duae taedae decussatae.* (Pellerin l. c. Neumann, Panel p. 51.)

3) *Eadem adversa.* Ϫ ΕΔΕ. *Idem typus princeps; per aream: caput muliebre cum praealta turri, caput muliebre floribus ornatum, duplex cornucopiae media spica, larva, fulmen, cervus dimidius, at plerumque taeda, tum et variae notae arithmeticae:* Β. Γ. Κ. ΛΔ. ΜΔ. ΜΓ. ΜΗ. ΞΕ. ΞΖ. (Pellerin Rec. II. tab. 55. et Mel. I. tab. 4. Hunter sub Epheso, Panel p. 57. Pembrock P. II. tab 81. Mus. Neumann.)

4) *Eadem adversa.* Ϫ ΑΑΟ. ΖΕΤΞΙΣ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΤ. ΤΟΤ. ΑΜΤΝ. ΤΟΤ. *Idem typus princeps; in area caduceus.* (Pellerin Rec. II. tab. 46. Hunter.)

5) *Eadem adversa.* Ϫ ΠΕΡΓ. *(in monogr.) Idem typus princeps; superne:* ΑΠ. ΑΣ. ΕΤ. ΙΕ. ΚΡ. ΚΤ. ΜΕ. ΤΕΤ. ΤΗ. ΦΙ. *addito constanter* ΠΡΤΤ. *(in monogr.) in uno Panelii* ΠΡΤΤΑ. *in area: baculus obvoluto serpente.* (Mus. Caes. Panel, Hunter.)

6) *Eadem adversa.* Ϫ ΣΑΡ. *Idem typus princeps; in area figura, et monogramma.* (Pellerin Rec. II. tab. 63. Hunter.)

7) *Eadem adversa.* Ϫ ΤΡΑ. *vel* ΤΡΑΛ. *Idem typus princeps, in area:* ΤΙΜΕ. *vel* ΑΤΤΑΛΟΤ, *vel* ΘΕΟΔ. *vel* ΜΕΝΑ., *tum Iuno Pronuba, aut Diana Ephesia, vel miles, bubalus, tripus.* (Pellerin, Hunter, Catal. d'Ennery.)

Excludimus ex hac serie cistophoros Cretenses a Goltzio obtrusos, cujus causam articulo II. dabimus.

* * *

§. *II. Cistophori cum mentione magistratus Romani.*

8) *Eadem adversa.* Ϫ P. LENTVLVS. P. F. IMP. *Idem typus princeps; in area:* ΛΑΟ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΤ, *et caduceus.* (Pellerin Rec. II. tab. 46.) In alio: P. LENTVLVS. IMPERATOR. ΑΠΑ. ΜΤΙΣΚΟΤ. (Mus. Caes.) *aut praeterea in area tibia duplex.* (Hunter Catal. p. 33.) In alio: ΑΤΤΑΛΟΤ. ΒΙΑΝΟΡΟΣ. ΑΠΑ. (Hardin in Plin. T. I. p. 275.)

9) *Eadem adversa.* Ϫ AP. PVLCHER. AP. F. PRO. COS. *Idem typus prin-*

Digitized by Google

ceps; in area: ΛΑΟ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ. ΖΩΣΙΜΟΣ, *et caduceus.* (Morelli Fam. Claud. tab. 2. Seguin.)

10) *Eadem adversa.* ☧ PVLCHER. IMP. *Idem typus princeps; in area:* A. *et* HPA. KIMΩNOΣ. (Liebe. pag. 227.) In alio: ΑΠΑ. *et* ΘΕΟΠΡΟΠΟΣ. ΑΠΟΜΩΝΙΟΥ. (*forte* ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ.) Hunter pag. 33.)

11) *Eadem adversa.* ☧ M. TVLL. IMP. *Idem typus princeps; in area:* ΛΑΟ. *et* ΛΑ. ΒΑΣ. ΠΤΡΡΟΥ. *et caduceus.* (Seguin, Morelli in Tullia.)

12) *Eadem adversa.* ☧ C. PVLCHER. PROCOS. *Idem typus princeps; in area* ΠΕΡΓ. *(in monogr.) et* ΜΗΝΟΔΩΡΟC. *et baculus obvoluto serpente.* (Haym. T. II. tab. 24.) *Alius similis, sed cum magistratu* ΜΗΝΟΦΑΝΤΟC. (Mus. Flor. tab. 108.) *Alius, sed cum* ΒΙΩΝ. (Pembrock P. II. tab. 81.)

13) *Eadem adversa.* ☧ PVLCHER. PROCOS. *Idem typus princeps, in area* TPA. *et* APICTOKΛHC, *et manus sinistra aliquid ramo simile tenens.* (Pellerin Rec. II. tab. 63.)

14) *Eadem adversa.* ☧ C. FAN. PONT. PR. *Templum 4. col. inter duos serpentes; in area* ΕΦΕ. ΠΕ. *inde fax, in imo* ΙΔΗΛΟC. (Catal. d'Ennery.)

Sic legendum magistratus Romani nomen, numi sequentes docent, cum auctor ejus catalogi perperam legeret: C. FANTONI. PP.

15) *Eadem adversa.* ☧ C. FAN. PONT. PR. *Duo serpentes complicatis caudis se erigentes, intra quos templum rotundum, cui superne insistit statua d. pateram, s. hastam tenens, in area hinc* - PA., *illinc manus aliquid ramo simile tenens, in imo:* APICTOKΛHC. (Mus. Caes.)

Hic numus aeneus quidem est, sed satis apparet, esse animam subaerati, ut docui in mea Sylloge I. pag. 49, quo loco eximium hunc numum edidi.

16) *Eadem adversa.* ☧ FAN. PONT. PR. *Typus, ut in praecedente, in area hinc* - PA., *inde aquila expansis alis fulmini insistens, infra* MENAN. ΔΡΟC. -- ΡΕΤC. (Mus. Flor. tab. 108.)

17) *Eadem adversa.* ☧ A. M. PROCOS. *Duo angues adsurgentes, intra quos tripus, cui insistit Apollo nudus d. ramum protendens, s. columellae innixus, in area hinc* ΕΦΕ. ΟΖ., *illinc fax ardens, in imo* ΕΡΜΙΑC. ΚΑΤ. CTP. (Pembrock P. II. tab. 81.)

18) *Eadem adversa.* ☧ Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER. *Aquila legionaria inter duos angues adsurgentes, in area* ΠΕΡΓ. *(in monogrammate.)* (Haym. T. II. tab. 24.)

19) M. ANTONIVS. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. *Caput Antonii hedera redimitum intra coronam hederaceam.* ☧ *Duo serpentes pharetram ambiunt, ut num. 1., in area hinc* ΠΕΡΓ. *(in monogr.) illinc baculus, quem ambit serpens.* (Patin in Fam. Anton.)

Hunc numum esse spurium, comprobabo infra articulo III. Alios, sed genuinos Antonii IIIviri cistophoros vide in ejus moneta.

II. *Patria cistophororum.*

Certam horum numorum patriam fuisse eam Asiae minoris partem, quae olim regum Pergamenorum ditio, subinde Romanis testamento subjecta, pro-

Digitized by Google

vincia Asia dici coepit, ex numis ipsis invicte eruimus, ac I. quidem ab inscriptis urbium nominibus, II. ab inscriptis magistratibus Romanis, III. a typis. De II. et III. indicio agemus singularibus articulis. Extra dictos fines non habemus signatos cistophoros, ut continuo docebimus.

Vrbes provinciae Asiae, quae in his numis nomina sua profitentur, hactenus cognitae sunt sex, illustres omnes, Ephesus Ioniae, Pergamus Mysiae, Sardes et Tralles Lydiae, Apamea et Laodicea Phrygiae. De singulis agemus ordine.

Ephesus Ioniae. In hac urbe fuisse cusos numos, qui exhibentur sede 3, 14, 17, certum est ab inscripto EΦE. Minutorum signorum, quae aream frequentes insident, cum Epheso nexus, dempto cervo, non satis apparet. De notis arithmeticis agam infra articulo V.

Pergamus Mysiae. Hujus urbis cistophori omnium maxime obvii. Patriam Pergamum prodant non modo monogrammate ΠΕΡΓ., sed et Aesculapii baculo, qui constanter in numis sic notatis additur. At constat de insigni ejus dei apud Pergamum cultu. Numos habes loco 5, 12, 18. De inscriptis prytanibus vide infra articulo IV.

Sardes Lydiae. Hanc urbem eloquitur numus 6 inscripto ΣAP.

Tralles Lydiae. TPA. vel TPAΛ. inscriptum numis numero 7, 13, 15, 16, hanc urbem profitetur. Typus bubali est etiam in autonomo Trallium apud Pellerinium. Ad easdem Tralles refero etiam numum loci 16, in cujus area Gorio est PA, et aquila expansis alis fulmini insistens. Videtur ex numo excidisse prior litera T, qua restituta habemus solitum urbis indicium TPA. Ad haec aquilam eodem statu exhibet Trallium autonomus apud Hunterum. (tab. LX. n. 20.) Iuno Pronuba, quae est in area numi 7, in pluribus urbium provinciae Asiae autonomis comparet, nisi forte Diana Ephesia est, quae ipsa quoque frequenter in Trallianorum moneta habetur. Neque velum ad pedes defluum Ephesiam hanc deam inficiatur, nam eodem amicta velo sistitur in numo Cymes Aeolidis [a]). Perperam in ea Panelius virginem cistiferam videt [b]).

Apamea Phrygiae. Hujus numi se manifestant inscripto A, vel AΠ. in monogrammate, vel AΠA., suntque numeris 1, 2, 8, 10. Ex sigillis minutis huc faciunt prora navis, quia Maeandro adsita, et duae tibiae ex domestica Marsyae Satyri historia. At Apameam maxime comprobat magistratus ATTAΛOΣ. BIANOPOΣ, quem praebet numus 11, nam eundem exhibent quoque autonomi hujus urbis certi. (Mus. Caes. Pellerin.)

Laodicea Phrygiae. Epigraphe ΛAO. in numis loci 4, 8, 9, 11. Caduceum omnes addunt, qui tamen in hactenus notis ejus autonomis nondum comparuit.

* * *

Vltra hujus provinciae fines cistophori sese non porrigunt, nisi Cretam

a) Spanh. de Vesta et Pryt. b) p. 17.

Digitized by Google

malis addere hoc numorum genere, si unum Goltzium audias, feracem, qui in suis Insulis tab. III. et IV. alios inscriptos KPH. KPHTAIΩN, alios KTΔAIΩN, KTΔAΣ protulit. Hoc ejus praeconio inducti antiquarii, quam absurda coacti fuerint comminisci, ut sedem cistophoris in ea insula parārent, satis apparet ex Begeri dissertatione de numis serpentiferis. Eadem fiducia Wachterus primaevam cistophoris originem in Creta constituit, cumque videret Tralles, Laodiceam, Apameam his numis inscriptas, eas Cretensium esse colonias dejeravit, quia constat, Cariam, cui olim dictae urbes fuere contributae, fuisse colonis Cretensibus frequentatam. At cum huic doctrinae repugnare viderentur nummi inscripti ΠEP., nequaquam ejebat his literis indicari Pergamum, sed Peraeam Cariae regiunculam [a]). Panelius, ut hanc numorum societatem Asiam inter Cretamque explicaret, conjicere non dubitavit, quod homini tam praeclare erudito in mentem venire nunquam debuerat, Cretam a Romanis captam Asiae fuisse proconsulari adnexam [b]). Tam validae fuere Goltzii inde ab ortu suo praestigiae, et fascinandi artes, ut mallet eruditus quisque ἀπροσδιονυσα et ἀσυγατα effutire, quam ejus παραχαραγματα ludibria aspernando sapere. Quod frequenter per hos meos commentarios inculcaveram, virum mirabilis consilii et instituti numis veris alienas adfinxisse inscriptiones, istud in his ejus cistophororum commentis manibus tenemus. Non nego, cistophoros, quos citatis locis proposuerat, esse genuinos, verum inscriptiones KPHTAIΩN, KTΔAIΩN etc. esse genuinas, istud est, quod pernego. Aude has aspernari, et Goltzianos hos numos cum iis contendere, quos probos et incorruptos supra dederam, videbis continuo, quam facile fere singuli suae sese patriae adcommodent. Experiamur. Tolle vocem KPHTAIΩN ex numo V. tabulae III., et habebis numum Pergami, cujus similes loco 5 proposui. Tolle ex numo VI. KPH., et habebis luculentum Sardium numum. In numo VII. in locum τε KPH. repone ΠEPΓ., et pro ΔI. TPT. lege ΔI. ΠPTT., evadet certus numus Pergami. In numo III. tabulae IV. pro KTΔAIΩN lege: C. FAN. PONT. PB., habebis numum, qualem loco 15 stiti. Neque vero hactenus constitit Goltzii fraus, sed placuit adulterare quoque metallum. Nam cum cistophoros non norimus nisi argenteos, binos ex suis ementiri aureos placuit. Sed satis de cistophororum patria.

III. Typi cistophororum.

Typum utriusque partis ad Bacchum pertinere, certum est, cujus causam observantiae, quam communi consilio nobilissimae Asiae urbes professae sunt, infra dabimus [c]).

Pars adversa cistam semiapertam exhibet, ex qua serpens in lucem provolvitur; aream ambit corona ex hedera et corymbis contexta. Cistam, serpen-

a) Archaeol. num. p. 92. b) p. 64. c) Art. VI.

Digitized by Google

tem, hederam ad Bacchum, ejusque insanam et pudendam pompam pertinere, ab omnibus mythologis, atque iis praecipue, qui Dionysiaca explicuere, abunde dictum, et videri potest erudite explanatum a Panelio inde a pagina 10.

Pars aversa, etsi hanc quoque sibi Bacchus certo vindicet, implexam tamen habet rationem. Nam quid sit illud, quod inter adsurgentes duos serpentes continetur, ambigitur, et ambigi jure potest. Nonnius Goltzii commentator, aliique veteres in pharetra acquievere. Sed adversatur palam Panelius, quod qualicunque illi imagini non satis convenire cum pharetra existimat. Magis igitur in vannum mysticam inclinat, quae partem non ignobilem supellectilis Bacchicae constituit, et quae definiente ex aliorum sententia Servio [a]) fuit *vas vimineum latum, in quod ipsi propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent.* At enim ipsa veterum testimonia obstant, quo minus ejus possim sententiae suffragari. Teste Servio vannus fuit vas vimineum, latum, capax, aptum recipiendis frugum primitiis. At horum nihil huic, ut in numis fingitur, instrumento proprium, imo adversum potius. Quo enim pacto vas latum et capax dici possit, quod inde a labro superiore continuo in angustum coit? aut qua unquam aetate vasorum qualiumcunque conformatio fuit ad modum, qualem hi numi proponunt? Accedit, quod vanni in Bacchi pompis capite gestari sunt solitae. Ita enim Proclus agens de muliere λικνοφορᾳ [b]): λικνον μεν ἐπι της κεφαλης θεμενη, και δρακοντι ἀυτο περις-ψασα, *vannum quidem capiti imponens, et serpente eam coronans.* At qua quaeso ratione vas inferne in cuspidem desinens habile fuit, quod capite gestaretur? Bacchanalia in numis, gemmis, anaglyphis veterum expressa varii generis et formae offerunt vasa, horum etiam aliqua non raro a virginibus cistiferis, aut si malis, vanniferis capite gestari videmus, verum inter haec nullum est ejus formae, quam vanno Panelius tribuit. Vannos adeo potius dixeris illa canistra, quae frugibus referta saepe in numis Alexandrinis parvi aeris proponuntur, aut Cereris signis adstituuntur, aut quale Panelius ipse ex numo Sidoniorum dedit [c]), quae fuisse viminibus confecta ipsa liquido apparens partium textura docet. Cape certam vanni Bacchicae formam ex monumento Winckelmanni [d]), ac tum aude, id, quod hi numi offerunt, vannum putare. Atque his Spanhemius motus rationibus vannum dixit non illud, quod in horum numorum aversa serpentibus cingitur, sed potius cistam, quae est in eorum parte antica stemmate hederaceo clausa, quae per ipsam serpentis promicantis causam *mystica vannus Iacchi* videtur putanda [e]). Tamen et hanc Spanhemii sententiam solide refutavit Winckelmannus [f]).

Num igitur ad Nonnii pharetram postliminio redeundum? Fateor, neque cum pharetra mihi satis convenire ab-

a) ad Georg. I. v. 166. b) in Timaeum. c) p. 16. d) Mon. ant. n. 53. e) ad Callim. in Cerer. v. 127. f) l. c.

Digitized by Google

ludente non parum imagine. At quis omnem bacchanalium superstitionem, et quae ad horum insaniam requirebatur, supellectilem post tot saecula sperabit posse recte et ordine explicari? Tamen si alteratrum esset eligendum, prae vanno pharetram mallem. Sane in plerisque hujus classis numis ex ambiguo hoc instrumento superne luculentus promicat arcus. Habebis ergo in his arcum, quod saepe alias, cum pharetra junctum ad eum fere modum, quo utrumque conjungitur in obviis drachmis Erythrarum Ioniae, ut videre est apud Pellerinium [a]). Denique pharetram non leviter comprobant numi Sidetum, quos infra articulo VII. sistam, quorum nota incusa luculentum arcum pharetrae junctum exhibet. Queniam hi, ut dicetur, per ipsam hanc notam in jus cistophororum sunt cooptati, verisimile sane est, ejus notae typum ex ipsis cistophoris captum. Cum vero haec pharetram cum arcu exprimat, haud dubie et utrumque in cistophoris expressum intelligendum est. Ceterum pharetram Baccho jure tribui, et monumenta docent, et mythologi. In numis Maroneae Thraciae et gentis Corneliae Blasionum ejus manus armatur sagittis. Si ergo gaudebat sagittis, necessaria fuit theca, quae eas reconderet.

Cum verisimili hac, quam dixi pharetra conjuncta sunt instrumenta alia. De arcu jam egi in prioribus. In numis 2 et 8 duos bacillos videas prominentes, et in decussem positos. Eorum formam videas apud Liebeum [b]), et Pellerinium [c]). Conjecit Panelius, esse ferulas Baccho familiares [d]) sed non satis istud probat. Forte verius taedae sunt, aut duae tibiae, ut supra ad Apameam indicavi, aut aliud. At omnium minime adsentior Panelio, cum parva sigilla per aream vaga, et a type principe exclusa, caduceum, baculum obvoluto serpente ad Bacchi quoque caerimonias vocat. Esse ea urbium, in quibus hi sunt numi signati, symbola, articulo II. ostendimus, etsi istud de omnibus diserte adfirmari nequeat tam parum, atque in tetradrachmis Alexandri M. De acrostolio pharetrae adfixo nihil habeo quod disseram, cum dubitari possit, sitne illud, quod maritimi ejus signi speciem praefert, revera acrostolium, an non potius simplicis ornatus causa additum.

Haec commemoranda fuere ad typos primaevos, qui sunt in cistophoris autonomis, iisque vetustioribus. At vero typorum puritatem corrupit sequens aevum, quo Asia servire Romanis jussa est, et quod inscripta magistratuum R. nomina profitentur. Principio retenta vetus simplicitas proconsulibus Lentulo, App. Pulchro, M. Tullio, C. Pulchro, quod comprobant numi inde a num. 8. se consequentes; verum serius in extrusae pharetrae locum successere templum, aquila legionaria, Apollo. Revocatam paullo post pharetram suadere posset numus M. Antonii loco 19 propositus; verum fatetur ingenue Patinus ejus numi praeco, non sibi videri

a) Rec. I. tab. XXV. n. 17. 18. b) pag. 227. c) Rec. II. tab. 43. n. 15. d) pag. 25.

Digitized by Google

certae antiquitatis. Aversam cistophororum ejus IIIviri, qui genuini sunt, occupat Bacchi cista inter duos dracones adsurgentes, cui impositum est aut signum Bacchi, aut caput muliebre. De numis post haec tempora signatis, et qui aliquo modo cistophoros imitantur, agam infra articulo VII.

IV. Inscripta magistratuum nomina.

Magistratus cistophoris inscripti duplicis sunt generis, alii domestici et singulis urbibus proprii, alii Romani proconsulum aut praetorum nomine. In nonnullis utrique conjunguntur, et tum numi hi sunt bilingues, sic ut magistratus urbis Graece, proconsul Latine inscribatur.

Magistratus urbium domestici. Hos Pergameni sedulo inscripsere numis utriusque classis, ut videre est locis 5 et 12, sed sic, ut in prima classe, nempe autonomorum, eorum nomina sint trunca addito semper monogrammate ΠΡΤΤ., at in altera classe nomina sint integra, sed omissum ΠΡΤΤ. Hoc nomine indicari magistratum *Prytanem* jam alias ex numis cognitum, inter omnes convenit, de cujus varia potestate egimus alibi. In alio Pergameno monogrammati continuo subjicitur A, quod utrumque conjunctum Panelio legendum videtur ΠΡΤΤΑ [a]). Malim ΠΡΤΤ. A., ut intelligatur Prytanis I, perinde atque in solita formula ΑΡΧΩΝ. Α. Nam plures fuisse eodem tempore prytanes, atque inter hos *πρυτανις πρωτος*, ipse Panelius pluribus exemplis comprobat [b]). Fuerintne praeter Pergamum aliarum quoque urbium cistopheris inscripti prytanes, vix adfirmavero. Panelius in binis Apamensibus musei le Bret vidit ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΠΡΤΤ. et ΑΤΤΑΛΟΥ. ΤΙΜΩ. ΠΡΤΤ. [c]) at in Pelleriniano, qui posteriori similis est, abest το ΠΡΤΤ. [d]). In reliquis magistratus dignitas non additur, nisi forte Trallianum loci 15 demas, in quo haud dubie legendum videtur ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. ΡΕΤΣ.

* * *

Magistratus Romani. Inscripta horum nomina et cistophororum doctrinam, et historiam praeclare juvant. Enarrant vero proconsules, qui populi R. nomine provinciam Asiam et Ciliciam rexere. Complexa est provincia Asia regiones, quas moriens circa annum V. C. 623 Attalus III. Pergami rex populo R. legavit, scilicet Mysiam, Aeolidem, Ioniam, Lydiam, Phrygiam, quibus serius accessere Caria et Lycia Rhodiis ademptae. Complaribus post annis constituta provincia Cilicia, et quidem ex mente Pighii V. C. 679 secundum Varronem, at ex mente Norisii V. C. 687 ejus primo rectore Q. Martio Rege proconsule [e]). Ea varios varia aetate fines habuit, quos nunc curiosius investigare non attinet, cum ad explicandos praesentis instituti numos id unum nosse sufficiat, cum Cilicia fuisse conjunctas tres dioeceses in Phrygia sitas, Cibyraticam, Synnadensem, Apamensem a provincia Asia avulsas, quod copiose

a) pag. 51. b) p. 48. c) pag. 51. d) Rec. II. tab. 43. num. 15. e) Cenot. Pis. diss. II. c. 11.

Digitized by Google

confirmat in epistolis suis Cicero, qui Ciliciam pro consule rexit. Ad hanc ergo provinciam Ciliciam pertinuere Apamea et Laodicea, quae posterior teste Plinio fuit conventus Cibyratici [a]), utraque vero frequenter, ut supra vidimus, proconsules suos praetoresve cistophoris apud se signatis intulit, quos nunc ordine recensebimus.

P. LENTVLVS. P. F. IMP. in numis loci 8, signatis Laodiceae et Apameae Phrygiae urbibus. Fuit ergo proconsul Ciliciae, quod jam constabat ex Cicerone, cujus ad eum epistolas bene multas earum liber I. continet. P. Cornelius Lentulus Spinther processit consul V. C. 697. Exin sortitus provinciam Ciliciam tres ibi annos adhaesit probata etiam victis hostibus, incertum quibus, virtute, ex qua dictus IMPerator, et triumphi honorem abstulit, quae omnia in citatis Ciceronis epistolis docentur, et confirmantur his numis. Haec cum aperta sint et luce meridiana clariora, et jam sic a veteribus antiquariis tradita, tamen poterat scribere Havercampus, hos Lentuli cistophoros cusos Apameae et Laodiceae Syriae [b]).

AP. PVLCHER. AP. F. PROCOS. vel: PVLCHER. IMP. in numis 9 et 10, Apameae item et Laodiceae cusis. Ap. Claudius Pulcher Appii F. consul processit V. C. 700. Anno sequente in Ciliciam sibi destinatam profectus successit P. Lentulo, cujus mox numos vidimus. Tradita V. C. 703. M. Ciceroni provincia ex victoria, incertum iterum qua, sed cujus causa IMPeratoris sibi honorem emeruit, triumphum petiit, sed quem abjecit, a P. Dolabella majestatis et ambitus reus factus. Haec omnia Pighius ad annos citatos ex Ciceronis epistolis collegit, et consplrant numi.

M. TVLL. IMP. in nume 11 Laodiceae Phrygiae cuso. M. Tullius Cicero provinciam Ciliciam ab App. Pulchro accepit V. C. 703. Ipse scribit, se frequenter Laodiceae celebrasse conventus, et quidem ex idib. Febr. ad Kal. Majas omnium dioecesium Asiaticarum forum egisse [c]). De collato IMPeratoris titulo haec ipse scribit [d]): *Ita victoria juste IMPERATOR appellatus apud Issum, quo in loco, saepe ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro esse superatum.* Decessit e provincia III. Kal. Sext. V. C. 704, suffecto P. Sestio [e]).

Ergo tres Ciliciae proconsules sibi ordine succedentes praeclari hi cistophori offerunt. Succedunt certi provinciae Asiae praesides.

PVLCHER. PROCOS. vel C. PVLCHER. PROCOS. in numis Trallium et Pergami locis 12 et 13. C. Clodius Pulcher frater P. Clodii tribunipl. V. C. 698 praeturam in urbe egit. Ex hac sortitus provinciam Asiam in hac per annos V. C. 699 et 700 commoratus est, ut ex Cicerone docet Pighius. Dicitur in numis *proconsul*, at Cicero eum simpliciter praetorem appellat, quippe qui consul nunquam fuit, atque istud tanto magis mirum, quod C. Fan-

a) L. V. §. 28. b) ad famil. Morellii p. 137. c) ad Attic. L. V. ep. 21, et L. VI. ep. 1. 2. d) ad famil. L. II. ep. 10. e) Pighius.

Digitized by Google

nius, quem mox dabimus, in numis suis ex eadem causa non dicitur PROCOS., sed PR*aetor*. At video, scriptores veteres in permiscendis proconsulis et praetoris titulis multum sibi indulsisse, cujus luculenta exempla dedimus supra cap. I. sect. II. §. 3.

C. FAN. PONT. PR. in numis Trallium et Ephesi, quos habes locis 14, 15, 16. M. et C. Fannios exhibent denarii Romani, praesentes cistophori C. Fannium suum per Trallium mentionem certum provinciae Asiae praesidem faciunt. Fuit hic Fannius fine saeculi VII. et initio VIII. ab V. C. non obscurae famae, et saepe memoratus Ciceroni. Eum praeturam urbanam exercuisse V. C. 699, ex Ciceronis auctoritate conjicit Pighius, atque ex hac sortitum provinciam Asiam, et successisse C. Pulchro, de quo modo egimus, inde posse conjici videtur, quod idem Trallensium magistratus APICTOKΛHC in utriusque numis legitur. Aliquid etiam lucis de hac Fannii praetura suppeditat Fl. Iosephus [a]). Narrat, L. Lentulum, quo is anno cum C. Marcello consul fuit, Iudaeis Ephesi degentibus vacationem a militia indulsisse. Postea idem beneficium renovasse Fannium, quem is ἀρχιστρατηγον vocat, forte melius ἀντιστρατηγον. Processere Lentulus et Marcellus V. C. 705. Ergo praetura Fannii aut ad hoc usque tempus fuit prorogata, aut circa istud tempus in provinciam est profectus. Initio belli civilis eum Cicero inter viros praetorios nominat [b]). Dicitur Fannius PONTIFEX, et fuisse pontificem saltem jam V. C. 697; certum est auctore Cicerone, qui eum in oratione de haruspicum responsis in pontificum catalogo recenset [c]). PR*aetor* denique dicitur, quia ex praetura in provinciam Asiam profectus est. Vide de his numis plura in mea Sylloge I. pag. 49.

A. M. PROCOS. in numo 17 Ephesi signato. Quis fuerit hic *Aulus* M - - - proconsul Asiae, aliis conjiciendum relinquo. Iure irascimur monetarii parsimoniae, proconsulis nomen, tanquam obscoenum, obscura sigla complexi. Et vero si in ullo cistophoro loquacem cuperem monetarium, istud in hoc Ephesio vellem, nam ex cognito proconsule proclivius foret, naturam annorum cistophoris Ephesiis inscriptorum explorare, de quibus agam articulo proximo.

Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER. quem descripsi loco 18. Casum se profitetur Pergami. Hac epigraphe indicari filium P. Cornelii Scipionis Nasicae, subinde a Q. Metello Pio adoptatum, qui post cladem Pharsalicam supremi imperatoris potestate adversus I. Caesarem in Africa stetit, victusque manus sibi intulit, copiosi denarii eodem modo inscripti docent, de quo vide, quae docebimus in numis familiarum. Verum quo is pacto monetae cistophorae sit insertus, ardua, neque hactenus expedita quaestio. Haymius, qui primus hunc numum in lucem protulit, maluit hanc difficultatem relin-

a) Ant. Iud. L. XIV. c. X. §. 13. b) ad Attic. L. VIII. ep. 15. c) cap. VI.

Digitized by Google

quere intactam. Panelius eum Asiae praesidem diserte facit, sic tamen, ut liquido adfirmare non audeat, utrum C. Pulchro, qui V. C. 699 et 700 Asiae praefuit, successerit, an decesserit [a]). Sed haec viri eruditi doctrina mera est conjectura, et cui ipsa etiam adversatur historia. Vt enim praeteream, nuspiam inter Asiae praesides legi Metellum nostrum, ejus sententiam plane videtur evertere additus IMPERa*toris* titulus. Etenim hunc adeptus fuisset vel ante Asiae praefecturam, vel hac labente. Non illud, nam qua orbis R. parte duxisse exercitum, quo honorem illum emeruisset, non constat. Non alterum; nam tempore praefecturae Asiaticae, quod Metello adsignat Panelius, provincia Asia pacatior fuit, quam ut lauros bellicas potuisset impertiri. Si ergo is titulus accesit serius, actum est de Metello Asiae praeside, qui fingitur rexisse Asiam, quo tempore imperator nondum fuit, quem tamen honorem canore illi largitur numus. Quae de hoc Metello Scipione comperta habemus, haec sunt. Conjicit Pighius, fuisse quaestorem urbanum V. C. 691 [b]), Tribunum pl. idem probat V. C. 695 [c]). Praetorem urbanum facit V. C. 699, sed nulla auctoritate [d]). Iam vero certum, eum V. C. 702, quo anno Pompejus M. Metelli nostri gener solus consul fuit, ab hoc in quinque postremos menses collegam fuisse cooptatum. V. C. 705 in Syriam proconsule profectus est. Quae post haec ab eo gesta sunt, Caesar L. III. de bello civili commemorat, etsi homini inimicior, quippe Pompeji socero, quo tamen ea, quae ad explicandum hunc numum pertinent, commode illustrantur. Ait primum [e]), *His temporibus* (exeunte anno V. C. 705, et incipiente 706.) *Scipio detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis sese IMPERATOREM appellavit.* En veram adsciti hujus tituli originem auctore ipso Caesare. Tradit deinde, eum exacta severe pecunia, omissisque hostibus Parthis inde a Crassi caede stolide elatis legiones Pergamum deduxisse, et provincia quoque Asia misere direpta instituto per Macedoniam itinere Pompejo sese conjunxisse. De reliquo ejus fato, quoniam ad praesens examen non pertinet, agemus in ejus denariis.

His igitur a Caesare praemonstratis facile erit, signati hujus cistophori tempus, causamque conjicere. Ad tempus quod attinet, feriri non potuit ante initium anni V. C. 706 propter additum *imperatoris* titulum, quem circa istud tempus abstulit. Neque signari potuit post V. Id. Sextiles ejusdem anni, quo die ad Pharsalum victus est Pompejus; nam non ausi fuissent Asiani in Caesaris jam potestatem redacti, hominis inimici, et cum Pompejo propter adfinitatem conjunctissimi nomine monetam insignire. Neque majoris molis est conjectare causam. Dixi supra, Metellum Scipionem ex Syria profectum Pergami constitisse. Plures eum ibi menses commoratum, certum est ex iis, quae ab eo ibi tentata refert Caesar [f]). Narrat,

a) pag. 55. b) Annal. T. III. p. 324. c) ibid. p. 355. d) ibid. p. 388. e) cap. 31. f) L. III. c. 32.

Digitized by Google

tota Asia acerbissime imperatas pecunias, non urbibus modo, sed paene vicis castellisque cum imperio praefectos, qui tributum extorquerent, plenam fuisse lictorum et imperiorum provinciam, solasque temporis angustias prohibuisse, quo minus Metellus Ephesi a fano Dianae depositas antiquitus pecunias tolli juberet. Quiscunque tum Asiam proconsule rexit, quod ignoramus, istud certum ex diserta Caesaris historia, Metellum tum summa cum potestate, et forte a Pompejo confirmata, penes quem tum omnium rerum fuit arbitrium, Asiae praefuisse, ultro etiam in ejus obsequium ruentibus Asianis, non modo quod Pompeji socer esset, sed etiam quod plurium legionum robore munitus esset. Atque secundum haec verisimile etiam, deficiente pecunia imperata a miseris provincialibus collatum argentum rude, atque ex hoc paratos continuo Pergami, ubi teste Caesare consedit, cistophoros inscripto Metelli Scipionis nomine, ex quorum numero est is ipse, qui hujus nunc causa disputationis fuit.

V. Origo et aetas cistophororum.

Videndum etiam, quae de cistophororum origine, et quae alia ad rationes chronologicas pertinent, possint verisimilia praedicari. Quo tempore cudi coeperint, nihil potest probabile adferri. Istud unum constat, jam V. C. 564 obviam fuisse in Asia monetam, quod eo anno Man. Acilius Glabrio in triumpho, quem de Antiocho M. egit, cistophorum ducenta quadraginta octo millia praetulit a). Reliquia conjecturis, inanibus certe, pro more abstineo. Omnium recentissimi sunt, qui pro pharetra partis aversae aliud quidpiam intra angues adsurgentes conclusum offerunt. Horum quotquot hactenus reperi, omnes primis saeculi ab urbe condita VIII. annis deberi vidi, ut supra monui, cum de typis agerem. Qui proconsulum nomina offerunt, eorum quoque aetas in plerisque adcurate potest definiri. In autonomis, quia omni nota chronologica destituuntur, desperata ratio, demptis Ephesiis, de quibus continuo.

Cistophori Ephesii omnes, quotquot hactenus viderim magis integros, in area aversae literas solitarias objiciunt. Quas observarim, sequentes sunt: B. Γ. Κ. ΛΔ. ΜΔ. ΜΕ. ΜΗ. ΞΕ. ΞΖ. ΟΖ. ΠΕ., quos citavi supra locis 3, 14, 17. Esse arithmeticas, evincit primum episemon Ε, deinde quod numeri non magnopere divergunt, sed aequabili progressu augentur, et revera numeri recentissimi ΟΖ et ΠΕ numos recentioris rationis occupant, intelligo, qui jam inscriptos proconsules, et in aversa alium pro pharetra typum offerunt, quae esse certa aetatis criteria dixi.

Investigandum jam, sintne hi numeri epochae anni putandi. Ajo verisimile. At Ioniae urbes epochae annos monetae intulisse non constat. Quid tum? si epocha usae non sunt lege ordinaria, at poterant uti lege extraordinaria, et in

a) Liv. L. XXXVII. c. 46.

Digitized by Google

certi tantum generis numis, quales sane fuere cistophori. En tibi ejus illustre exemplum ex vicino petitum. Mysiae quomodocunque late sumptae urbes perinde epocha usas non constat; tamen eam inscripsere numis Alexandrinis Troadis, non quidem omnibus, sed tantum tetradrachmis cum epigraphe ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΣΜΙΘΕΩΣ, id est, certae tantum classis numis. Eodem ergo consilio potuere Ephesii, qui ab ordinaria sua moneta epochae annos abstinuere, eam inscribere cistophoris, qui fuere moneta extraordinaria. Hoc amoto obice a quo principio verisimile est ducendam epocham? Panelius, qui in his numeris aerae quoque indicia vidit, aeram esse sacram, perinde atque in numis ETOTΣ. NEOT. IEPOT conjecit, quia inscripta numis per Sabaziorum religionem sacris, quae ab Ephesiis sive constituta, sive renovata occasionem praebere poterant constituendae epochae. Sed qualiscunque haec conjectura ad aerae cognitionem nihil confert. Ex numis hactenus cognitis ejus initium non potest definiri. Sed spes est, illud aliquando posse stabiliri, cum nacti fuerimus numum Ephesium, qui cum anno epochae conjunget nomen proconsulis, de quo constet, quo tempore Asiam rexerit, ut constat de C. Pulchro. Habemus quidem binos Ephesios, qui praesidis nomen cum anno aerae junxere, nimirum: A. M. PROCOS cum anno OZ, et C. FAN. PONT. PR. cum anno ΠΕ., verum ignoramus, quis fuerit is, quem numus nimis parce A. M. appellat, et de tempore praeturae C. Fannii nihil nobis constat. Exspectandum ergo tempus, quod prolatis aliis monumentis dubium expediat.

VI. Metallum, pondus, usus, copia cistophororum.

Metallo cistophori omnes eodem constant, nempe argento, eoque purissimo. Aureos non reperit nisi Goltzius, cujus fraudem jam perstrinxi supra articulo II. Aeneum dedi in catalogo loco 15, at monui etiam, eum detracta persona argentea aeneum evasisse.

Pondere ad tetradrachma accedunt, adpenduntque judice Belleyo, si modo integri sint, grana Parisina 240, unde singulorum pretium ratione monetae Gallicae est librarum 2, solidorum 14. Vide de hoc argumento plura apud Panelium [a]).

De usu, seu causa signatorum cistophororum ea lege, quam ex condicto a praestantissimis Asiae civitatibus observatam videmus, implexa quaestio. Summa doctrinae, quam Panelius praeceperat, eo redit [b]). Vtriusque partis typi in cistophoris argumentum continent, inquit, quod unice ad Bacchi mysteria et orgia pertinet. Constat, Bacchum in Lydiae, Phrygiae, et vicini tractus urbibus praecipua observantia mactatum, ejusque ibi festa appellata fuisse Sabazia, quae Asianorum fuisse propria docuere Tullius, aliique. Quocirca adfirmare non dubitat [c]), cistophoros, qui omnes ejusdem sunt formae, et Bacchicae alicujus pompae referunt insignia, cum in diversis

a) pag. 109. seq. b) pag. 26. seq. c) pag. 42.

Digitized by Google

civitatibus Asiaticarum provinciarum signati fuerint, signari potuisse ex occasione *tantum* communium Asiaticis civitatibus Sabaziorum.

Vt a Panelio hoc in tractatu pleraque magno judicio et eruditione disputata reperio, sic tamen ea, quae de causorum occasione cistophororum adfert non possunt mihi plane probari, tametsi norim, dum Panelium impugno, etiam cum eruditis aliis mihi esse dimicationem. Video enimvero, viros praestantes, cum de illustriore quadam numorum Graecorum serie disserunt, continuo eorum feriandorum causam in ludos et festa conjicere. Ex simili causa creditum multis signatos numos, qui ETOTΣ. NEOT. IEPOT. inscribuntur, aut tetradrachma Alexandri M. post hujus mortem, ut visum Pellerinio, cusa. Sed enim quantamcunque Graecorum superstitionem, et in ludorum apparatus insaniam statuamus, an verisimile, tam enormem cistophororum vim, quantam infra commemorabimus, unis Sabaziorum solennibus impensam? Atque etiam ut istud demus, ubinam sunt tetradrachma urbium Asiae, quae tributorum, belli, commercii causa signari oportuit? quae quidem singula necessario plus sumptuum postulabant, quam quantivis Sabazierum apparatus, et quorum causa exactos cistophoros ipse vir eruditus non inficiatur [a]). Panelii doctrina si valebit, nihil obstat, quo minus statuamus etiam, tetradrachma Atheniensium causa Panathenaicorum, aut Thasiorum et Tyriorum causa Heracleorum fuisse vulgata, aut, quo minus antiquarii, qui post annos bis mille monetam nostram explicabunt, statuere possint, numos nostrates inscriptos PATRONA HVNGARIAE signatos causa festorum, quae Hungariae urbes in virginis deiparae honorem celebrare constituerint.

Panelii doctrinae, quae constitutae hujus monetae causam statuit vix probabilem, aliam oppono simplicem plane, et a Graecorum consuetudine et institutis derivatam. Ajo I., fuisse cistophores monetam huic Asiae minoris parti propriam, signatamque in quemcunque usum sive sacrum, sive profanum, perinde ut suam Atheniensibus, aliisque populis atque civitatibus. Probat istud ingens ejus copia, ut dixi, et dicetur amplius, tum et late perrectum Asianorum commercium ob bonitatem agri, et incredibiles proventus, quos prolixe commendat Cicero [b]). Eam vero exteris quoque probatam fuisse et adpetitam, comprobat praeda a L. Manlio de Gallograecis capta, cujus magna pars, ut infra exponam, cistophoris constitit. Ajo II., Asianos sic monetae suae impressisse Bacchanalia, ut Athenienses Palladem, Thasii et Tyrii Herculem. Nimirum ut hi illis dii principes fuere, sic Asianis Bacchus. Factum inde, ut Bacchi cista evaderet symbolum ani Asiae proprium. Sic in notis quinariis Augusti, inscriptis: ASIA. RECEPTA. fingitur Victoria cistae Bacchi insistens adsurgente hinc et inde dracone. De Baccho in hoc tractu educato multa habes apud mythologos; quae causa est, cur is prae aliis diis frequentius in ur-

a) pag. 110. seq. b) pro lege Manil.

Digitized by Google

bium Asiae numis typum faciat. Et vere Asianorum in hoc numen pietatem hinc metiare, quod cum insignem quempiam virum honoribus divinis adfecere, non illi Iovis aut Apollinis, alteriusve dei, sed Bacchi nomen impertivere. Sic teste Cicerone Mithridatem VI. Ponti regem dixerunt *Evium*, *Nysium*, *Bacchum*, *Liberum* a). Ipsi vero Asiani primi fuere, qui Antonium IIIvirum Bacchi nomine venerati sunt teste Plutarcho, cujus testimonium in ejus moneta recitamus, et quod confirmant ipsi cistophori, in quibus Antonii caput corona hederacea redimitur. Eadem de causa Antigonus Asiae minoris rex, ut auctoritatem sibi, et populi animos conciliaret, Bacchum instituit imitari, hederamque imponere capiti, et thyrsum gestare b). Non ergo Asiani signavere cistophoros propter Sabazia, sed numis instituti sui intulere Bacchum propter domesticam ejus dei religionem. Ajo IH., cistophoros communi urbium Asiaticarum consilio eodem pondere, metallo, typis esse percussos, atque idem factum causa commercii, quod inter vicinas has et locupletes urbes intercessit, quis dubitet, aut quis dubitare poterit, quando et decretum fuerat ab Achaeis, ut omnes foederis Achaici urbes non modo iisdem legibus, ponderibus, mensuris, sed etiam eadem pecunia uterentur c)? Ex eadem causa, ut pronum est credere, factum, ut urbes Graecae in Asia maritima sitae eodem exemplo tetradrachma Alexandri M. ferirent, sive adhortante rege, sive societate inita. Neque aliam puto causam tenoris aequabilis, quem videmus in moneta vicinarum Illyrici urbium Dyrrhachii et Apolloniae, aut etiam trium Cretae urbium Cydoniae, Gortynae, Hierapytnae, quae tetradrachma ad modum monetae Atticae penitus conformavere, ut minora alia et obvia exempla taceam. Cui ex marmoribus cognita sunt urbium Graecarum foedera ex causis saepe jejunis inita, non mirabitur, coaluisse urbes in communi monetae negotio sibi publice privatimque proficuo.

Has ego causas cum alteri praefero, quam ex Sabaziorum pompa duxit Panelius, nolim negare, factum nonnunquam, ut religionis nomine ferirentur numi, in quorum numero habendi videntur argentei ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΠΜΙ-ΘΕΩΣ, et ΑΘΗΝΑΣ. ΙΛΙΑΔΟΣ Alexandriae et Ilii Troadis urbium, verum pauci fuere id genus numi, neque eorum usus, quod cistophoris contigit, tam late patens.

Superest, ut, quo numero signati sint cistophori, commemoremus. Poteris hunc ex sequentibus testimoniis metiri. Man. Acilius Glabrio in triumpho de Antiocho M. et Aetolis ostentavit cistophorum ducenta quadraginta octo millia d). Non multo post L. Aemilius Regillus de Antiochi praefecto mari victo centum triginta unum millia e). L. Cornelius Scipio de eodem Antiocho trecenta triginta unum millia et septuaginta f). Eodem fere tempore Cn. Manlius Vulso in triumpho de Gallograecis ducenta quinquaginta mil-

a) pro Flacco c. 25. b) Herodian. in Commodo. c. Polyb. hist. L. II. 37. d) Liv. L. XXXVII. c. 46. e) Ibid. c. 58. f) Ibid. c. 59.

Digitized by Google

lia [a]). Tanta summa collecta fuit in bellis fere, uno codemque tempore gestis, et ex regionibus adhuc Antiocho M. subjectis. Scribit de se Cicero ad Atticum [b]): *Ego in cistophoro in Asia habeo ad IIS. bis et vicies; hujus pecuniae permutatione fidem nostram facile tuebere.* Pro tanta tamen horum numerum copia pars exigua ad nos pervenit; nam vulgo rari omnes habentur.

VII. Cistophori improprii.

Hoc nomine non intelligo numos varii metalli et voluminis, quibus cista mystica, serpentes, aliaque bacchanalia insculpta sunt, quae privatum tantum Bacchi cultum arguunt, qui non modo intra, sed et extra fines provinciae Asiae late valuit, sed eos, qui vario modo in cistophorum communionem videntur recepti, quales sunt:

IMP. CAESAR. DIVI. F. COS. VI. LIBERTATIS. P. R. VINDEX. *Caput Octaviani laureatum.* ℞ PAX. *Mulier stans d. caduceum, in area cista mystica, super qua serpens, omnia intra laurcam.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Dixi supra variis locis, ineunte saeculo VIII. urbis conditae sinceros cistophororum typos sensim immutatos. Postremi, quos cistophoros jure dixeris, etiam Antonii IIIviri non nomen solum, sed et effigiem ostentant. Biennio post Antonii mortem casi numi praesentis argumenti, docente istud consulatu VI. Octaviani, qui est anni V. C. 726. Dubium non videtur, typo cistae Bacchi et serpentis indicari Asiam, cujus haec signa symbolum fuere, quae sententia illustratur quinariis obviis eodem tempore signatis cum capite ejusdem Octaviani, in quorum aversa: ASIA. RECEPTA. *Victoria insistens cistae mysticae adsurgentibus binis draconibus inclusae.* At cum fere certum sit etiam, argenteos maximi moduli non esse monetam urbis, sed peregrinam, quam doctrinam latius probabo in moneta Augustorum, certum etiam perinde, id genus numos in Asia nostra signatos, et esse velut rudera, in quae illustris cistophorerum series denique desivit.

* * *

Caput Palladis, in cujus facie signum incusum, referens arcum cum pharetra, juxta scriptum ΠΕΡΓΑ., *in alio:* ΣΑΡ., *in alio:* ΤΡΑ. ℞ *Victoria gradiens, et d. lauream praeferens, in area malum Punicum.* AR. m. m. (Mus. Caes. Hunter.)

Horum primum, inscriptum ΠΕΡΓΑ., editum reperies in mea Sylloge I. [c]), alios duos ex museo Hunteri edidit Combius inter numos Sides Pamphyliae, ad quam eos urbem pertinere necesse non est, ut iterum moneam. Advertit animum, omnes tres numos recusos in urbibus ejusdem provinciae, nempe Asiae, quae subinde proconsularis dicta est, ac praeterea in iis tantum, in quibus signati sunt cistophori, ac denique, quod in signum recusum lecta pharetra et arcus, quod utrumque perpetuus est typus in cistophoris vetusti modi. Ex quo licuit conjicere, ut eodem in opere dixeram, illustres hos Sidetum numos

a) Ibid. L. XXXIX. c. 7. b) L. XI. ep. 1. c) pag. 41.

Digitized by Google

ab Asiana in cistophororum communionem admisses constituto valore domesticae suae monetae analogo, atque in ejus rei testimonium notatos signo, quod cistophoris proprium fuit. Istud si verum, habemus numos, qui cistophori sint non quidem natura, sed adoptione. Quod hactenus conjectura est, evidens erit, cum aliquando Ephesi quoque, Laodiceae, et Apameae nomina in similibus Sidetum numis legere contigerit.

CAPVT XIX.

DE NVMIS INSCRIPTIS ANEΘHKE.

Horum naturam numorum qui data opera explicaret, hucusque, quod norim, repertus est nemo. Et tamen videntur curatius aliquod examen promereri, cum quod eorum agmen in justum jam numerum excrevit, tum ipsius argumenti causa. Eos primum, quotquot mihi in conspectum venere, ordine enarrabo, deinde quis sit vocabuli ANEΘHKE sensus, planius edocere connitar.

Achaei. In antica: Ὀφέλλιος Μαρτέλλος ἱερεὺς τῦ Αντίνου, *Caput Antinoi*, in aversa: ANEΘHKE. TOIC. AXAIOIC. in aliorum aversa: ANEΘHKE. KOPINΘIΩN *typis variis.*

Adramytium Mysiae. EIPHCIOC. ANEΘHKE, ΑΔΡΑΜΤΤΗΝΩΝ. *Ceres sedens*, in numis Antinoi.

Ancyra Phrygiae. IOTΛ. CATOPNINOC. ANKTPANOIC. *Mensis stans*, in numis Antinoi.

Aninesum Lydiae. KTIMENOC. I ANINHCIOIC. *Diana Ephesia*, in autonomo.

Aphrodisias Cariae. MENHITTOC. KAI. ZHNΩN. ANEΘEC. *Mulier stolata stans*, solito horum Aphrodisiensium typo, in numo Domnae.

Arcades. BETOTPIOC, *Caput Antinoi.* I TOIC. APKACI. *Equus gradiens.*

Aureliopolis Lydiae. ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗC. CTPA. ANEΘH. ATPHΛIOΠΟΛITAIC. *typis variis*, in numis Commodi.

Bruzus Phrygiae. MAPK. POTΦINOC. BPOTZHNΩN. ANEΘHKEN. *typo Hygiae*, in numis Severi.

Byzantium Thraciae. IEPOMNA. AIAI. CEOTHPOC. BTZANTIOIC. *Victoria stans ante aram, supra quam galea*, in numo L. Veri.

Digitized by Google

Chalcedon Bithyniae. ΙΠΠΩΝ. ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΟΙC. *Antinous grypho volante vectus*, in hujus numis.

Colossae Phrygiae. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟC. ΟΤΛ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *Mulier stans d. globum, s. hastam*, in autonomo.

Corinthus Achaiae. Vide supra in *Achaeis.*

Cyme Acolidis. ΙΕΡΩΝΤΜΟC. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΚΤΜΑΙΟΙC. *Pallas stans*, in numo Antinoi, vel: *Isis supra triremem*, in numo Ant. Pii. — ΑΙΛ. ΕΡΜΕΙΑC. ΠΡΤΤ. ΚΤΜΑΙΟΙC. *typis variis*, in numis Valeriani et Gallieni, et autonomis.

Hydrela Cariae. ΑΠΕΛΛΑC. ΑΝΕΘΗΚΕ. *Mercurius stans*, in autonomo.

Iulia Phrygiae. ΑΤΤΑΛΟC. ΙΟΤΛΙΕΤCΙΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. *Aurelius et Verus stantes dexteras jungunt*, in numo M. Aurelii.

Laodicea Phrygiae. ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC. ΤΡΑΜ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *variis typis*, in numis Hadriani et Sabinae.

Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟC. ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Iuppiter Laodicenus*, in numo M. Aurelii. — Eadem epigraphe: *Nemesis alata stans*, in autonomo. — Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟC. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Venus nuda stans*, in numo M. Aurelii. — ΑΤΤΑΛΟC. CΟΦΙCΤΗC. ΤΑΙC. ΠΑΤΡΙCΙ. CΜΤΡ. ΛΑΟ. *typis variis*, in numis M. Aurelii. Λ. ΑΙΛ. ΠΙΓΡΗC, ΑCΙΑΡΧΗC. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *Aedificium multis figuris refertum*, in numis Caracallae.

Mylasa Cariae. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΜΤΛΑΣΕΩΝ. *Bacchus in quadrigis.* Σ ΘΑΛΑΣΤΟΣ. aliis ΘΑΤΜΑΣΤΟΣ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *intra coronam quernam*, Numus Augusti.

Otrus Phrygiae. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΑCΙΑΡΧΗC. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΟΤΡΟΗΝΩΝ. *typis variis*, in numis Domnae, et Caracallae.

Smyrna Ioniae. ΠΟΛΕΜΩΝ, vel: ΙΕΡΩΝΤΜΟC, vel: ΘΕΤΔΙΑΝΟC. ΑΝΕΘΗΚΕ. CΜΤΡΝΑΙΟΙC. *typis admodum variantibus*, in numis Hadriani, Antinoi, M. Aurelii, et autonomis.

Temenothyrae Lydiae. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΤCΙ. praemissis variis ἀρχόντων vel ἀρχιερέων nominibus, admodum etiam variantibus typis, in numis copiosis inde a Gordiano usque ad Saloninum.

* * *

Iam primum formulae totius naturam expendamus. Ejus, qui aliquid ἀναθεῖναι dicitur, nunquam omittitur nomen, neque facile populus, in quem istud sive beneficium sive honos collatus. Supprimitur nomen populi in numis Colossarum et Hydrelae, quia jam in parte antica legitur ΔΗΜΟC. ΚΟΛΟCCΗΝΩΝ. et ΤΔΡΗΛΕΙΤΩΝ. Populus in dandi casu plerumque effertur, ut vidimus, non raro et in gignendi casu, ut ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ., sed tum dubium non est; suppressum τῇ πόλει, vel τῷ δήμῳ, sic ut sensus sit: ΑΤΤΑΛΟC. ΑΝΕΘΗΚΕ. τῷ δήμῳ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ., quo modo et in nota epigraphe numi Ephesii: ЄΦЄCΙΩΝ. Η. ΠΡΩΤΗ. ΠΑCΩΝ. ΚΑΙ. ΜΕΙCΤΗ. subaudire oportet: Η. ΠΡΩΤΗ. πόλις, et ΠΑCΩΝ. πόλεων. Denique non raro supprimitur ipsa vox ΑΝΕΘΗΚΕ.

At enim ut haec quaecunque suppres-

sa facile possunt expediri, sic minus facile est adfirmare, quid sid illud, quod in his numis ἀνατεθηναι dicitur. Legimus: ΠΟΛΕΜΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. CMTPNAIOIC. sed quid? Nimirum accusandi casus semper supprimitur, dempto numo Laodiceae, ΑΤΤΑΛΟC. ΕΠΙ. ΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ., sed et in hac epigraphe το ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ varie potest accipi, ut dicetur. Quo incerto factum, ut eruditorum etiam sententiae in hujus formulae explicatu dissiderent. Fluctuare enimvero visus Buonarrotius, eruditus sane ac perspicax, cum ad citatam supra Aureliopolis epigraphen observat, Apollonidem erexisse, vel donasse Aureliopolitanis similem aliquam Apollinis statuam, qualem in numo suo vidit, vel aedificasse templum aliquod in ejus dei honorem, vel ludos Apollinares instituisse [a]). Sane in eo plerique acquievere, ab eo, qui ἀναθεναι perhibetur, positum monumentum aliquod ei simile, cujus imaginem numi aversa sistit. Sic Harduinus explicans voces: ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ., quae sunt in numo Laodiceae typo Iovis stantis, ait: *cui statuam posuit ob victoriam imperatori datam Claudius Attalus* [b]). Aliis placuit vocem ἀνεθηκεν ad numum ipsum referre, ut visum Seguino, qui ab Hippone in honorem Antinoi dicatum a Chalcedoniis numisma contendit [c]). Ex quo apparet, eidem controversiae esse obnoxiam vocem ΑΝΕΘΗΚΕ, cui vocem RESTITVIT in Latinis restitutionum numis, nam et in his suppressus accusandi casus dubium movit, utrum dicatur restitutus numus, an monumentum, quod numus objicit, restitutum.

Qua de re ut recte judicari possit, necesse est, in vocabuli ἀνατιθημι naturam curatius inquirere. Omissis variis significationibus cum propriis tum impropriis, quas dabunt lexicographi, eas tantum in medium adducam, quas in marmoribus reperi, et causam praesentem poterunt juvare. Generatim ea dicebantur ἀνατιθεσθαι, quae sive voti causa, sive referendae gratiae, sive pietatis suspendi in templis aut collocari solebant, ut signa, tripodes, arae, arma, crateres, epigrammata, et similia, quod Latinis dicebatur DONVM. DEDIT., vel: DONVM. POSVIT. plerumque literis D. D. expressum, saepe etiam DEDICAVIT. Ejus generis fuere, quae in insigni marmore, quod edidit Chishullius [d]), Seleucus rex Apollini Milesio obtulisse perhibetur. Frustra est Mazochius, qui ἀνεθηκε tantum dictum putat de rebus, quae loco moveri et transferri possunt [e]). Contrarium docent non pauca veterum monumenta. Etenim secundum marmor, quod infra citabo, Sextilius *pontem γεφυραν ἀνεθηκεν*. Alibi Xenocrates et Eumarides Θεοις Σεβαστοις και τη πολει την κρηνην και το ἐποικιον και την τυ ὑδατος ἐισαγωγην ἀνεθηκαν, *deis augustis et urbi fontem et juxta domicilium, et aquaeductum dedicaverunt* [f]). In Cebetis tabula: το ἱερον και την γραφην ἀνεθηκε τῳ Κρονῳ, *templum et pictu-*

a) Osserv. ist. p. 142. b) opp. sell. p. 92. c) num. sel. p. m. 154. d) Ant. Asiat. p. 66. e) in tit. Camp. amph. p. 86. f) Spon Vogage T. III. part. II. p. 10.

Digitized by Google

ram dedicavit Saturno a). Quin et Lucianus hominum perstringens superstitionem haec de iis: ὑλας ἀπετεμοντο, και ὀρη ανεθεσαν, *silvas sacravere et montes dedicavere* b). Ipsam adeo urbem dedicatam habemus apud Herodotum c), nam Ephesii a Croeso obsessi ἀνεθεσαν την πολιν τῃ Αρτεμιδι, *dedicaverunt urbem Dianae*. Denique quod magis insolens, Θεοφιλος την κονιασιν τε παστοφοριε και την γραφην των τε τοιχων και της ὀροφης και την ἐγκαυσιν των θυρων κ. τ. λ. ἀνεθηκεν Σαραπιδι κ. τ. λ. *Theophilus dealbationem pastophorii, et picturam parietum et laquearis, et opus in portis encausticum etc. dedicat Sarapidi etc.* d). Solebant etiam ἀνατιθεσθαι viri honorati, ut cum Ηρωδην Αττικον ἡ Αντιοχις φυλη ἀνεθηκεν, *Herodem Atticum Antiochis tribus dedicavit* e), aut cum Θεοφραστον οἱ κατοικουντες ἐν Δηλῳ ἀνεθηκαν Απολλωνι, *Theophrastum habitantes in Delo dedicaverunt Apollini* f). Sed tum eorum esse intelligenda simulacra praeter testimonia alia diserte docet marmor Chandleri g): Τουτεκα μιν (Θεοδωρον) κατα ἀρχ Θεμιστοκλης ἀνεθηκε Εικονι λαϊνεῃ. *Quapropter illum* (Theodorum) *in urbe Themistocles posuit imagine lapidea.* Eodem modo explicandum praeclarum marmor, quod recitat Gruterus h):

ΘΕΑΝ. ΚΟΡΗΝ. CAPΔIANOIC.
Λ. ΑΤΡ. CATTPOC.
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ CEBACTΩ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Deam Proserpinam Sardianis
L. Aur. Satyrus
Libertus Augusti
dedicavit.

id est: signum deae, quae princeps Sardibus numen fuit, in Sardianorum gratiam posuit, faciandum curavit. Legimus in marmore alio, quod vulgavit Corsinius i):

ΕΤΜΗΛΟΝ. ΘΕΟΝ. ΠΑΤΡΩΟΝ.
ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ. ΕΤΜΗΛΕΙΔΩΝ.
Τ. ΦΛΑΟΤΙΟΣ. ΠΙΟΣ.
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Eumelum deum patrium
fratriae Eumelidarum
T. Flavius Pius
Curator dedicavit.

Bina haec illustria exempla docent, potuisse populo, vel conlegio, quae erant inferioris ordinis, dedicari simulacra deorum, qui erant ordinis superioris. At non ita visum delicatioribus aliis, quibus iniquum est creditum, dedicari quid alicui, qui vel aequalis fuit ordinis, multo adeo minus, qui fuit inferioris. Atque hac in sententia legimus fuisse Ephesium illum, qui Alexandro M. sumptus in templi Ephesii restitutionem offerenti ea lege, ut rex ipse operi inscriberetur, respondit: ὡς ὐ πρεπει Θεῳ Θεοις ἀναθηματα κατασκευαζειν, *non decere, deus qui esset, aliquid moliri, quod diis dedicaret* k). Amare in L. Mummium invehitur Dio Chrysostomus, dum

a) cap. II. b) de sacrific. c) L. I. c. 26. d) Spon. l. c. p. 191. e) Spon. l. c. p. 220. f) marm. Oxon. p. 97. g) inscr. ant. p. 58. h) pag. 87. 3. i) Dissert. gon. in Isthm. §. XIV. k) Strabo L. XIV. p. m. 949.

Digitized by Google

eum *hominem rudem, et omnis decori penitus ignarum* appellat, ἀνθρωπον ἀπαιδευτον, και μηδενος των καλων πεπειραμενον, quod in Corinthi expugnatione motum loco Neptuni Isthmii simulacrum Iovi dedicavit, ἀνεθηκε τῳ Διι. Nimirum, ut continuo addit: φευ της ἀμαθιας, τον ἀδελφον ὡς ἀναθημα, *stuporem hominis attendite, fratrem dedicat* a). Denique fuere, qui se ipsos, nempe imagines suas, diis dedicarunt ejus teste Dione Chrysostomo b): και πολλους (ἀνδριαντας) ἰδειν ἐξιν ἐστως ἐπιγεγραμμενους, ὁιαν ὁ δεινα ἑαυτον ἀνεθηκε, ἡ τον πατερα, ἡ τον υἱον ὁτῳ θεων, *et multas statuas videre est sic inscriptas: hic vel ille dedicavit semet ipsum, vel patrem, vel filium huic, illive deorum.* Narrat Plutarchus c), stetisse Eleusine signum Isocratis hoc carmine inscriptum:

Τιμοθεος φιλιας τε χαριν, ξενιητε πρεσβυτιμων
Ισοκρατους εἰκω τηνδ' ἀνεθηκε θεαις.
Timotheus causa amicitiae, et hospitium reverens
Isocratis imaginem hanc dedicavit deabus.

Dicebantur etiam statuae ἀνατιθεσθαι, cum imposita ab artifice suprema manu ad destinatum locum deportabantur. Narrat Polybius, regem Prusiam graviter succensuisse Byzantiis, ὁτι ψηφισαμενων τινας εἰκονας ἀυτω, ταυτας οὐκ ἀνετιθεσαν, ἀλλ' εἰς ἐπισυρμον και ληθην ἀφοιτων, *quod decretas sibi quasdam imagines non collocassent, sed ludibrio et oblivioni tradidissent* d). Erat etiam ἀνατιθεναι idem, quod *testamento legare.* Sic in psephismate Attalistarum perhibetur Crato Attalistis ἀναθεινω, seu *testamento legasse pecuniam, servos,* aliaque e). Laxior fuit ejus significatio verbi, cum positum fuit pro *faciundum curare.* Sic in insigni marmore bilingui Ephesio, quod ediderunt autoptae tres, Sponius f) Chishull g), Chandlerus h) et Augusti aetate posito, extrema verba τῃ γεφυραν ἐκ των ἰδιων ἀνεθηκεν Latine redduntur: *pontem de sua pecunia faciundum curavit.*

Idem etiam eruitur ex marmore Spenii i), in quo το ἀνεθηκεν nullo discrimine miscetur cum κατεσκευασεν, ἐποιησεν, ἐπεσκευασεν. Vt apud Latinos aliud fuit *dicare*, aliud *dedicare* seu *consecrare*, sic et apud Graecos aliud ἀνατιθεναι, aliud καθιερωσαι. Sic in marmore Laodiceno apud Muratorium k) Νεικοστρατος τουτον λιθον ἀνεθηκεν καθιερωσαντος Τραιανου. *Nicostratus hunc lapidem erexit*, vel: *dicavit, Trajanus consecravit.* Inverso modo in citato supra psephismate Crato το Ατταλειον, ὁ και ζων καθιερωκει, τοις Ατταλισταις ἀνατιθησιν, *Attaleum, quod et vivus consecravit, Attalistis dicat*, id est hoc loco: *testamento legat.* Denique το ἀνατιθεναι ad sacra perinde ac profana valuit. Exempla rerum diis ἀνατιθεντων abunde hucusque vidimus. Sed eadem haec marmora, quae recitavi, commemorant ἀνατεθεντα τῃ πολει, τῳ δημῳ, τῃ πατριδι, quo modo Herodem M. variis urbibus ἀναθεινai ἀλση και λειμωνας,

a) Orat. XXXVII. Corinth. p. 466. b) in Rhodiaca. c) Vitae X. orator. p. m. 858. d) hist. IV. c. 49. e) Chishull. ant. Asiat. p. 139. f) Voyage T. III. p. 136. g) Ant. As. parte II. p. 11. h) inscr. ant. p. 11. i) Misc. p. 363. k) p. 446. 5.

Digitized by Google

dono dedisse lucos et prata, refert Iosephus a), quibus adde epigraphen numorum, in quibus cumus, ANEΘHKE. KTMAIOIC. CMTPNAIOIC. Neque etiam loci religio semper requirebatur. Sic cum narrat Herodianus, Elagabalum suam, deique sui imaginem in tabula depictam Romam praemisisse, in media curia loco edito collocandam b), aut Maximinum depicta maximis imaginibus bellica sua facta ante curiam exponenda curasse c), semper tum verbo ἀνατιθεναι utitur. Quanquam ut apud Latinos *dedico* et *consecro*, sic et apud Graecos ἀνατιθεναι et καθιερευν passim permutabantur, et sacra iis fuere, quae vulgo profana habentur, ut θεοι σεβαζοι, ἱερα συγκλητος, ἱερος δημος, toties in numis memorati, et Romanis curia etiam *templum* dicta.

His ergo praemissis videamus, utra sententia magis verisimilis, an eorum, qui formula ANEΘHKE intelligi volunt, positum oblatumque populo monumentum vel statuam ejus generis, quale in numo conspicitur, an eorum, qui hac formula oblatos populo ipsos hos numos censent. Prior multis de causis magnopere laborat. Primum, cur in numis unius ejusdemque viri, qui ἀναθηκαι dicitur, v. g. Polemonis, Attali, Hostilii Marcelli etc., tam varii occurrunt typi? an unus idemque vir tam varias dedicavit statuas, et monumenta? Deinde in numis hujus argumenti occurrunt plerumque typi urbium domestici, sic in numis Smyrnae Nemesis, Laodiceae Iuppiter Laodicenus, Ancyrae deus Mensis, Aphrodisiadis Venus, ex quo patet, inserta numis haec numina solitae venerationis causa, atque ex communi more, non quod eorum signa nunc tandem ab his illisve fuere dedicata. Denique repraesentari videmus in id genus numis res, quae in monumentum publicum servire non poterant, ut in Smyrnaeis Polemonis numis taurus, panthera, prora navis, aries; in aliis equus, gryphus etc. Denique in numis v. g. Temenothyrarum inde a Gordiano usque ad Saloninum perpetuum est THMENOOTPETCI addito archontis nomine, variisque typis. An vero omnes hi magistratus, ac tam diversi et diversae aetatis aliquid dedicavere?

Longe igitur praeferenda sententia altera, quae το ANEΘHKEN ad numum refert, nam tum ruunt difficultates omnes, quae priorem alteram impediunt. Longus sim, si lautiorum virorum in cives suos liberalitates, celebratas infinitis marmorum praeconiis, vellem recensere, quae sive festorum ludorumque solennibus, sive epulis et visceralionibus, sive etiam eroganda pecunia stetere. Horum ergo causa percussi tum hi nummi, et viritim distributi ad eum fere modum, quo Romae congiaria, atque ut in horum numis legimus CONG*iarium* DAT*um* P*opulo* R*omano*, nempe a Nerone, cujus caput est in antica, sic in praesentibus: OCTIAIOC. ANEΘHKE. TOIC. AXAIOIC. Imperatori satis fuit dicere *congiarium datum*, quia superior dedit inferiori, at Graeci sanctius vocabulum ANEΘHKE attulerunt, quia numos hos quodammodo dedicaverunt populo, qui, ut diximus, sacer vulgo est habitus. Atqui το ἀνατιθημι valuisse etiam ad pecuniam, docemur a citato supra psephismate, in quo Crato ἀνατιθησι τη συνοδω ἀργυριου

a) Bell. Iud. L. I. c. 21. §. 11. b) L. V. in Elagab. c) L. VII. in Maximino.

Digitized by Google

Αλεξανδρινα δραχμας μυριας και πεντακοσιας. Festorum occasione similes percussos erogatosque numos vel illud persuadet, quod major horum pars Antinoi caput praefert, Graeculis nimirum in Hadriani gratiam hujus exoleti memoriam insana ludorum pomparumque frequentia celebrantibus. Verisimile est etiam, id genus numos non semper ordinariae pecuniae rationem habuisse, sed edites saepe extra ordinem, ad eum fere modum, quo Romanorum contorniatos. Sane quo tempore Hostilius Marcellus suos ἀναθεσεως numos Corinthi publicavit, hosque maximo modulo conspicues, ordinaria Corinthiorum moneta fuit Latine inscripta, et coloniae nomine, et aeris mediocris. Secundum has adeo leges facile explicabis epigraphen numi Laodiceni cum capite M. Aurelii: Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟC. ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝЄΘΗΚЄ. Facile perspicimus, verbo ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ intelligendum munus aliquod causa victoriae M. Aurelio imperante de Parthis relatae ab Attalo civibus erogatum, de quo satis egi in moneta Laodiceae Phrygiae. Nimirum quemadmodum Marius quidam, ut est apud Gruterum a), τῃ Τυχῃ ἀνεθηκεν χαριστηριον, *Fortunae dedicavit munus referendae gratiae causa*, sed in oratione suppressum, aut quemadmodum, ut est in numis Antiochiae Syriae, ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ στεφανον ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ἀνεθηκαν, *Caesari Augusto summo pontifici archieraticam* coronam *Antiocheni* dedicant, suppresso στεφανον, *coronam*, sic et credibile est sub ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ intelligendum νομισμα ab Attalo victoriae causa populo dedicatum, erogatumque. Iam vero, quod huc praeclare facit, et aliunde notum, sub solitariis adjectivis ΘЄΣΠΙΚΟΝ — ΑΡΚΑΔΙΚΟΝ. — ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ, et quae similia alia in numis occurrunt, subaudiendum νομισμα, et quod sequitur, ἀναλογως sub ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ intellige νομισμα.

CAPVT XX.

DE CHARACTERIBVS CHRONOLOGICIS.

Characteres chronologici duplicis sunt generis, quorum unum suppeditant cursus siderum, variaeque eorum inter se σχεσεις, quales sunt eclipses, conjunctio-

a) pag. 75. 7.

Digitized by Google

nea et similia a veteribus observata, ac memoriae prodita, quae deinde astronomicis calculis subjecta multum valent ad figendam rerum vetere aevo gestarum aetatem. Alterum consistit in clara ac distincta mentione temporis, ceu annorum epochae, vel principatus, indictionum, mensium, dierum, quin nonnunquam horarum quoque, quam fieri videmus in moneta vetere, marmoribus, aliisque monumentis, tum et ab historicis, qui sive gentium fastos, sive quascunque res gestas posteritati transmisere. Pars prior nostri instituti non est, abunde discussa a viris summis, qui de temporum doctrina scripsere. Neque vero etiam omnes alterius generis partes ad nos pertinent, quia numi praeter annos epochae, vel principatus, rarius menses et dies, nihil offerunt, quod ad temporum rationem proprie spectat.

Praesentis ergo capitis commentarii universam materiam in plures sectiones divident, quarum prima aget de epocha, II. de epochis, urbium, populorum, regum monetae inscriptis, earumque initio. III. de modo, quo anni in numis scribi consuevere. IV. de epochis in moneta vetere latius patentibus. V. De variis unius ejusdemque urbis epochis. VI. De epocha duplice in uno eodemque numo. VII. de anni apud veteres initio. VIII. de modo epocharum exordia eruendi. IX. de annis principatus et magistratus. X. de numis inscriptis ETOTΣ. NEOT. IEPOT. XI. de mensibus et diebus.

SECTIO I.

DE EPOCHA.

Epocha est tempus arbitrarium, a quo, tanquam capite, causa memorabilis eventus, anni computantur. Dicitur etiam *Aera*, quod vocabulum ab Hispanis praecipuo quodam usu celebratum fuisse monet Petavius. Epocharum copiosa habemus omni aevo, atque inter omnes cultas nationes exempla. Anno urbis conditae 723., ante natum Christum 31., die 2. Septembris, Octavianus M. Antonium et Cleopatram maritimo praelio ad Actium vicit, a quo deinde anno plures populi observandi Augusti causa, cui ab ea victoria orbis imperium cessit, annos suos duxere. Natus est Christus exeunte anno urbis conditae 753. secundum calculum Dionysii Exigui, atque inde Christiani tempora nostra metimur, saltem secundum usum et consensionem, nam compertum est denique, aeram Christianam aliquot annis esse anticipandam, sed quod examen hujus loci non est. Anno post Christum 622. Muhammedes

Digitized by Google

Arabum propheta et legislator, propter doctrinae novitatem invisus, fugam arripere est coactus, a quo anno omnes hodie Arabes epocham suam ducunt, quam *Hegiram* appellant, id est: *persecutionem*. Vides, omnes has aeras a memorabili quodam eventu proficisci, et parum interest, utrum fausto, an funesto. Vt integrae nationes, sic seorsim civitates ac oppida suas habuere epochas suomet arbitrio adoptatas, ut proxime docebitur. Propriam per jocum sibi finxit Cicero. His enim verbis clausit epistolam ad Atticum: *Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto* a), qua is occulta oratione intellexit caedem P. Clodii sibi infensissimi, cujus nuntium tanta voluptate accepit, ut res digna videretur, a qua deinceps tempora numeraret. Eam vero ipsam alibi quoque indicavit his verbis b): *Ephesum venimus a d. XI. Kal. Sext. sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillam.*

Graeci generatim, tum et Romani duplice modo annos signare sunt soliti, I. constitutis epochis, ut mox diximus, II. magistratibus eponymis. Epocha omnium celeberrima, et quae ad universam Graeciam valuit, fuere ludi Olympici, qua usi praecipue sunt non modo annalium scriptores, sed etiam alii passim tum, cum illustris cujusdam facti memoriam certo, omnibusque cognito anno placuit notare. Haec epocha in numis necdum fuit observata, si demas Anazarbi Ciliciae numos: ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. ΟΛΥΜΠ. ΘΖЄ. *anno sacro Olympico* 269. sed qui annus non celebres illos ludos Olympicos in Elide, sed privatim Anazarbi actos respicit, ut diximus in ejus urbis moneta. Alias deinde epochas certo regionum tractus, alias privatim civitatibus fuisse propria, mox diximus, et satis infra patebit. Romani usi sunt aera urbis suae conditae, eamque non raro a scriptoribus suis usurpatam legimus. Ex calculo M. Varronis, ut testatur Plutarchus c), condita fuit Roma Olympiadis VI. anno III. ex. ante diem XI. Kal. Majas, cui respondet annus ante Christum 754., periodi Iulianae 3960., quo deinde die acta quotannis Palilia, sive Parilia. At vero Varroniana haec epocha non a dicto anno et die, sed a proxime sequentibus Kalendis Ianuariis anni proleptici Iuliani ante Christum 753. ducitur. Ea causa est, quod non satis constat, in quem anni Iuliani diem Romuli aetate Palilia, sive natalis urbis, inciderint. At secundum sententiam Verrii Flacci in fastis Capitolinis Romae conditae in Kalendas Ian. anni sequentis, nempe A. X. 752. differtur. Vtra sit probabilior, difficile est arbitrari. Aliae adhuc fuere ab his diversae sententiae Catonis, Fabii Pictoris, Polybii, Anonii, aliorumque, de quibus vide chronologos, ac praecipue Panvinium d), Petavium e), Pagium f). Nos in universo hoc opere Varronianam secuti sumus, quam inde a morte Augusti in monumentis publicis magis usurpari coeptam, et nunc maxime probari eruditis video. Hujus epochae in unico tan-

a) L. VI. ep. 1. b) ad Attic. L. V. ep. 13. c) in Romul. p. 23. seq. d) L. I. Fastorum. e) Doctr. tem. L. IX. c. 49. f) Crit. Baron. ad V. C. 1053. n. 15.

Digitized by Google

tum numo, eoque aureo et aeneo Hadriani fit mentio: ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CON., quem amplius descriptum, explicatumque vide in moneta hujus imperantis. Magistratus eponymos, sive qui quotannis lecti anno nomen dabant, singulae habuere civitates. Magni inter hos nominis fuere archontes, Atheniensium eponymi, quorum extra Athenas quoque, haud dubie propter urbis claritudinem, frequens in concinnandis fastis, et universa chronologia usus fuit, quod apparet ex celebri marmore Pario, Diodoro Siculo, aliisque. Eodem modo apud Syracusanos sacerdotes dicti amphipoli, alibi strategi sive praetores, prytanes, stephanephori etc. annos signabant, de quo magistratu urbium eponymo altius separato articulo egimus [a]). Eadem ratione Romanis quoque suos consules fuisse eponymos, inter omnes constat, quos sensim ipsi quoque Graeci in temporis mensuram admisere, ut istud non quidem numi, a quibus perpetuo absunt, sed marmora, aliaque monumenta docent. Atque duplice hoc modo, partim epochae annis, partim magistratibus eponymis civitates Graecas devexo etiam imperio suos numerasse annos, constat ex novella XLVII., qua praecipitur, ut civitates in actis suis publicis praeter annum suum, quem quocunque modo inscribere consueverunt, adscriberent annum imperantis, consules, indictionem, mensem, diem.

SECTIO II.

DE EPOCHIS, VRBIVM, POPVLORVM, REGVM MONETAE INCRIPTIS, EARVMQVE INITIO.

Damus hoc capite catalogum urbium, populorum, regum, in quorum moneta hactenus epochae anni sunt observati, addito ejus initio in annis urbis conditae Varronianis.

	V. C.
Abilae Leucadis Decapoleos — — —	690.
Abonitichеos Paphlagoniae ex numo dubio, forte	803.
Aegarum Ciliciae — — — — —	707.
Agrippiadis Iudaeae — — — — —	incertum.
Alexandriae ad Issum Ciliciae — — —	687.
Alexandriae Troadis, forte — — —	454.

a) Cap. II.

Digitized by Google

	V. C.
Amasiae Ponti — — — — —	747.
Amastrios Paphlagoniae — — — —	incertum.
Amisi Ponti — — — — —	721.
Anazarbi Ciliciae epocha I. — — —	773.
II. — — —	735.
Antiochiae Ciliciae ad Sarum — — —	735.
Antiochiae Decapoleos ad Hippum — —	690.
Antiochiae Syriae, epocha I. — — —	442.
II. — — —	690.
III. — — —	705.
IV. — — —	723.
Apameae Bithyniae, forte — — —	473.
Apameae Syriae, epocha I. — — —	442.
II. — — —	723.
Aradi Phoeniciae — — — — —	495.
Arethusae Syriae — — — — —	685.
Ascalonis Iudaeae, epocha I. — — —	442.
II. — — —	656.
III. — — —	696.
Augustae Ciliciae — — — — —	773.
Balaneae Syriae — — — — —	630.
Berhaeae Macedoniae, circiter — — —	693.
Beryti Phoeniciae — — — — —	incertum.
Bithyniae, forte — — — — —	473.
Bostrae Arabiae — — — — —	858.
Botryos Phoeniciae, forte — — — —	705.
Bybli Phoeniciae — — — — —	incertum.
Caesareae Paniadis, epocha I. — — —	421.
II. — — —	751.
Caesareae Phoeniciae ad Libanum — — —	442.
Canathae Decapoleos epocha I. — — —	442.
II. — — —	690.
Capitoliadis Coelesyriae — — —	850 vel 851.
Cibyrae Phrygiae — — — — —	776.
Claudiopolis Bithyniae — — — —	incertum.
Comanorum Ponti — — — —	791 vel 792.
Cyrrhi Cyrrhesticae — — — — —	442.
Daciae provinciae — — — — —	1000.
Damasci Coelesyriae — — — —	442.
Dii Decapoleos — — — — —	690.

Digitized by Google

	V. C.
Diocaesareae Galilaeae, forte	858.
Dorae Phoeniciae	690 vel 691.
Dori Ciliciae, forte	623.
Emisae Syriae	442.
Ephesi Ioniae	incertum.
Epiphaneae Ciliciae	790.
Epiphaneae Syriae, epocha I.	442.
II.	690.
Flaviopolis Ciliciae	827.
Gabae Ituraeae	693.
Gabalae Syriae	707.
Gadarorum Decapoleos	690.
Gazae Iudaeae, epocha I.	693.
II.	882.
Germaniciae Caesareae Commagenes	791.
Germanicopolis Paphlagoniae	747.
Hadrianopolis Bithyniae	incertum.
Hieropolis Cyrrhesticae	442.
Hyrgaleae Phrygiae	incertum.
Iconii Lycaoniae	incertum.
Irenopolis Ciliciae, forte	805.
Iudaeae liberatae	611.
Laodiceae Phrygiae, forte	577.
Laodiceae Syriae	706.
Laodiceae Coelesyriae ad Libanum	442.
Leucadis Coelesyriae epocha I.	717.
II.	801.
Mopsi Ciliciae	696.
Neapolis Samaritidis	825 vel 826.
Neocaesareae Ponti	816.
Neoclaudiopolis Paphlagoniae	747.
Nicaeae Bithyniae, forte	473.
Nicomediae Bithyniae, forte	473.
Nicopolis Iudaeae	824.
Nysae Samariae, forte	706.
Orthosiae Phoeniciae	442.
Paltenorum Syriae	incertum.
Pellae Decapoleos	690.
Petrae Arabiae	incertum.

Digitized by Google

	V. C.
Philadelphia Decapoleos — — — —	690.
Pompejopolis Ciliciae — — — —	687.
Prusae Bithyniae ad Olympum, forte — —	473.
Ptolemaidis Galilaeae — — — —	706.
Rabathmomae Arabiae — — — —	930.
Raphiae Iudaeae, circiter — — — —	693.
Regum Ponti et Bospori — — — —	457.
Regum Aegypti — — — — —	431.
Regum Bithyniae, forte — — — —	473.
Regum Parthiae — — — — —	443.
Regum Bactrianae — — — — —	442.
Rhosi Syriae, epocha I. — — — —	706.
II. — — — —	723.
Romae, conditae ante Christum 753., quae epocha legitur in aureo Hadriani.	
Samosatorum Commagenes — — —	824.
Scepsis Troadis — — — — —	incertum.
Sebastes insulae juxta Ciliciam — — —	735.
Sebastes Samaritidos — — — —	729.
Seleuciae Syriae epocha I. — — —	442.
II. — — —	645.
III. — — —	690.
IV. — — —	723.
Sidonis Phoeniciae epocha I. — — —	442.
II. — — —	643.
Sinopes Paphlagoniae epocha I. — — —	684.
II. — — —	709.
Tabae Decapoleos — — — — —	incertum.
Tarsi Ciliciae — — — — —	incertum.
Tavii Galatiae — — — — —	729.
Tiberiadis Galilaeae, circiter — — —	770.
Trallium Lydiae — — — — —	incertum.
Trapezuntis Ponti — — — — —	816.
Tripolis Phoeniciae, epocha I. — — —	442.
II. — — —	690.
Tyri Phoeniciae epocha I. — — —	442.
II. — — —	628.
III. forte — — —	954.
Viminacii Moesiae superioris — — —	993.
Zelae Ponti — — — — — —	816.

Digitized by Google

* * *

Erunt, qui in praesente catalogo variarum urbium epochas a viris eruditis promulgatas desiderabunt, sed quarum ego, quia jam nunc falsas esse constat, faciendam mentionem non duxi. Causas in singularum urbium moneta dedimus, quo praeterea loco quaerenda ea omnia, quae ad comprobandum aerae initium, ejusque constitutae causas pertinent.

Hanc seriem percurrenti continuo patebit, urbes populosve, qui epocham numis inscripsere, non esse nisi Asiaticos, urbem Graecorum Europaeam nullam, si Berhaeam Macedoniae demas. Negligo Daciam, et Viminacium, quorum coloni fuere Latini, et qui nonnisi a Gordiano et Philippo annos epochae numis suis inscripsere. Facile dedero, usum aerae domesticae in urbibus Europaeis non fuisse sic in morem inductum, ut fuit in Asiaticis, non desunt tamen exempla. Ex numis, ut vidimus, habemus aeram Berhaeae Macedoniae. Alia offerunt lapides. Infra sectione VIII. dabimus marmor repertum in arce Messeniae cum inscripto ЄTOTC, PNZ, *anno* 157. In eodem tractu repertum est marmor, quod nunc exstat Venetiis in illustri museo Iacobi Nanii, narratque, C. Iulium Epaphroditum magistratu functum TϘ. PqΔ. ETOΣ, *anno* 194 a). Sed utrobique caput epochae incertum.

SECTIO III.

DE MODO, QVO ANNI IN NVMIS SCRIBI CONSVEVERE.

Graecos alphabeti literis numeros signasse, inter omnes constat. Ratio talis fuit, ut elementa ab A usque ad Θ se consequentia constituant *monades*, a I usque ad q *decades*, reliquae a P centenarios. En valorem singulorum.

a) Biagi Monum. Graec. mus. Nanii p. 195.

Digitized by Google

Monades.

Α.	Β.	Γ.	Δ.	Ε.	ϛ.	Ζ.	Η.	Θ.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Decades.

Ι.	Κ.	Λ.	Μ.	Ν.	Ξ.	Ο.	Π.	ϟ.
10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.	80.	90.

Centenarii.

Ρ.	Σ.	Τ.	Υ.	Φ.	Χ.	Ψ.	Ω.	ϡ.
100.	200.	300.	400.	500.	600.	700.	800.	900.

Postrema haec tria elementa in numis non reperiuntur, nullius epochae anno eo usque progresso. Iam X valde rarum. Exstat in numo rarissimo Iconii Lycaoniae, qui est in museo Caesareo, scripto: ϛΠΧ. 686. tum in nonnullis numis Βhescuporis V. Bospori regis, scripto ϛΙΧ. ΔΚΧ. etc. 616. 624. etc.

Vnum hoc annos enunciandi compendium in Graecorum moneta valuit. At in marmoribus alio adhuc modo expressos numeros videmus, nimirum litteris cujuscunque numeri initialibus. Hac lege Π initialis τυ Πεντε significat 5., Δ. Δεκα, 10., Η veteris stili aspirata, Ηεκατον, 100., Χ. Χιλιοι, 1000., Μ. Μυριοι, 10000., quo modo aut annorum summae in marmore Pario, aut pecuniariae in marmore Sandvicensi exponuntur. Haec, quoniam a causa mea sunt aliena, non attingo, et videri possunt in Eduardi Corsini opere *de Notis Graecorum*, et quae is eodem in opere dissertatione VI., tum et illustris Ioannes Taylor in dictum marmor Sandvicense sunt commentati, denique in clarissimorum virorum Seldeni et Prideaux in marmor Parium, quod est inter Oxoniensia primum, observatis.

Ad numorum notas arithmeticas ut revertar, patet, eas omnes captas esse ex ordinario Graecorum alphabeto, demptis senario ϛ, nonagenario ϟ, et nongentis ϡ, de quibus aliquanto distinctius est agendum, pro meo tamen instituto parcius, nam liberalius in has notas commentati sunt egregius Christianus Schwarzius in suo Σχεδιασμα Φιλολογικον *de antiqua numeri senarii nota* Επισημον *dicta*, Mazochius in *Commentariis ad tabulas Heracleenses* p. 120. seq., atque ante hos multo cum eruditionis atque ingenii apparatu Ioannes Bouhier in *dissertatione de priscis Graecorum et Latinorum literis*, quae cum Montfauconii Palaeographia Graeca conjuncta est.

Graeci alphabetum in usus arithmeticos valiturum in tres ἐννεαδας, sive series nonarias, ut distincte supra vidi-

Digitized by Google

mus, diviserunt. Quia vero literas habuere non plures viginti et quatuor, necesse fuit, ad earum complementum tria aliunde signa mutuari. Tres igitur ad designandos numeros 6. 90. et 900. formas induxerunt, quas Επισημα, id est: *notas*, vocaverunt, quia proprie στοιχεια, id est: *elementa*, vel *literae* non fuerunt, etsi, ut videbimus, literae verae aliquando fuerint, aut ex veris literis compositae. Fecit usus, ut episemon deinceps sola nota senaria diceretur, reliquis duabus aliter compellatis, ut docebitur. Hunc Graecorum numerandi morem disertis verbis enarravit V. Beda libro de Indigitatione. *Graeci*, ait, *omnibus suis literis exprimunt numeros; verum toto alphabeti sui charactere in numerorum figuras extenso, tres, qui plus sunt, numeros notis propriis, quae ex alphabeto non sunt, depingunt. Prima est S, quae dicitur* Episemon, *et est nota numeri VII. Secunda est* ϙ, *quae vocatur* Koph, *et valet in numero XC. Tertia est* ϡ, *quae dicitur* Enneacosia, *quia valent DCCCC. etc.* Eadem tradit Favorinus in lexico sub Αριθμος, tum et alii citati a Bouhiero.

Auctores recentiores supra citati non pauca tradidere de forma, qua tres hae notae exarari solitae sunt in antiquis marmoribus, tabulis aeneis, tum et codicibus MSS. Nos eas tantum formas investigabimus, quas offerunt numi.

I. Episemon Vau, sive nota VI.

Ejus formas admodum variantes ex adcuratis picturis, cujus meriti prae aliis sunt Pellerinianae, repraesentabo, ut eas lector, cum libuerit, conferre ipse possit.

1) ϛ Haec episemi forma omnium maxime obvia; quapropter necesse non puto, ejus exempla adferre. Ejusdem omnino formae est nota ς, sive nexus literarum στ, quo in minuto charactere Graeco utimur, sed quae utriusque similitudo casui tantum debetur.

2) ϛ in numo Tabarum Decapoleos. (*Pellerin Rec. II. tab.* 85. *n.* 22.)

3) ϛ passim sic in numis Orthosiae, Sidonis, Aradi Phoeniciae urbium.

4) ϛ in tetradrachmo Seleuciae Syriae. (*Pellerin Rec. II. tab.* 80. *n.* 66.)

5) ⊏ in numo Tyri. (*Pellerin T. II. tab.* 83. *n.* 40.) tum in numis Ptolemaei Soteris, Sauromatae III. Bosporani, Nicomedis III. Bithyniae R. apud Pellerinium.

6) ⊏ in numo Antiochiae Syriae. (*Pellerin Mel. I. tab.* 8. *n.* 4.)

7) ϛ in numo Sidonis. (*Pellerin Suppl. II. tab.* 8. *n.* 2.)

8) ⊏ in numo Rhescuporis I. Bosporani. (*Cary Tab. I. n.* 10.)

9) ϛ in tetradrachmo Antiochiae Syriae cum capite Augusti. (*Morelli Impp. tab.* 13. *n.* 15.) tum passim in aliis ejusdem Antiochiae varia aetate cusis. (Mus. Caes. Item Hieropolis Cyrrhesticae. (*Mus. Caes.*)

10) ϛ in drachma Severi Caesareae Cappadociae, (*Mus. Caes.*) Neocaesareae Ponti, cujus olim memini in meis Numis vett. p. 167.

Digitized by Google

11) ϛ in numo Tyanorum Cappadociae. (Pembrock Part. III. tab. 80. n. 6.) Rhescuporis V. Bosporani. (Cary.)

12) ϥ in numis aeneis obviis Augustorum Orientis inde a Iustiniano. Reinesius hanc notam passim quinarium dixit, sed quem jure perstrinxit Fabrettus [a]). Enimvero si quinarii nota esset, in tot hujus generis numis aliquando legeretur ANNO ϥIIII. ad indicandum annum nonum; at enim monades in his numis ultra III non progrediuntur, et continuo sequitur ANNO. X.

13) ϟ in numis aeneis obviis Augustorum Orientis inde a Iustiniano.

14) ⊏ in autonomo Gazae Iudaeae apud Pellerinium, in tetradrachmis regum Aegypti, in denariis gentis Volteiae, in quibus obviae sunt notae arithmeticae Graecae.

15) ⊂ in autonomo Seleuciae Pieriae apud Haym Tom. I. tab. VI. n. 4.

16) S in autonomo Tyri imperante Augusto cuso, (Pellerin Rec. II. tab. 83. n. 41.) obvium in numis Alexandrinis Augustorum, item in aureis Augustorum Orientis, in quorum aversa τῳ AVGG. saepe adjicitur nota arithmetica.

17) Ƨ in numo Tyanorum Cappadociae. (Pellerin Suppl. I. tab. II. n. 11.)

18) F in numo Anemurii Ciliciae cum capite Valeriani, quem vidi ipse Vindobonae, scripto ЄTᵾς F, *anno VI.* Item IF in numo L. Lollii, teste Gallando apud Woltereck Elect. p. 80. Reperisse se etiam in vetustis libris testatur Montfauconus. (Palaeogr. p. 335.)

Variantibus sic instar Protei hujus notae formis nequaquam mirum, non satis perspecta ejus significatione adhuc pejus illam a librariis in describendo fuisse habitam, et quod sequitur, vitiatos nobis non raro numeros fuisse obtrusos. In solis Tyanorum Cappadociae numis, qui omnes eodem anno signati sunt, quatuor varias hujus episemi formas observavi, ut dixi in moneta hujus urbis.

De episemi *Vau* origine et natura, deinde et valore, et cum digama Aeolico nexu opportune hic nonnulla disputabimus. Fuisse notam hanc olim elementum in vetustissimo alphabeto Graecorum, atque, ut apparet, Cadmeo, et sub forma F, aut huic adfini, probabilibus potest argumentis demonstrari. Ac primum istud persuadet locus, quem F in Latinorum alphabeto occupat, nempe ordine sextus. At certum etiam, eodem loco in Phoeniciorum et Hebraeorum alphabeto stetisse literam, quae cum digamma Aeolico F, quod adoptasse dicuntur Latini, non modo eandem potentiam, sed idem quoque nomen habuit. Potentia controverti nequit, nam F Aeolum eundem habuisse sonum, quem Latinorum F et V consonans, ex sequentibus testimoniis patebit. Sed aliorsum certum etiam est, Phoeniciorum et Hebraeorum *Vau* eundem habuisse cum V Latinorum valorem. Atque literae F Aeolum fuisse idem praeterea nomen *Vau*, grammatici ipsi veteres sanxere. Ait Prisci-

a) Inscr. p. 540.

Digitized by Google

nus [a]): *V vero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeoles digamma F. Vnde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeoles habuit olim F. digamma, id est:* VAV, *ab ipsius voce profectum teste Varrone, et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt.* Ergo in hac sententia habemus etiam Varronem in similibus causis Romanorum doctissimum creditum, quod et de Didymo adfirmatur apud Macrobium [b]). Alibi idem ait [c]): VAV, *id est: digamma.* Consentit Marius Victorinus, ait enim [d]): *F nostri* VAV *vocant, et alii digamma.* Rursum [e]): *F autem Aeolis duntaxat idem valere, quod apud nos V, cum pro consonanti scribitur, vocarique* Bau *et digamma.* Haec omnia cum tam probe conspirent, quis facile negaverit, literam F, cujus et potentia, et nomen ex alphabeto Phoenicio captum fuit, non etiam exstitisse in primaevo Graecorum alphabeto, ab hoc a Latinis in suum receptam, eamque adsignatam sedem, quam apud Graecos habuit? Ex quo adeo jure argui potest, Vau istud serius a Graecis fuisse neglectum suffecto in ejus locum (b), ab unis tamen Aeolibus retentum indito, ut dicetur, ex forma *digamma* nomine, apud reliquos autem Graecos ejus deinceps usum in arithmetica tantum durasse, nimirum cum senarium exprimere vellent. Praeclare istud illustratur exemplo episemi *Koppa*, quod spectata origine fuit *Koph* Phoenicium, et translatum in Graeciam ejusdem cum hoc valoris, neglectum a Graecis, quia eundem usum praestabat *Kappa*, desiit esse litera, usurpatum tamen deinceps adhuc, sed numero episemi, ad notandum numerum XC., apud Latinos tamen in litera Q superstes, in quorum pariter alphabeto eandem retinuit sedem, quam in Graeco olim habuit, nempe inter Π et P, quae omnia latius infra explicabuntur. Atque propter has causas non mihi satis potest probari oratio grammaticorum veterum, qui primaevum Graecorum alphabetum, Cadmeum scilicet, literis tantummodo XVI., quae inter F non recensent, constitisse ajunt, easque ipsas ab Evandro in Latium traductas, atque his serius a Latinis additas F digamma Aeolicum, et X. Enimvero videe, ab iisdem his grammaticis plane reticeri literam Koppa, seu Koph, neque eam numerari seu inter Cadmeas, seu, quae serius accessere, Palamedeas, et Simonideas, tametsi ejus meminerint scriptores veteres, eamque exhibeant certa veterum monumenta, ut infra demonstrabitur, atque etiam, quod magis mirum videatur, Marius Victorinus, qui haec praecepit, adserere non dubitet [f]) F, G, Q (nempe natum ex Graecorum Koppa) *in Graecis etiam literis fuisse, et nunc esse, sed G numero VI, Q nonaginta significare, F autem Aeolis duntaxat idem valere, quod apud nos V etc.* Ergo si Q fuit litera Graeca, ut revera fuisse ostendimus, sua etiam illi sedes, ac valor fuit adsignan-

a) Ap. Putsch p. 545. b) Sat. L. V. c. 22. c) l. c. p. 560. d) ap. Putsch. p. 2461. e) l. c. p. 2468. f) ap. Putsch. p. 2468.

Digitized by Google

des, tum et tempus, quo alphabetum invasit. Nequaquam ergo miremur, si grammaticos in explicanda literae F origine videamus negligentiores, cum iidem vix aliquam operam impenderint in literam Q, quae tamen non modo instar episemi, sed et verae literae in monumentis conspicua est. Verum quidem est, frequenter ab iisdem inculcari, F esse digamma Aeolicum, atque illud a Latinis fuisse receptum; veram an etiam haec forma ab Aeolibus fuit reperta, et excogitata? Credo, istud ipsum eos intellexisse; nam si hanc formam vetus fuisse inventum putassent, ejus in vetustissimis alphabetis mentio facienda fuerat. At ego mihi plane persuadeo, in primis alphabetis Graecorum jam exstitisse literam F, atque inde cum reliquis in alphabetum Latinorum migrasse, omissam deinde a reliquis Graecis apud Aeoles durasse, ac propterea dictum digamma Aeolicum; quo modo quosdam scribendi modos appellamus Doricos, non quod hos reperissent Dores, sed quod iis ab ultima antiquitate petitis hi tantum uti pergerent. En tibi argumenta, quibus neminem hactenus ad investigandam hujus literae originem, et comprobandam antiquitatem usum video. Alia argumenta attulit Bouhierus, quibus evinceret, F a Latinis non fuisse serius additum, sed una cum literis aliis ab ipsis Pelasgis acceptum [a]).

Iam vero ad explicandam formam hujus notae, sive literam alphabeti velimus, sive episemon, accedamus. Probavimus proxime, Latinos literam F ex vetustissimo Graecorum alphabeto hausisse. Satis igitur causae, cur credamus, eandem illi antiquitus fuisse formam, quae fuit constanter deinceps, nimirum F, quia nemini non notum, Latinos usos nunquam fuisse, literis e Graecia petitis, et velut commisso sibi sacro pignori, vim inferre, eorumque formam saltem quoad praecipuas partes, quas constitutivas appellare liceat, inviolatam custodivisse. Eadem etiam illi forma sub Aeolum tutela permansit. Testantur istud verba FOIKIAN, AFVTO, quae sunt in pervetustis inscriptionibus Graecis, de quibus agemus infra, item FA. in numis vetustissimis Elidis, tum et aliis, quos mox commemorabimus. Atque unius hujus formae causa factum, ut *digamma* a Graecis appellaretur, praeclare istud docente Dionysio Halic. [b]) τυτο δ' ἦν ὡσπερ γαμμα διττας ἐπι μιαν ὀρθην ἐπεζευγνυμενον ταις πλαγιαις, ὡς Fελενη κ. τ. λ. *erat vero illud* (elementum) *velut gamma, cujus lineae rectae conjunguntur duae obliquae, ut Felena etc.* Et Cornutus apud Cassiodorum [c]): *F digamma nominatur, quae duos apices ex gamma litera habere videtur.* Neque vero etiam forma F ab episemo senarii aliena, ut vidimus supra in variis hujus formis numero 18, ubi etiam ex numo exemplum attuli ejus Valeriani adhuc aetate adhiberi solitae. Pro F saepe valuit forma Ⅎ, neque solum ad notandum digamma, sed etiam episemon senarii. Cum digamma fuit, saepe utraque forma usurpari consuevit promiscue in uno eodemque monumento, ut videre est in

a) Montfauc. Palaeogr. p. 563. b) L. I. p. 16. c) Putsch p. 2282.

Digitized by Google

tabula Heracleensi a Mazochio illustrata, tum et in numis Capuae et Nuceriae Osce inscriptis, de qua vide dicta in volumine I. p. 122. Promiscue item in Axii Cretae numis legitur jam ΓΑΞΙΩΝ, jam FΑΞΙΩΝ. Sed eandem formam valuisse etiam ad indicandum episemon, et quidem solidis adhuc Graeciae rebus, vidimus supra in formis episemi num. 14, quo iterum digamma Aeolici, et episemi cognatio vindicatur. Iam vero suapte apparet, in utriusque forma discrimen non esse, nisi quod in F perpendicularis hasta magis deorsum vergit, perinde ac in vetustissimis Graecorum marmoribus videmus scriptum Ε pro Ε.

Successu temporis Aeolico digamma penitus ex scriptura Graeca eliminato, quod jam ante Augustorum aetatem factum videtur, hae formae deinceps ad unum senarii episemon exprimendum valuere, atque etsi illae miris modis differant, ut in eorum catalogo vidimus, sic ut nihil ex vetere digamma trahere videantur, inde tamen eas trahere originem, dubitari non potest. Quod si cui mirum videbitur, is reputet, in quae literarum verius monstra, quam formas exerraverint post varias temporum vices, et pro vario regionum usu vel sola Graecorum Σ et Ξ. Male igitur Marius Victorinus discrevit inter digamma, et episemon, cum utrumque eadem sit litera, etsi formae diversae. Cum enim lōco supra indicato explicaret formas F, G, Q, ait: *sed G numero VI*, (forte legendum: *numerum*) *Q nonagìnta significare, F autem Aeolis duntaxat idem valere, quod apud nos V.* Ergo aliud illi visum F, aliud G, cum tamen utraque haec forma certum sit episemon. Sed oportebat distinguere tempora. Illa aetate, qua vixit Victorinus, non illud plane formam τυ G habuit, sed tamen huic satis vicinam, qualem nimirum suppeditat catalogus num. 11 et 12. Et fecit inconsulta hujus episemi variatio, ut non raro librarii aliam illi literam adfinis formae substituerent; quin factum etiam, ut ipsa inter se episema confunderentur. Sic v. c. forma episemi nostri fuit etiam Ч, ut numero 13 vidimus, sed hanc ipsam etiam imaginem videbimus in episemo Koppa. Ergo cum eruditi legerent apud Aelianum [a]): κατα την Α και Ч Ολυμπιαδα, alii perperam interpretati sunt: κατα την πρωτην, και ἑκτην, at alii, ut opportuit, κατα την πρωτην και ἐνενηκοστην Ολυμπιαδα.

Explicata episemi origine, et forma lubet aliqua de valore Aeolici digamma propter utriusque notae cognationem adjicere. Habuisse eandem potentiam cum V consonante Latinorum, hactenus ex pluribus veterum testimoniis vidimus, tum ex iis, quae ad numos Elidis Peloponnesi disseruimus. Addo locum alium Prisciani [b]): *Habebat haec F litera hunc sonum, quem nunc habet V loco consonantis posita. Vnde antiqui AF pro AB scribere solebant. Sed quia non potest Vau, id est: digamma, in fine syllabae inveniri,*

a) V. H. L. II. c. 8. b) ap. Putsch p. 560.

Digitized by Google

ideo mutata est in B. Annaeus Cornutus apud Cassiodorum [a]): *Ad hujus similitudinem soni, nostri conjunctas vocales* digammon *appellare voluerunt, ut est:* Votum, Virgo. *Itaque in prima syllaba digamma, et vocalem oportuit poni,* FOTOM, FIRGO, *quod et Aeoli fecerunt, et antiqui nostri, sicut scriptura in quibusdam libellis declarat.* Quo ex testimonio efficitur etiam, quemadmodum F Aeolum eandem habuit potentiam cum V Latinorum, sic et in horum lingua F et V ejusdem fuisse valoris, et fuisse unius consuetudinis opus, ut potius scriberetur *Vulgus*, quam *Fulgus*, et potius *Forma*, quam *vorma*. Sed et fuit mos antiquissimis Graecis, isque Doribus, Aeolibusque familiaris, digamma F vel ⊏ praeponendi verbis a vocali incipientibus, vel inter duas vocales ponendi. Exhibent hunc modum, ut grammaticorum testimonia taceam, monumenta Graecorum vetustissimi aevi. In tabula aenea musei Borgiani in Bruttiis effossa legitur FOIKIAN pro ΘIKIAN, *domum*, in marmore Deliaco a variis edito AFVTΘ pro ATTO, tum similia frequenter in tabula Heracleensi Masochii. Priscianus [b]): *epigrammata vetustissima, quae literis antiquissimis scripta in multis tripodibus legi, et maxime in tripode Apollinis, qui est Constantinopoli, in loco, quem Ξερολοφον vocant. Sunt autem scripta sic:* ΔHMOΦOFΩN *pro* ΔHMOΦOΩN, ΛAOKOFΩN *pro* ΛAOKOΩN. Ejusdem naturae sunt FAΛEIΩN pro HΛEIΩN in numis Eleorum Peloponnesi, FA. in drachmis Achaeorum, FAΣT. ETFAPA in argenteis Beeotorum, μιξοβαρβαρον ΕΣTFΕΔIITΣ in argenteis Aspendi Pamphyliae, et FAΞIΩN vel ⊏AΞIΩN in aeneis Axi Cretae. Eundem modum, ab Aeolibus utique tractum, imitati sunt Latini, cum ex Ελεα facerent *Velia*, ex ὠὸν *ovum*, quasi *oFum*, ex ὄις *ovis*, ex ἰς *vis*, ex ἑικατι (quod est Doricum εἴκοσι) ⊏EIKATI, ut legitur in tabula Heracleensi, atque inde Latini *viginti*. Vide ejus plura exempla apud Terentianum Maurum [c]). Cum quo conspirat, quod de Laconibus, et Syracusanis, utrisque Doribus, refert auctor Etymologici, eos inter duas vocales posuisse B, et dixisse ἐβασον pro ἐασον etc. Atque huc pertinet vocabulum ⟩A⊐IA pro solito Graeco AIAΣ, *Ajax* in insigni gemma antiquissima, quam vulgatam habes apud eum. Caylus [d]), et in museo ducis Aurelianensis [e]), sed quam uterque praeco operis Etrusci putat, more nimirum illaudato, praedicandi Etrusca, quae sunt veterrima Graeca. Atque hanc veterum legem praeclare confirmat testimonium Dionysii Halic. [f]), cujus partem jam supra recitavi. συνηθες γαρ ἠν, inquit, τοις ἀρχαιοις Ελλησιν, ὡς τα πολλα προτιθεναι των ὀνοματων, ὁποσων αἱ ἀρχαι ἀπο φωνηεντων ἐγινοντο, την ΟΤ συλλαβην ἐνι στοιχειω γραφομενην - - - ὡς Fελενη, και Fαναξ, και Fοινος, και Fανηρ, και πολλα τοιαυτα. *Solebant enim plerumque Graeci veteres nominibus a vocali incipientibus praeponere syllabam* OT *uno charactere exaratam - - - ut* Fελενη, *et* Fαναξ, *et* Fοι-

a) Putsch p. 2282. b) l. c. p. 709. c) l. c. p. 2397. d) Rec. Tom. IV. tab. 31.
e) Tom. II. n. 2. f) Ant. L. I. p. 16.

Digitized by Google

ϰος, *et* Fαγης, *et multa similia.* Aeolum istud digamma, sed scripto V pro F, cum reciperent Latini, istud habuere incommodi, quod una haec litera V et vocalis, et consonantis vim haberet v. c. in vocabulo VVLGVS, nimirum ut dixit Annaeus Cornutus apud Cassiodorum [a]: *Nos hodie V. literam in duarum literarum potestatem coegimus; nam modo pro digamma scribitur*, (sc. V. consonante) *modo pro vocali.* Quam quidem confusionem cum non ferret Claudius imperator, pro V. consonante scribi voluit digamma, sed inversum hoc modo: Ⅎ, quod quidem generatim tradidere Suetonius [b], et Tacitus [c], at propius Quinctilianus (lib. I. cap. 13.): *nec inutiliter Claudius Aeolicam illam* Ⅎ *ad hos usus literarum adjecerat*, et Priscianus [d]: *pro quo* (V) *Caesar hanc figuram* Ⅎ *scribere voluit, quod quamvis illi recte visum est, tamen consuetudo antiqua superavit.* Scriptorum testimonia confirmant marmora non panca Claudio synchrona, in quibus scribitur VIIⅎIR, DIⅎI, TERMINAⅎIT pro VIIVIR, DIVI, TERMINAVIT, quae vide apud Gruterum [e], aliosque.

Ex adductis hactenus exemplis discimus etiam, vetustissimos Graecos Aeolico digamma usos pro spiritu sive leni, sive aspero. Lenis argumenta dedimus ex Dionysio Halic. scripto Fοικος, Fαναξ, Fανης pro ὁικος, ἀναξ, ἀνης, asperi ex eodem Fελενη pro ἑλενη. At Latini in vocabulis ex Graeco fonte haustis alterutrum scriptum in V vel F mutavere. Vidimus supra, ex ἑς prognatum *vis*, ex *ἑικατι viginti*, tum ex ἑσπερος, *vesperus*, ex ἑστια *Vesta*, ex ἑνετος *Venetus*. Plura alia dabit Terentianus Maurus [f]. Ait Servius [g]: dixisse Latinos *Falisci* pro *Halisci*, *Febris* pro *Hebris*, *Formiae* pro *Hormiae*, ubi et addit; *nam posteritas in multis nominibus F pro H posuit.* Plinius [h]: *Oppidum Helia, quae nunc Velia.* Nimirum ut eodem loco docuit Terentianus: *Aeolum dialectus autem est fere mista Italae.* Ceterum Graecos abjecta aspirationis nota H eandem hanc literam in duas partes secuisse, sic ut ⊦ esset nota spiritus asperi, ⊣ spiritus lenis, jam diximus in Volumine I. pag. C. Addi potest Priscianus [i]: *H. literam non esse ostendimus, sed notam aspirationis, quam Graecorum antiquissimi similiter, ut Latini, in versu scribebant, nunc autem diviserunt, et dexteram ejus partem supra literam ponentes* psilen *notam habent, quam Remnius Palaemon* exilem *vocat, Grillius vero ad Virgilium de accentibus scribens* lenem *nominat; sinistram autem contrariae illi aspirationis* dasian, *quam Grillius* latilem *vocat.*

In numis Elidis Peloponnesi copiose disputavimus, Graecos literam Latinorum F constanter scripto suo Φ expressisse; sic Romanorum Farius illis fuit Φαριος. At Latini, etsi vetustissimo aevo Graecorum Φ in F verterent; ut φερω in *fero*, φυγη in *fuga*, (nisi forte, ut altius diximus, Graeci quoque principio scripsere

a) Putsch p. 2282. b) in Claud. c. 41. c) Ann. XI. 13. d) ap. Putsch p. 545. e) pag. 196. 4—256. 9. f) l. c. g) ad Aen. VII. 695. h) L. III. p. 157. i) ap. Putsch p. 560.

Digitized by Google

Fερω, Fυγη) non tamen deinceps ausi sunt Graecorum Φ in F suum convertere, sed ex Φ fecerunt PH, ut ORPHEVS At minus inferiore aevo religiosi pro *Nicephorus*, *Phocas* etc. scripserunt *Nicefonus*, *Focas*. Ceterum in utrorumque lingua mira fuit literarum B, F, V, P, PH, quae nempe ejusdem sunt organi, permutatio. Vidimus supra, quod Aeoles ἐFασον dixissent, Lacones dixisse ἐβασον. Idem utrique literae apud Latinos accidit. Audiamus Priscianum [a]; *Habebat haec F litera hunc sonum, quem nunc habet V loco consonantis posita. Vnde antiqui AF pro AB scribere solebant. Sed quia non potest Vau, id est, digamma, in fine syllabae inveniri, ideo mutata est in B.* Teste Plutarcho [b] Macedones dixerunt Βιλιππος, βαλακρος, Βερονικη pro Φιλιππος, φαλακρος, Φερονικη. Sublata aspiratione antiquissimi Graeci dixere ΠΕΣΟΠΙΣ, ut legitur in marmore Fourmontiano, quod explicavit Barthelemyus [c], pro quo serius ΨΩΦΙΣ. Eodem modo in numis familiarum scribitur PILIPVS, TRIVMPVS. Ambracia Epiri in numis dicitur AMBPAKIA et AMΠPAKIA, quo modo a scriptoribus Canopus Aegypti jam Καιωπος jam Κανοβος. Severus in numis Graecis scribitur CЄBHPOC, CЄOΥHPOC, CЄΥHPOC. Atque ob hanc soni adfinitatem mirum non est, aevo inferiore, in quo jam orthographiae exigua ratio habita est, has literas in utraque lingua passim fuisse permutatas, cujus innumera testimonia suppeditant marmora.

Sed jam nimio me ab episemo digressum video. In viam redeo.

II. Episemon Koppa, sive nota XC.

Ejus formas in numis observavi

1) Ϙ, quae est obvia.

2) Ϥ in numis Aradi apud Pellerinium, Paltenorum Syriae apud eundem, (Mel. II. tab. 29. n. 1.) in numo Arsacis apud eundem, (Lettre II. tab. 1. n. 2.) in numis Tyri Phoeniciae, (Mus. Caes.) Irenopolis Ciliciae. (Spanheim T. I. p. 97.)

3) ϙ in numo Volagasis III. Parthiae regis. (Barthelemy B. L. Tom. XXXII. p. 675.)

* * *

Hujus episemi ut origo, forma, et potentia rite, et quam fieri potest, breviter, et distincte tamen explicetur, optimum videatur, testimonia veterum omnia ordine proferre, qui ejus meminere.

I. Hesychius in Κοππατιας· ἱππος κεκαυμενος, ἐντετυπομενον ἐχων σημειον το κοππα, ὁ ἐστι ἀπεσφαμμενον P και Σ. *Koppatias est equus cauterio notatus, impressum habens signum τῦ Koppa, quod est inversum* P *et* Σ. Idem in Καππα: και παρα Καλλιμαχῳ γραφεται Κοππα, τα ἀνεσφαμμενα P, *et apud Callimachum scribitur Koppa inversum* P.

II. Scholiastes ad verba: ὁτ' ἐπριαμην τον Κοππατιαν, quae sunt in Aristophanis Nubibus v. 23: Κοππατιας ἱππους ἐκαλεν, quae sequuntur, misere sunt depravata, quae quo pacto eruditi suae restituere integritati conati sint, vide in Buhieri dissertatione saepe laudata pag. 570. Prosequitur post haec scholiastes: και παρα γραμματικοις ὑτω διδασκεται, και

a) ap. Putsch p. 560. b) in quaest. Graec. 9. c) B. L. T. XXIII. Mem. p. 394.

Digitized by Google

καλειται Κοππα ἐννενηκοντα, *et haec docent grammatici, et Kuppa significat nonaginta.*

III. Lucianus in suo *adversus hominem indoctum* libello memorat ἱππον καππαφορον, ad quae verba haec scholiastes: Επισημον τουτο των ἱππων ἐπι τω μηρι ἐγκαιομενον παρα των παλαιων, και ἡσαν οὗτοι οἱ ἱπποι των ευγενων, οἷς ἐπι τω μηρι το παρασημον καππα το στοιχειον, ἡ σιγμα, ἀφ' ὧν και παρωνομαζοντο ἀπο τω καππα κοππατιαι, ἀπο δε τω σιγμα σαμφοραι. *Est istud signum, quod veteres equorum femori inussere, et erant hi equi genere illustres, quorum femur notatum fuit elemento Kappa, vel sigmate, unde et nomen traxere, a Kappa quidem Koppatiae, a sigmate samphorae.*

IV. Ait Quinctilianus [a]: *Et Q, cujus similis effectus speciesque, nisi quod paullum a nostris obliquatur, Kappa apud Graecos, nunc tantum in numero manet.*

V. Marius Victorinus loco, quem integrum supra in episemo Vau citavi, ait: *Q nonaginta significari.*

VI. Beda in descriptione trium episemorum [b]) sic de episemo praesentis argumenti: *Secunda* (nota) *est* q *quae vocatur* Koph, *et valet in numero XC.*

Expendendum primum vocabulum Κοππα. Eo usus est Hesychius in testimonio priore supra num. I. adlato. Ejus ibi testimonium alterum minus nitidum; nam MSS. pro Κοππα habent Κομπα. Sed video, librarios saepius permutasse μ et π. Sic in codice MS. scholiastae, cujus verba loco III. citavi, legitur σαπφοραι, nullo sensu, cum certe legendum sit σαμφοραι. Vsus deinde etiam est scholiastes Aristophanis II. loco citatus. Atqui haec lectio Κοππα stabilitur copiosis tot testimoniis, in quibus equi cauterio notati nunquam dicuntur Καππατιαι, sed semper Κοππατιαι, nimirum ab inusta littera Koppa, non Kappa. Neque magnopere mirum, inscitos librarios pro Koppa, elemento sibi igneto, quia ex aliena lingua repetitur, suomet arbitrio scripsisse Kappa sibi notius, et parum a priore diversum. Inepta igitur est oratio, qualis legitur apud interpretem Luciani loco III., equos ἀπο τω Καππα Κοππατιας dictos, cum tamen hi sic ἀπο τω Κοππα dicti sint Κοππατιαι, quemadmodum, ut ibi continuo sequitur, equi alii ἀπο τω σιγμα σαμφοραι, nam teste Herodoto [c]) literam, quam Iones σιγμα, Dores dixere σαν, unde compositum σαμφοραι. Neque minus inepta evadet oratio, si retinebimus illud Quinctiliani supra loco IV. citati: *et Q, Καππα apud Graecos, nunc tantum in numero manet*, perinde quasi Καππα Graecorum ad numerandi tantum rationem valuisset, et non fuisset obvia et constans alphabeti Graeci litera. Restitue Κοππα, et habebimus planum ac verum orationis sensum, quod quidem magis ex iis, quae mox dicentur, manifestum fiet. Recte igitur viderunt praeclari philologi, qui in his veterum testimoniis pro Καππα legendum Κοππα, et pro καππαφορον Luciani legendum κοππαφορον, ut ex σαν σαμφορεν, sanxerunt.

Et nomen et potentiam τω Κοππα a Phoeniciis manasse, indubitatum est. Habuere Phoenicii atque Hebraei et

a) Instit. L. I. c. 4. b) Libro de indigitat. c) L. I. c. 139.

Digitized by Google

Kaph et Koph, sono et potentia valde adfini. Vtramque elementum eum mutuarentur Graeci, ex Koph fecere Koppa, ut ex Haph suum fecere Kappa, utrumque etiam similis potentiae, quia utroque perinde usi sunt, ut dicetur. Iure igitur hanc notam, quam alii dixerunt Koppa, Beda loco VI. citatus vocat Hoph, Phoenicio nempe et native vocabulo. Successu temporis cum litera una ejusdem naturae ad linguae usum sufficere videretur, sensim coepit aboleri Koppa, sic tamen, ut ex statione sua arithmetica non moveretur, sed pro alphabeti litera evaderet episemon, ac deinceps quoque numerum XC. indicare pergeret. Eodem modo actum cum digamma F supra vidimus. Recte igitur dixit Quinctilianus loco citato, sed ut oportuit, correcte: *et Q, Κοππα apud Graecos, nunc tantum in numero manet*, nempe XC., ut docent auctoritates locis II. et V. citatae.

Cum modo, quod agendum restat, elementi hujus veram formam describimus, una his, quae hactenus disputata sunt, lucem adfundimus. Ejus forma antiquissima fuit ϘP testantibus istud numis copiosis et obviis. In numis Crotonis, quotquot sunt valde remoti aevi, legitur ϘPOTON, mox in iis, qui aetate sunt posteriores, KPOTΩN. In antiquissimis Syracusarum ΣVRAϘOΣION, in recentioribus ΣTPAKOΣIΩN. In obviis didrachmis Syracusarum infra Pegasum volantem fere constanter observatur Ϙ, quam literam esse ἀρχαιοτατην Corinthi, cujus colonia fuere Syracusae, jam inter omnes convenit. In drachma Achaeorum, neque hac valde vetusta, legitur ϘOP. Ex quibus testimoniis eadem opera discimus etiam, quod jam supra monueram, utrumque elementum, Kappa et Koppa ejusdem apud Graecos potentiae habitum. Edidit Morellius numum contorniatum, in quo fingitur equus gradiens adscripto ejus nomine ΤΟΞΟΤΕS, et cujus femori insculptum Ϙ nullatenus ambiguum apparet [a]). Quo indicare voluit numi artifex, Toxotem suum non esse ex patellariis unum, sed vere Κοππατιαν, nempe generosum, ut supra Κοππατιαν dixit Luciani scholiasta, et quos magno fuisse pretio emptos dixit Philostratus [b]), ut adeo in hoc cimelio non modo formam τυ Koppa, sed et celebratum a veteribus Κοππατειαν, aut Luciani Κοππαφορων licest intueri. Idem elementum a Latinis quoque adoptatum, eandem fere cum Graecorum Κοππα habuit formam, eandem in serie alphabetica sedem. Ad formam quod attinet, scribebatur Q, nimirum hasta perpendiculari ad dexteram inclinata; unde recte dixit Quinctilianus supra loco IV. citatus: *et Q, cujus similis effectus, SPECIESQVE, nisi quod paullum a nostris obliquatur, Koppa apud Graecos.* Ex iisdem his verbis eadem etiam potentia comprobatur, cum statuitur *similis effectus* τυ Q Latinorum, et τυ Κοππα Graecorum. Sane Q istud imperante adhuc Augusto non raro permutatum fuit cum C, cujus cum Kappa et Koppa adfinitas vulgo est cognita. Notus est denarius gentis Antistiae cum capite Augusti, in cujus aver-

a) Specim. tab. III. b) Vit. Apollon. L. VIII. c. 7. §. 4.

Digitized by Google

sa legitur: FOEDVS. P. R. CVM. GABINIS.; sed et similem vulgavit Morellius inter familiarum numos, in quo scriptum: QVM. GABINIS. In numis coloniae Ilici Tarraconensis ejusdem aevi scribitur Q pro C, litera initiali vocabuli *Colonia*, cujus copiosa alia exempla inclinante jam imperio suppeditant marmora. Denique eandem τὸ Q cum Koppa in serie alphabetica sedem comprobat, quod, quemadmodum Q in Latinorum alphabeto positum fuit inter P et R, sic et Koppa in Graecorum alphabeto inter easdem litteras Π et P, quod patet ex numeris ordine naturali se consequentibus, Π 80., ϙ 90., P 100., quod et confirmat his verbis Marius Victorinus: Q *et fuisse apud Graecos, et quare desierit fungi vice literae, si pontificum libros legeritis; nunc enim apud Graecos juxta* Π *est posita.*

Serius Koppa Graecum, non amplius litera, sed episemon, id est: nota arithmetica XC. nonnihil a vetere forma discessit, et evasit ϙ, quam formam graphice descripsit Hesychius binis testimoniis, quae loco I. recitavi, cum esse ἀπεστραμμένον P, *inversum rho* dixit. Atque haec fere constans ejus est facies in copiosis numis, qui annos epochae inscriptos habent, ex quorum longo agmine unicum eximo jam et alias cognitum Antiochi VIII. Syriae regis et matris Cleopatrae, in cujus aversa habetur annus aerae Seleucidarum ϙρ, qui numerus continet rho situ naturali, quod est 100., et rho ἀπεστραμμένον, sive *inversum*, quod est 90, et adeo dictae aerae annus 190. Characterem vero hujus formae, quod quidem hucusque differendum fuerat, esse indicem numeri XC., patet primum ex auctoritatibus locis II. V. VI. recitatis, deinde ex calculo annorum numis inscriptorum. Altera hujus episemi forma est Ϙ, quam ope numorum, quos citaveram, stabilivi. Tertia forma ϙ antiquissima est, ut vidimus, et tamen comparet, in numo non admodum vetusto, nimirum signato V. C. 933., ut docet annus ΑϘΤ, de quo vide numos regum Parthiae.

III. Episemon Sanpi, sive nota DCCCC.

Beda instituta de tribus episemis quaestione, ejusque notis, *tertia*, inquit, *est* ϡ, *quae dicitur* Enneacosia, *quia valent DCCCC.* [a]). Phavorino χαρακτῆρα dicitur, τὸ δὲ Ω ὀκτακοσία ποιεῖ, καὶ ἀκολούθως ἐπάγεται χαρακτῆρα, ἥτις ποιεῖ ἐννακοσία, Ω *autem octingenta facit; sequitur Character, qui nongenta efficit* [b]). Creditur haec nota ϡ *Sanpi* dicta propterea, quia constat ex sigmate, quod, ut supra ex Herodoto ostendi, Dores *San* dixere, sed sigmate rotundo, cui insertum est *pi*. At vero huic examini longius non immoror, quia nota haec in moneta vetere non reperitur. Plura vide apud Scaligerum in Eusebium pag. 108. et citatum supra Bouhierum pag. 570.

* * *

Reliqua, quae articulum hunc absolvant, pauca sunt, et expedita.

I. Ex tabula supra proposita facile

a) Lib. de Indigitat. b) in Lexic. sub ἀριθμός.

Digitized by Google

est, quemcunque annum numo inscriptum eruere. Esto annus inscriptus Θ, erit 9, Θq, 99, ΘqP, 199. Praeterea cum quilibet numerus, seu monadicus, seu decadicus, seu centenarius (ad millenarium, ut dixi, numorum anni non pertingunt) per se certum suum habeat valorem, neque illum, ut in calculo numorum Arabicorum, a sede vel situ demum obtineat, ad indicandum annum 199 perinde fuit scribere ΘqP, vel qΘP, vel PqΘ. Plerumque tamen annus coepit cum centenario et finivit cum monadico, vel vicissim, decadico medio. In numis Caesareae Libani jam scribitur ΑΛϤ, jam ϤΛΑ.

II. Non raro in numis urbium, praecipue Ciliciae et Syriae, sparsae per aream comparent litterae, de quibus, sintne arithmeticae, dubitari potest. Si videamus sociatas monades, v. g. ΘΕ, vel decades, ut: ΛΠ, vel centenarios, ut: ΤΡ, certum est, arithmeticas non esse; nunquam enim Graeci numerum 14., qui esset aggregatum ex Θ 9 et Ε 5, expresserunt scribendo ΘΕ, sed notis ΙΔ, et sic de reliquis. Quam legem cum perspectam non haberent viri nonnulli eruditi, quos inter Winckelmannus, comperti sunt γελωτα ὀφλισκανειν, cum varias literas Segestae Siciliae numis insertas, v. g. ΖΙΒ, notare XIX. adfirmarent, ut pluribus exposui in moneta ejus urbis.

III. Literae arithmeticae ab se invicem constanter separantur. Rarissime siglae vel literarum nexus, passim in numis obvii, numerum notant. Numus Gazae Iudaeae apud Pellerinium habet ϤΡ, nempe colligatas qp, 190. Florentiae in museo Magni Ducis vidi numum Neocaesareae Ponti cum anno epochae ΡΝΡ, colligatis nempe Μ et episemo Β, ac proinde 146. Singularis est numus Aradi Phoeniciae, quem olim edidi [a]), in quo annus 181. hoc modo scriptus comparet: ΡΠϡ, quae postrema litera certum et Aleph Phoenicium, ab incauto monetario pro Α intrusum.

IV. Anni in numis vel soli ponuntur, ut v. g. ΡΜΒ. 142., vel iis praeponitur ΕΤ. ΕΤΟ. ΕΤΟΤΣ. aut hujus loco L. Sic: ΕΤΟΤΣ. ΚΗ. *anno* 28. vel L. ΣΛΔ. *anno* 234. Vocabulum ΕΤΟΣ, in gignendi casu ΕΤΟΤΣ, significare *annum*, nemini non cognitum. Litera L, veteris formae lambda, ἀφαιρεσα est vocabuli Λυκαβας, Λυκαβαντος, jam remotissimo Graecorum aevo idem significantis, quod ἐτος vel ἐνιαυτος. Causam adfert Macrobius [b]): *annum quoque vetustissimi Graecorum* λυκαβαντα *appellant*, τον ἀπο τη λυκη, *id est: sole* βαινομενον και μετρουμενον etc. lege, si lubet, totum eum locum. Aelianus propterea annum vocari λυκαβαντα putat, quod lupus, λυκος, soli carus sit [c]). Lege et Artemidorum, qui ejus appellationis causam, sed ut videtur, plane ineptam adfert [d]). Haec solitarii hujus L annis praefixi significatio pridem antiquariis cognita, praeclare ante annos non multos confirmata fuit prolato numo Vespasiani Alexandrino cum epigraphe: ΑΥΤΚΑΒΑΝΤΟΣ. ΔΕΚΑΤΟΥ. *anno X.*, quem loco suo descripsi. Ad-

a) Numi vett. pag. 279. b) Sat L. I. c. 17. c) Nat. anim. L. X. c. 26. d) Oneirocrit. L. II. c. 12.

Digitized by Google

hibitum vero est veteris formae L vitandae causa confusionis. Cum enim lambda recentius Λ jam per se numerus sit indicans 30, scribendo ΛΣ facile intelligi posset annus 280, cum tamen annus Σ, id est 200, erat significandus. Scribe L Σ, et sublatum est omne dubium.

V. In numis Augustorum Alexandrinis anni imperii non tantum notarum compendiis, ut: L. Γ. — L. IA. etc. scribi sunt soliti, sed etiam ipsis nominibus designari, ut L. TPITOT. L. ENΔEKATOT. *anno III. anno XI.* Sed etiam in hoc modo valuere compendia. Legitur enim: L. ЄNNЄA. K. Δ. id est: L. ЄNNЄA. Και Δεκατου, *anno XIX.* Insolentior modus est in binis numis, quos eodem loco proposuit Pellerinius [a]). In numo Agrippae II. Iudaeae regis: ЄTOTC. AITOT, ubi το AI notat annum XI., et TOT adjectum est ex terminatione ἑνδεκατοT. In altero Cleopatrae et M. Antonii: ЄTOTC. KATOT. KAI. C., ubi more solito το KA significat XXI. adjecta iterum terminatione ex ἑικοσιου πρωTOT; totius numeri sensus est: *anno XXI. supra CC.*

VI. In numis Latine inscriptis epochae anni notis Latinis exprimuntur. Sic in numis Daciae et Viminacii ANno V. Simili modo colonia Sinope Paphlagoniae aerae suae annos notavit. In numis Iubae II. Mauretaniae regis scribitur R. XXXII. id est: *anno regni XXXII.* Apertius ejus filius Ptolemaeus: R. A. X. id est: *Regni Anno X.*

VII. Tam apud Graecos, quam Latinos, neque in numis solum, sed etiam marmoribus notae arithmeticae imposita superne virgula frequenter indicantur. Graecum exemplum mox in numo Cleopatrae vidimus. Obvium in numis Latinis v. g. TR. POT. X. COS. VI., quam consuetudinem in monumentis obviam indicavit etiam Macrobius [b]).

SECTIO IV.

DE EPOCHIS IN MONETA VETERE LATIVS PATENTIBVS.

Ad ipsas jam epochas, earumque causas et exordia aggredimur. At non hic agimus, ut titulus ipse praefert, de epochis singularibus, quas urbes variae

a) Suppl. I. p. 1. b) Saturn. L. II. c. 4.

Digitized by Google

sibi unis proprias habuere, quarum rationem in singularum urbium moneta expedivimus. Persequimur hoc loco epochas tantum illas, quas urbes et populi cum pluribus aliis communes habuere.

Vt civitates singulae, sic et provinciae propriam suam et communem aeram habuere, nimirum si qua a Romanis profecta beneficia, aut nova instituta ad totam provinciam, aut ejus civitatum majorem partem pertinuerunt. Hujus generis habemus in numis aeram Syriae, sed late sumptae, quae et Pompejana, de qua infra, aeram provinciae Daciae, aeram Ponticam, seu urbium provinciae Ponti. Addidit Belleyus, qui aliqua de provincialibus his epochis delibavit a), aeram provinciae Numidiae ex marmoribus nuper in ea regione repertis, et inscriptis v. g. KAL. IANVARS. PROV. CLXXXV. nimirum ex quo Numidiae res ab Augusto constitutae fuerunt: aeram Hispaniensem inde ab anno V. C. 716. per Hispanias celebrem.

Latius in numis patuere I. aera Seleucidarum, II. aera Pompejana, III. aera Caesariana, IV. aera Actiaca, quarum originem, et finem sequentia praecepta dabunt.

I. *De aera Seleucidarum ab anno V. C. 442.*

Illustri hac et prae aliis omnibus latius patente aera usae sunt urbes et populi sequentes.

Antiochia Decapoleos ad Hippum.
Antiochia Syriae.
Apamea Syriae.
Ascalon Iudaeae.
Bactriana in numis suorum regum.
Caesarea Phoeniciae ad Libanum.
Canatha Decapoleos.
Cyrrhus Cyrrhesticae.
Damascus Coelesyriae.
Emisa Syriae.
Epiphanea Syriae.
Hieropolis Cyrrhesticae.
Laodicea Coelesyriae ad Libanum.
Orthosia Phoeniciae.
Seleucia Syriae.
Sidon Phoeniciae.
Tripolis Phoeniciae.
Tyrus Phoeniciae.

Mortuo V. C. 430. Alexandro M., et facto inter ejus duces, Perdicca interim rei summae praefecto, prima provinciarum divisione, Seleucus, a quo epocha haec nomen traxit, equitatus praefecturam abstulit. Caeso biennio post Perdicca, et mox constitutis aliter provinciis, Seleuco administranda Babylonia commissa est. Aliquot post annis bellum movente Antigono pulsus, ad Ptolemaeum in Aegyptum fugit, a quo cum auxilia impetrasset, in Babyloniam redit, eamque victis, qui pro Antigono stabant, recuperat. Factum istud V. C. 442. A. X. 312., in cujus memoriam constituta epocha, a dicti anni autumno procedens. Vix jam necesse puto refutare eorum sententiam, qui hanc Seleuci epo-

a) B. L. T. XXX. p. 312.

Digitized by Google

cham ab eo anno ducunt, quo is Syriae imperium obtinuit, quod nonnisi V. C. 453. contigisse certo constat.

Hanc epocham his verbis indigitat Iosephus a): *ἐτει ἑκατοστῳ και τετρακοστῳ και τριτῳ μετα τας ἀπο Σελευκου βασιλειας*, *anno* 143., *ex quo regnare coeperunt Seleucidae.* Eundem hunc Iosephi locum sic vertit Epiphanius: *anno* 143. *post regnum primi Seleuci.* Quae quidem et Iosephi et interpretis verba secundum literam accepta totum Seleuci I. imperium excludunt, quod calculo manifeste repugnat. Vocatur etiam *anni Graecorum*, et sic in libris Macchabaeorum, quia Graeci orientales hac potissimum epocha usi sunt. Eam Albatenius, aliique Arabes *Terik dhilkarnain*, id est: aeram τυ δικερωτος, *bicornigeri*, appellant, Alexandrum M. indicantes, qui adstituto capiti gemino cornu Ammonis sese filium professus est, unde et nonnunquam epocha *annorum post Alexandrum* dicitur, ut in actis concilii Chalcedonensis, quem locum sistam infra.

Hujus anni epochae signantur in numis regum Syriae, urbium Syriae late sumptae, in marmoribus Palmyrenis, quorum unum pridem cognitum, quod exstat Romae in museo Capitolino, positum, ut inscriptio profitetur, Aglibolo et Malachbelo patriis diis, jam a variis vulgatum, postremo a Nicolao Fogginio Tomo IV. musei Capitolini tab. XVIII., annum et mensem hujus aerae sic exprimit: ЄΤΟΤС. ZΜΦ. ΜΗΝΟС. ΠЄΡΙΤΙΟΤ. *anno* 647. *mense Peritio.* Alia marmora Palmyrena ab Halleyo collecta vide in Miscellaneis curiosis Vol. III. pag. 84. Hac item aera usi sunt auctores librorum Macchabaeorum, synodus I. Nicaena, aliique, quae omnia vide laxius exposita apud Norisium b).

Epochae hujus initium certissimis argumentis ducitur ab autumno V. C. 442. A. X. 312. Seligam unum ex pluribus, quae passim habentur apud chronologos, et citatum Norisium. Synodus Chalcedonensis symbolum fidei in concilio Nicaeno confectum his chronologicis characteribus notat: *Consulatu Paulini et Iuliani clarissimorum consulum*, *anno post Alexandrum* 636. *mensis secundum Graecos Daesii XIX.*, *quod est XIII. Kalendarum Iuliarum etc.* Easdem notas Socrates quoque indicat. Si ad annum V. C. 442., cujus autumno coepisse aeram diximus, addas annos 636., summa dabit annum V. C. 1078., cujus autumno exivit annus aerae 636. Atqui eodem hoc anno V. C. 1078. P. X. 325. in fastis notatur consulatus Paulini et Iuliani. Ergo aera Seleucidarum certe coepit V. C. 442. et quidem in autumno, nam si coepisset in vere ejusdem anni, annus aerae 636 exivisset quoque in vere V. C. 1078., et continuo coepisset annus 637. At vero verba concilii mensem Iunium anni 636. cum anno 1078. componunt. Vnde discimus etiam, aeram Seleucidarum in autumno, non in vere coepisse. Quo pacto ex numis idem annus comprobetur, dicetur infra.

Quae hactenus de Seleucidarum epocha dixi, pridem a gravissimis chronologis tradita et solidis argumentis sta-

a) Ant. L. XII. c. 5. §. 3. b) Epoch. Syromac. Diss. II. c. 1.

Digitized by Google

bilita fuere, nullique jam dubio videbantur obnoxia, donec cl. Freretus Gallus veteris hujus doctrinae varia capita in judicium coepit revocare. Operae pretium videatur, summam ejus dissertationis, quae eruditi hujus chronologi dubia continet, exponere a): Non negat, exstitisse aeram quampiam, cujus initium duceretur ab anno V. C. 442. a tot astronomis tam veteribus quam aevi recentioris comprobatam, at negat, eam dici posse Seleucidarum. Sane monumenta, quae consistunt in marmoribus Palmyrenis, et numis, non satis sinceros ejus esse testes. Ad dicta marmora quod attinet, annos iis inscriptos nimis vagum constituere principium. Neque satis validum ex numis subsidium. Ejus initium Norisius ex numo Tripolis Phoeniciae, et alio Emisae Syriae accurate quidem fixum putavit, at enim non satis esse comprobatum, Tripolitanos eadem cum Emisenis aera usos. Vel de una Syriae Antiochia satis constare, quater eam ad alius epochae annos transivisse. Quin ex numis Trajani et Hadriani, quorum uterque annum HKT. praefert, confici, Tripolitanos aeram suam dinumerasse ab anno V. C. 443. Eodem deinde incerto laborare annos regum Syriae numis inscriptos. Ex quo denique arguit, certos nos esse non posse, annos in marmoribus vel numis Syriae notatos ducendos esse ab epocha generali V. C. 442. coepta. Altera dissertationis parte auctor refutat sententiam Petavii, aliorumque, adserentium, auctores utriusque libri Macchabaeorum usos aera Seleucidarum, sic tamen, ut auctor libri I. annum inciperet a mense verno Nisan, auctor libri II. a mense autumnali Tisri. Omissis omnibus ejus argumentis, quae longum esset commemorare, concludit denique b), auctorem libri I., tum et Iosephum in chronologicis suis rationibus secutos aeram ducendam ab anno V. C. 447., auctorem libri II. tum et reges Syriae secutos aliam biennio posteriorem, quae coepit V. C. 440. Causam instituendae prioris statuit exstinctum hoc anno cum Cleopatra Alexandri M. sorore universam familiam regiam, alterius, quod hoc anno Alexandri duces in diadema et nomen regium involarunt.

Iuvat huic Frereti orationi pauca opponere. Iam ipse confitetur, et confiteri cogitur, fuisse in oriente aeram aliquam, eamque celebrem, cujus exordium ab anno V. C. 442 testibus tot auctoribus et monumentis ducendum est. Haec quo nomine appellanda sit, parum laboramus, quin et supra varias ejus appellationes commemoravimus. Si viris eruditis magis placuit, eam Seleucidarum aeram vocare, in causa fuit primum, quod eam jam a Iosepho supra citato sic vocatam viderunt, deinde quod solam hanc aeram non modo numis regum Syriae, id est; Seleucidarum, sed etiam passim numis urbium, quae Seleucidis paruere, inscriptam deprehenderunt. Postea cum indagarent, quale fuerit factum vel eventus insignior anni V. C. 442., qui inducendae aerae causam dedit, et qui praeterea ad Seleucidas proprie pertineret, re-

a) Mem. R. L. Tom. XVI. p. 286. b) l. c. p. 306.

Digitized by Google

pererunt, eo anno factum, ut Babyloniam recuperaret Seleucus, quod regiae fortunae, et amplissimae ejus potestatis fuit fundamentum. Causam enimvero in auctorum veterum silentio satis probabilem. Non negavero, verisimile tantum esse, annos Palmyrenis marmoribus inscriptos ex Seleucidarum aera pendere; at vero quod idem contendit, certum non esse, annos, qui sunt in numis regum Syriae, et subjectarum iis urbium, ab anno V. C. 442. ducendos, ferendum certe non est. Tot habemus in regum Syriae moneta varios annos, qui ducti ab hac epocha sese facile eorum regimini adcommodant, ut nonnisi Pyrrho aliquis possit nodum in scirpo quaerere, et recte arbitrati sint viri eruditi, si quid inter scriptores in chronologiae causis esset dissidii, numorum auctoritate posse conciliari. Idem sentiendum de chronologicis urbium subjectarum numis, quorum non, ut Freretus loquitur, *aliquot* duntaxat habemus regum nominibus notatos, sed insignem seriem, ut videre est ex Frölichii annalibus, et Pellerinii supplementis, sed quod utrumque, cum Freretus haec scriberet, lucem nondum vidit. Quo is pacto aeram Tripolitanorum in annum V. C. 443. ex numis Trajani et Hadriani removeat, non intelligo, cum inde certus annus 442. conficiatur, ut taceam, eundem hunc annum ex aliis eorum numis praeclare stabilitum, ut in eorum moneta dixi. Neque minus feliciter ex numis comprobatur, ejusdem aerae usum apud alias quoque urbes valuisse, ut videre est ex iis, quae ad singulas urbes notavi. Quapropter haec aera non modo jure hactenus dicta fuit Seleucidarum, sed ejus etiam initium numis rite confirmatum. Quod ad alteram dissertationis partem attinet, quae initium annorum utriusque libri Macchabaeorum examinat, quoniam ad dirimendam eam litem nihil conferunt numi, sed subsidia mere historica et chronologica, alierum judicio lubens permitto.

Hoc etiam loco facienda mentio epochae alterius, quae a priore unico anno differt, coepta V. C. 443. A. X. 311. et haec quoque dicta *aera Graecorum*. Fuisse eam invectam ab astronomis Chaldaeis Babylonis et Seleuciae, dixi in moneta regum Parthiae, in qua notantur anni, quos nunc eruditi passim ad hanc aeram exigunt.

II. *De aera Pompejana ab anno V. C. 690.*

Hac usae sunt unae Syriae, late sumptae, urbes, quarum hic habes catalogum:

Abila Leucadis Decapoleos.
Antiochia Decapoleos ad Hippum.
Antiochia Syriae.
Canatha Decapoleos.
Dium Decapoleos.
Dora Phoeniciae.
Gadara Decapoleos.
Pella Decapoleos.
Philadelphia Decapoleos.
Seleucia Syriae.
Tripolis Phoeniciae.

* * *

Victo Tigrane Armeniae et Syriae rege Pompejus M. Syriam ingressus,

Digitized by Google

eam in provinciam redegit, Coelesyriam item, Decapolin, Iudaeam cum Hierosolymis cepit, urbes alias cum in his terris, tum et Phoeniee tyrannis liberavit, aliaa libertate donavit, alias variis sibi beneficiis devinxit. Facta haec annis V. C. 690, 691. Vide Iosephum et Dionem. Haec generatim, nam quae privatim beneficia Pompejus in urbes singulas contulerit, in earum moneta commemoravimus. Atque haec causa fuit, cur ejus tractus urbes non paucae grati animi causa ab anno V. C. 690. aeram novam constituendam putaverint.

Fuere auctores graves, qui aliarum ex his urbium annos ab anno 690., aliarum a 691. ducendos putarent, neque forte injuria; cum enim Pompejus, ut diximus, utroque hoc anno his in terris commoratus fuerit, dubitari nequit, alias urbes citius, serius alias beneficiis a Pompejo ornatas, et fieri adeo potuit, ut nonnullae une anno serius epocham auspicarentur. Interea ipse ex vulgatis hactenus numis causam nullam reperi, cur urbis cujuspiam aeram ab anno posteriore inchoari necesse putarem.

III. *De aera Caesariana.*

A Iulio Caesare dictatore nomen nacta. Ab hoc binae urbes Syriae, *Antiochia* et *Laodicea*, annos suos numeraverunt, sed non ab eodem anno et propter eandem causam.

Antiocheni, ut a Caesare Pompeji ad Pharsalum victore gratiam inirent, ab hac ipsa pugna epocham sunt exorsi. Contigisse eam V. C. 706., inter omnes convenit, sed quo anni tempore, inter chronologos addubitatum. Mense Majo Pharsali debellatum conjecit Petavius [a]), Norisius labente Iunio [b]). Detecta serius bina illustria monumenta Norisium verum fuisse vatem docuere. Legitur in Kalendario Amiternino ad V. Idus Augusti: FER*iae*, *Quod* EO. D*ie* C. CAE*sar* C. F. PHARSALI. DEVICIT. et in Antiatino ad eundem diem: DIVS. IVL*ius* PHARS*ali* VICIT. Vide utrumque testimonium in fastis Verrii Flacci a cl. Fogginio editis p. 112. In Kalendario Maffaeiorum ad eundem diem scriptum legitur: HOC. DIE. CAESAR. HISPALI. VIC*it*. At idem Fogginius non solum ex citatis modo binis Kalendariis, sed etiam aliis causis solide conjecit, errasse primos ejus marmoris descriptores, et pro PHARSALI perperam legisse HISPALI. Iam vero hunc diem IX. Augusti anni Romani nondum correcti Vsserius retrahit in diem VI. Iunii anni Iuliani proleptici, at cl. Nauzeus in diem XXIX. Iunii proleptici [c]). Ex his calculis nonnihil variantibus saltem etiam de mense ejus conflictus, quem *cruentissimum Romani nominis diem* dixit Vellejus, satis certi sumus. Hujus ergo causa victoriae Antiocheni, ut diximus, novam aeram induxere, sic tamen, ut ejus initium προλημπτικως figerent ad autumnum anni praecedentis V. C. 705., et annum secundum inchoarent in autumno anni 706., haberentque

a) Doctr. temp. L. X. c. 62. b) Ep. Syrom. p. 163. c) Mem. B. L. Tom. XXV. p. 254.

Digitized by Google

adeo primum aerae suae annum pro completo incompletum. Illustris hujus aerae, dictae *Antiochenae*, annis scriptores non pauci ad temporum rationem usi sunt, quorum etiam testimoniis invicte comprobatur, ejus initium ducendum ab autumno V. C. 705., quae quidem omnia copiose, ac more suo erudite exposuit Em. Norisius a).

Laodicenses Caesariana quoque aera usi, quod Caesar ex Aegypto adversus Pharnacem terrestri itinere profectus, cum in eorum urbe versaretur, amplis eos beneficiis adfecit. Factum istud V. C. 707., verum quod ab Antiochenis mox factum diximus, hi quoque initium aerae ex autumno anni proxime elapsi V. C. 706. suspenderunt. Alia, quae ad confirmandam hanc aeram pertinent, jam dedimus in numis hujus Laodiceae.

Aegeaei Ciliciae, et Gabalenses Syriae epocham Caesarianam auspicati sunt ab autumno V. C. 707., quod initium in eorum moneta comprobavimus. Causa iis haud dubie eadem, quae Laodicensibus, nimirum Caesar eodem itinere moenibus receptus. Sed utrique annum primum novae aerae proximo autumno occoepere.

Caesarianam quoque aeram adoptasse videntur Rhosus Syriae, Ptolemais Galilaeae, Nysa Samariae, verum istud ex numis hactenus cognitis satis tuto definiri nequit.

IV. *De aera Actiaca seu Victoriae, ab anno V. C. 723.*

Victoria de Cleopatra et M. Antonio ad Actium IV. Non. Sept. V. C. 723. relata, qua orbis terrarum imperium Octaviano cessit, causa, si qua alia, justa fuit, propter quam urbes Graecae novam epocham conderent. Paucae tamen urbes eam recepere. Numi *Antiochiam*, *Apameam*, *Seleuciam*, et forte *Rhosum*, quae omnes sunt Syriae urbes, eam adoptasse testantur. Vnica haec est epocha, quae nomen suum, aut verius sui institutae causam palam profitetur, scripto in numis Antiochiae ΕΤΟΤΣ. ΝΙΚΗΣ. *anno victoriae*. Qua ratione dictae urbes hac epocha in numis suis usae fuerint, videatur in singulis.

* * *

Supersunt adhuc epochae aliae, quas variae urbes ejusdem regionis, ut Ciliciae, Ponti, Bithyniae, secum communes habuere, sed de quibus in earum moneta actum jam est.

---

a) l. c.

Digitized by Google

SECTIO V.

DE VARIIS VNIVS EIVSDEMQVE VRBIS EPOCHIS.

Fuere urbes non paucae, quae antiquata, qua hactenus usae sunt, aera novam induxerunt. Ejus exempla non adduco, quod ex praefixo catalogo facile cognoscuntur. Causa constituendae novae fuere aut beneficia impetrata mutatusque in melius status, aut obsequii in magna rerum mutatione studium. Exemplo esto Antiochia Syriae. Haec autonomiam a Pompejo M. adepta V. C. 690., abolita Seleucidarum epocha ab eodem hoc anno tempora sua numis inscripsit. Hoc ad Pharsalum profligato, sive quod periculosa esset veterum benefactorum confessio, sive mutata aerio in novum victorem voluntate, omissa aera Pompejana annos suos ab hac ipsa Caesaris victoria ducere coepit. V. C. 724. victo ad Actium Antonio, verso in Octavianum obsequio, Actiacae victoriae annis uti maluit, non tamen sic, ut Caesarianam plane abjiceret, quod capite sequente patebit. Augusto vita functo, et sublata obsequii causa, novam hanc iterum aeram aspernata, in Caesariana deinceps plene acquievit. Haec uberius docuimus in moneta Antiochiae, at hic exempli causa paucis retexere necesse fuit, nam eodem modo et propter similes causas alii quoque populi veteres aeras aut abjecerunt, aut earum fuerunt desultores.

Negari non potest, hanc urbium in variandis epochis inconstantiam, sive eum novas conderent, sive his postea fastiditis ad veteres redirent, non leve rationibus chronologicis malum importare. Saepe enim admodum difficile, non raro plane incerta ratio definiendi, quando urbs quaepiam plures per intervalla epochas adoptavit, a qua anni numis inscripti sint numerandi. Et vero in horum calculo viros etiam summos interdum perversam rationem secutos, variis per hoc opus locis indicavi, ac praecipue in moneta Antiochiae, Sidonis, ac Tyri. Haec tamen aerarum inconstantia, si cautio adhibeatur, minus est molesta, quam vulgo existimatur. Eam enim saepenumero non tam numi ipsi, quam falsa antiquariorum praeconia obtrusere. Iuvabit, quod modo adserueram, aliquot exemplis stabilire. Constat, Sinopenses primum usos aera ducta ab anno V. C. 684., postea V. C. 709. aliam constituisse. Frölichium et Pellerinium si audias, iidem paucis post annis abolita nova respexere veterem imperante Augusto, iterum novam sub Caligula, iterum veterem sub Alexandro Severo.

Digitized by Google

Verum in eorum moneta abstersi hanc inconstantiae maculam, et solidis argumentis comprobavi, a Sinopensibus inde ab anno V. C. 709. aeram novam in numis adhibitam, et veterem demum imperante Alexandro revocatam. Abbas Mazzolenus probare ex numis aggressus est, Amisenos Ponti intra annos nonnisi XVI. triplice varia epocha usos, tamen certum est, unicam ab iis, quae ab anno V. C. 721. ducitur, fuisse usurpatam, et Mazzoleni judicium ex numis male promulgatis fluxisse. Fecit fortuna propitia, ut plures alias urbes ab inveterata hac et diu credita levitatis culpa licuerit absolvere. Et vero si in numos hactenus editos novo liceret judicio inquirere, haud dubie plures aliae adfictae culpae in chronologiae commodum evanescerent, quae hactenus epocharum negotium impedivere, quas nos spes posteris, qui haec nostra curabunt, relinquimus. Praecipua ac certa similis eodem tempore aerarum permixtionis exempla suppeditant numi Apameae et Seleuciae Syriae urbium, tum et Tripolis Phoeniciae.

SECTIO VI.

DE EPOCHA DVPLICE IN VNO EODEMQVE NVMO.

Tres sunt urbes, in quarum numis, etsi rarissime istud factum, duplex epocha conjungitur. Harum una est *Antiochia Syriae*, in cujus nonnullis rarissimis tetradrachmis legitur annus ϛΛ, 36, et alter ΔN, 54. Annus prior pendet ab aera Actiaca, alter a vetustiore Caesariana, ut in ejus numis adcuratius explicavimus. Altera est *Ascalon Iudaeae* scripta in nonnullis duplice aera hoc modo: $\frac{ϛN}{BP.}$ De utriusque aerae natura vide numos hujus urbis. Tertia *Gaza Iudaeae*, in cujus numis legimus: Γ. ЄΠΙ. BqP. vel: Δ. ЄΠΙ. ΓqP. et similiter. Quo pacto duplex haec aera explicanda sit, diximus in moneta Gazae.

Ab his exemplis certi sumus, urbes quasdam Graecas, posteaquam novam aeram instituerunt, non continuo veterem aspernatas, sed hanc cum nova conjunctam monumentis suis inscripsisse. Qua quidem in re idem ab iis factum videmus, quod in adsumendis, retinendis, abjiciendis imperatorum nominibus; aut enim novi imperantis adoptato nomine retinuerunt vetus, aut istud palam neglexerunt. Vtrobique valuit adfectus seu verus, seu fictus. Atque inde facile potest explicari, non modo, cur et quo pacto urbes nonnullae post

Digitized by Google

multos annos ad veterem aeram rediverint, ut de Sinopensibus in eorum moneta diximus, sed etiam, cur in numis urbium, etsi paucissimarum, uno fere eodemque tempore variarum epocharum annos inscriptos videamus.

Adfine prioribus exemplum offert numus Commodi Alexandrinus, in quo eodem legitur L. KB. et L. I'. Prior numerus indicat annum patris M. Aurelii sub Commodo continuatum, alter annum Commodi imperantis. Vide hujus numos Alexandrinos.

SECTIO VII.

DE ANNI APVD VETERES INITIO.

Anni initium, cum suapte natura sit arbitrarium, non idem omnibus populis fuit, aliis eum vel ab alterutro solstitio, vel alterutre aequinoctio, aliis ab alio quopiam cardine, ut visum fuerat, inchoantibus. Prioris instituti causam dedit naturalis solis ad idem punctum reversio, posterioris quaecunque alia causa, v. g. quaedam Italiae civitates diem, quo primum Augustus ad se venisset, initium anni fecerunt a). Anni Hegirae a die XVI. Iulii post Christum 622., quo die Muhammedes Arabum legislator fugere est coactus, procedunt. Apud alias gentes duplex fuit anni exordium. Romanis Kalendae Ianuariae inde a Numa fuere exordium anni civilis, at dies XI. Kal. Maias, quo Palilia, et urbis natalis agebatur, fuit initium epochae urbis conditae. Ex chronologorum doctrina Iudaei annum naturalem divisere in ecclesiasticum, et civilem. Ecclesiasticus coepit in verno mense Nisan, civilis in autumnali Tisri.

Quo anni tempore, mense, die singuli populi ac urbes annum auspicati sint, propter monumentorum defectum definiri nequit. De nonnullis satis accurate nobis constat, sed in plerisque aliis non habemus nisi conjecturas probabiles. De Aegyptiis tenemus, eos annum inchoasse a die I. mensis Thot. Sed cum eorum annus tantum constaret diebus 365., neglectis horarum reliquiis, et intercalandi more factum, ut caput anni singulis annis quatuor die uno in anno Iuliano retardaret, donec capta a Romanis Aegypto initium mensis Thot ad diem XXIX. Augusti figeretur, de quo nos pluribus egimus in tractatu de numis Alexandrinis. Annum Syromacedonum coepisse in autumno, satis evidenter ex scriptoribus,

a) Suet. in Aug. c. 59.

Digitized by Google

numis et argumentis ab astronomia petitis est demonstratum, de quo vide praecipue Norisium in praeclaro opere *de anno et epocha Syromacedonum*. In autumno inchoatam aeram Seleucidarum, diximus supra, quo loco eius initium fiximus. Eodem refertur principium aerae Antiochenae, etsi de mense, Septembri, an Octobri, dubitetur, de qua lite vide Em. Norisium [a]). Iudice Belleyo [b]) Bostreni Arabiae annum occoepere ab aequinoctio verno, atque idem comprobat [c])., Cappadoces, anno olim vago et desultorio usos, posteaquam in Romanorum potestatem venere, annum suum a die XII. Decembris anni Iuliani ducere coepisse. Atque haec exempla ad comprobandum varium inter Graecos annorum initium sufficiant. Omisi Graecos Europaeos, quia eorum numi epochae annis destituti ad praesens institutum non pertinent. Interea etsi pauca tantum annua urbium exordia nobis certa fide comperta sunt, quia tamen de majore parte Graecorum orientalium aut certi sumus, aut probabilem habemus conjecturam, eos annum ab autumno auspicatos, possumus non magno errandi periculo aliarum quoque urbium annos ab eodem anni tempore ducere.

Atque haec praecepta de anni apud veteres exordio necesse fuit praemittere, quia absque his cognitis in epocharum initia et reliquas causas inquiri non potest, de quibus continuo agemus.

SECTIO VIII.

DE MODO EPOCHARVM EXORDIA ERVENDI.

Epocharum anni tamdiu nullum usum praestant, donec de anno epochae nobilioris, nobisque magis cognitae constet, a quo illae numerari debeant. Iudaei a Simeone in libertatem adserti a tempore impetrati hujus beneficii epocham novam sunt exorsi testante istud auctore libri I. Macchab. [d]) *et coepit populus Israel scribere in tabulis et gestis publicis, anno primo sub Simone sacerdote magno, duce et principe Iudaeorum.* At ne in obscuro esset tempus, quo primus hic novae epochae annus coepit, prudente illum consilio alteri epochae latius patenti, nempe aerae Seleucidarum illigavit praemissis his verbis: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel.* Nos hodie exordia epocharum, quibus privatim usae sunt urbes, po-

a) l. c. diss. III. c. 6. b) B. L. Tom. XXX. p. 313. c) B. L. Tom. XXXV. p. 624.
d) c. 13. v. 41.

Digitized by Google

puli, reges, vel in annis Christi, vel urbis conditae, illustrioribus quippe et passim cognitis epochis, inquirimus. Mihi anni urbis conditae praeplacent, quia ratione aequabili, ut progrediuntur, eorum crescit numerus, quando e converso anni ante Christum, ut progrediuntur, decrescunt, et augentur post Christum, quod rationes arithmeticas non parum impedit.

Anni cujuscunque epochae, monumentis veterum inscripti, per se non indicant, a quo capite eorum ducatur exordium. Necessarium igitur est fremum seu ex historia, seu collatis aliis numis, seu cujusque generis monumentis aliis petitum, quod eos nimium vagos aut intra arctiores fines coerceat, aut eorum situm in alterius epochae cognitae anno certissime definiat. Exstat apud Reinesium marmor, quod fuit in arce Messeniae Ithome [a]):

ΕΠΙ. ΙΕΡΕΩC. ΚΡΕCΦΟΝΙΟΤ.
ΕΤΟΤC. ΡΝΖ. ϰ. τ. λ.

Sub sacerdote Chresphonio (melius *Cresphonte*) *anno* 157. *etc.* Aera Messeniorum Peloponnesi ignota est, annus inscriptus nihil in se habet opis, unde ejus situs posset determinari, neque reliquum epigramma criterium aliquod suppeditat, quale esset, si constaret, quo anno Cresphontes apud Messenios sacerdotio functus esset. Incertum igitur est ejus aerae initium, et erit, donec fortasse monumenta olim alia suppetias veniant. Neque vero Reinesius, dum epochae hujus caput ad annum V. C. 607. fixit, aliud praeter conjecturam oppido infirmam conjecit. Chandlerus marmor Laodicenum vulgavit [b]), quod se positum profitetur

ΕΤΟΤC. ΗΞC. ΤΗΑΤΩΝ. ΓΡΑΤΟΤ. ΚΑΙ. CΕΛΕΤΚΟΤ. *Anno* 268. *Grato et Seleuco Cos.* Annus hic in incerto foret, nisi ei succurreret adscriptum par consulum, quod ex fastis constat processisse V. C. 974., cui adeo anno respondet annus 268 Laodiceae Syriae, cujusque annus primus, ut sequentes leges dictabunt, ducendus est ab anno V. C. 706. Similibus subsidiis universa ratio epochas supputandi nititur, quod subjecta continuo exempla docebunt.

Quaeratur initium aerae Amasiae Ponti.

Exstat apud Vaillantium numus Commodi inscripto PqΘ. 199. Currebat ergo hic Amasiae annus imperante Commodo. Quare ut reperiatur caput hujus epochae, annis 199. in epocha urbis conditae retrocedendum est, donec uterque extremus Commodi imperantis annus obtineatur. Commodus dictus est Augustus V. C. 930. Subtracto ex 930. numero numi 199 minus 1, id est: 198., residuum est 732. Caesus est idem V. C. 945. ultimo Decembris die. Subtracto inde rursum 198. residuum est 747. Ergo annus primus numeri 199. respondet uni cuipiam ex annis 732. usque 747. Intra hos ergo annos tamdiu vagabitur aerae principium, donec certam in aliquo anno sedem ope alterius numi obtineat. Exstat in museo Caesareo ejusdem Amasiae numus alter cum capite

a) Inscr. ant. T. I. p. 386. b) Inscr. ant. p. 92.

Digitized by Google

Alexandri Severi et anno CKH. 228. Dictus est Augustus V. C. 975. mense Martio, caesus V. C. 988. initio anni. Subducendo simili lege ex utroque hoc anno numerum numi 199—1, seu 198., caput epochae vagabitur intra annos V. C. 777. et 790. Compositis utriusque imperantis annis epochae initium tam certe ad autumnum V. C. 747. esse figendum, ut neque in annum proxime anteriorem, neque proxime posteriorem evagari possit, sic probatur. Fingamus, eam coepisse anno proxime praecedente 746. Addendo ad 746. annum numi Alexandrini 228—1, seu 227., summa dabit annum V. C. 973., a cujus autumno usque ad autumnum anni sequentis signatus esset numus. Verum intra hoc tempus Alexander nondum fuit Augustus, quem honorem nonnisi mense Martio V. C. 975. abstulit. Ergo epocha Amasiae anno proposito incipere nondum potuit. Esto, coepisse eam V. C. 748. Addendo ad 748. annum numi Commodiani 199—1, seu 198., summa dabit annum V. C. 946., a cujus autumno usque ad sequentis anni autumnum feriri debuisset numus dicto anno notatus. Verum per omne illud tempus non amplius superstes fuit Commodus, caesus exeunte anno V. C. 945. Ergo initium epochae in annum posteriorem moveri nequit, manetque immotum ad annum V. C. 747.

* * *

Hoc modo epocharum omnium initia solent investigari. Tamen ut universa ratio melius intelligatur, nonnulla alia adhuc restant praecipienda.

I. Sive addendo, sive subtrahendo, numi anno unitatem, ut vidimus, abstuli. Quod ni fiat, unus idemque annus bis addetur, vel subtrahetur, et summa, vel residuum semper unitate excedent, quia cum annum numi cum anno alterius epochae compono, uterque hic annus, et qui componitur, et cum quo componitur, re ipsa unus tantum est, non diversi duo. Sic scire volo, cui anno urbis conditae respondeat v. g. annus 132 aerae Amasensis, quam constat coepisse anno V. C. 747. Nemo non intelligit, annum primum ex summa annorum 132. esse unum eundemque cum anno 747., ergo si huic addam integram summam 132, aggregatum 879. unum eundemque annum bis continebit. Aufer ex numero 132. unitatem, summa 878. dabit annum urbis conditae, cujus autumno coepit currere annus 132. aerae Amasiae. Idem valebit etiam in subtrahendo. Nosse cupio, quo anno urbis conditae coeperit aera Seleucidarum, quam scio coepisse anno 312. ante Christum. Natus est Christus anno V. C. 753. secundum Varronem. Ab hoc si subtraham totum numerum 312., certum est, me nimium subtraxisse, nimirum totum etiam illum annum urbis conditae, cui respondet annus 312. ante Christum. Aufer ex hoc numero unitatem, et subtrahe 311 ex 753., residuum 442. dabit annum urbis conditae, cujus autumno coepit annus primus aerae Seleucidarum. Haec doctrina non rite observata non raro viros eruditos in fraudem induxit, cujus exemplum dedimus in moneta Acgarum Ciliciae. Ceterum si quis unitatem subtrahere nollet, non propterea offendet, si modo adverterit, subtracta unitate exiturum annum V. C., cujus

Digitized by Google

autumno coepit annus quaesitus, non subtracta annum V. C., cujus autumno dictus annus exivit.

Haec tamen unitatis mulcta in additione anni inscripti ad annos urbis conditae, vel etiam subtractione tum locum non habebit, quando monumentum characterem quendam chronologicum continet, qui autumnum ejus anni Iuliani praecedit. Tum enim totus numerus monumento inscriptus ad inveniendum epochae initium vel additur, vel subtrahitur. Exstat numus Othonis Antiochiae Syriae cusus cum anno ZIP. 117. Quaeritur, cujus anni autumno coeperit aera Antiochiae. Numus signatus est V. C. 822. a medio Ianuario, quo imperare Otho coepit, usque ad medium Aprilem ejusdem anni, quo is se interemit, et, quod sequitur, ante autumnum ejus anni Iuliani. Subtrahatur ergo totus numerus 117 aerae Antiochenae ab anno V. C. 822., residuum 705. dabit annum V. C., cujus autumno dicta aera initium habuit. E converso quaeritur, quo anno urbis conditae signatus fuerit idem Othonis numus cum anno 117. aerae Antiochenae. Coepit haec in autumno V. C. 705. Addatur ergo huic totus numerus 117., summa dabit annum V. C. 822. verum ejus numi signati tempus. Causa omittendae ejus mulctae est, quia intra cursum anni Antiocheni ab uno autumno ad alium annus V. C. Iulianus Kalendis Ianuariis jam sibi unitatem addidit, anno Antiocheno interim usque ad proximum autumnum invariato. Eodem modo perage examen aerae Laodiceae Syriae, quae in marmore Graeco, quod in hujus urbis nummis citavi, his verbis notatur: *anno* 268. *mense Xanthico consulibus Grato et Seleuco.* Xanthicus Syromacedonum respondet Aprili anni Iuliani. Fuit ergo monumentum positum ante autumnum. Similiter item perage examen aerae Seleucidarum ex monumento, quod supra sectione IV. dederam, quod offert characteres chronologicos, consulatum Paulini et Iuliani, annum aerae 636., et mensem Daesium respondentem Iunio, qui adeo autumnum quoque praecedit. Si character monumenti tempus autumno posterius usque ad proximas Kalendas Ian. indicat, quia interim et hic unitas accrevit, adimenda iterum unitas secundum regulam praecedentem.

II. Non raro accidit, ut epochae cujuspiam exordium per duos, tres, aut plures etiam annos vagetur, deficiente nimirum justo monumentorum numero, quorum variantes anni intra certos illud limites coercerent. Exemplo esto annus OC. 270. conjunctus cum capite Elagabali in numo Botryos Phoeniciae. Elagabalus imperium auspicatus est mense Iunio V. C. 971.; subtracto inde anno numi 270., residuum 701. dat annum V. C., ante cujus autumnum incipere epocha non potuit. Caesus est in Martio V. C. 975. Subtracto iterum anno 270., residuum 705 dat annum V. C., ultra cujus autumnum initium aerae differi nequit. Vagabitur ergo initium aerae intra annos V. C. 701. et 705., donec aliorum numorum ope arctius figatur. Definitas horum subsidio propius aeras, aut plane stabilitas multis locis dedimus, quae hic repetere non vacat. Ex his praeceptis suapte sequitur, quanto pauciorum annorum

Digitized by Google

principis fuit imperium, quale fuit Nervae, vel Macrini, tanto arctius utrinque aerae exordium cohiberi. Habemus exemplum initii aerae ab usu eodemque numo invicte demonstrati, illud ipsum nempe numi Antiocheni cum capite Othonis et anno 117. paullo supra citatum. Quoniam Othonis imperium tantum a medio Ianuario usque ad medium Aprilem anni V. C. 822. duravit, ablatis inde annis 117, evidens est, aerae Antiochenae principium ab autumno V. C. 705. ducendum. Idem obtinetur, cum unus idemque annus numis duorum Augustorum, qui sibi proxime successere, inscriptus legitur. Sic in numis Trajani et Hadriani Tripoli Phoenices percussis legitur idem annus HKT. 428. Mortuus est Trajanus mense Augusto V. C. 870., eique continuo successit Hadrianus. Ergo sublatis inde annis 428. certum habemus aerae Tripolitanae initium in autumno V. C. 442. Idem praestat annus ΓΛΦ. 533. inscriptus numis ejusdem Tripolis cum capite et Elagabali et Alexandri Severi. Cum numus nullum offert characterem chronologicum fixum, quod praecipue fit in numis autonomis, seu qui nullum offerunt regis vel Augusti, vel cujuscunque principis caput, tum plerumque aut difficilis est, aut desparata in aerae exordium inquisitio. Exemplo sunto numi Alexandriae Troadis cum epigraphe ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΣΜΙΘΕΩΣ. et variis epochae annis, et autonomus Hyrgaleae Phrygiae cum anno ΤΣϵ. 365.

III. Epochae per aliquot duntaxat annos vagae saepe ope aliarum epocharum, quibus vicina oppida usae sunt, satis tuto stabiliuntur. Sic si epocha cujuspiam Syriae late sumptae urbis fluctuet prope annum V. C. 442., quo coepit aera Seleucidarum, vel 690., qui annus fuit exordium aerae Pompejanae, quoniam utriusque epochae multus fuit in Syria usus, poteris citra erroris periculum aerae, in quam inquiris, exordium alterutri adcommodare. Simili modo viri eruditi fluctuantes urbium Ponti et Ciliciae aeras stabilivere.

IV. Commode etiam epochae exordium aliquatenus vagum historiae subsidio nonnunquam cohibetur. Sic Belleyus epocham Cybirae Phrygiae inter annos V. C. 776. 777. 778. fluctuantem ad annum 776. fixit, quia hoc anno teste Tacito civitati Cibyraticae terrae motu adflictae a Tiberio subventum fuit, satis vero aliorsum constat, civitates a memorabili quodam facto novam aeram auspicatas, de quo vide dicta in moneta hujus urbis. Eodem modo epochas alias solidis conjecturis certo anno adfixas satis per hoc opus vidimus.

V. Vt vaga epocharum initia modis dictis possunt coerceri, sic et alia, quae ab eruditis recte stabilita diu credebantur, novorum numorum ope certiorem sedem sunt nacta. Sic serius correctas fuisse aeras Amasiae Ponti, Anazarbi Ciliciae, aliarumque complurium, suis locis perspicue videre licet.

VI. Quemadmodum epochae historiae adminiculo certam stationem obtinent, ut mox ostendimus, sic et historia vicissim ex epochis rite stabilitis insi-

Digitized by Google

gnia aufert emolumenta. Sic plerique auctores veteres Antiochum VII. Evergeten Syriae regem anno 182. aerae Seleucidarum mortuum contenderunt. Verum ex numis comprobatur, eum anno ejus aerae ΦΠΡ. 186. adhuc in vivis fuisse. Ex anno CLXXXII., qui inscriptus legitur numo Sinopes, comprobatur, Aelium Caesarem non Kalendis Ian. V. C. 890., quod nonnullis viris gravibus visum, sed 891. diem obivisse. Ex anno ΘqC. 299., qui est in numo Aegarum Ciliciae cum capite Corneliae Superae, eruimus sine dubio, hanc Augustam Valeriani junioris uxorem esse non potuisse, sed verius Aemiliani. Plura alia ex vetere historia epocharum ope expuncta dubia longum foret recensere, quae suis locis adcurate indicavimus.

VII. Non sola regnorum et imperiorum tempora epocharum principium fiunt, verum etiam complures aliae causae, ad quas cum non semper animum adverterent artis nostrae studiosi, factum, ut non raro graviter offenderent. En ex his nonnullas, quae verum temporis characterem constituunt. Magna imperatorum pars, antequam Augusti titulo decorarentur, solum Caesaris nomen monumentis publicis inscripsit. Constat plerumque, quo anno ex Caesaribus evaserint Augusti. Ergo si instituto computo annus, qui est in numo M. Aurelii adhuc Caesaris, incideret in tempus, quo teste historia jam fuit Augustus, epochae initium haud dubie erit anticipandum. Adde titulos varios a victis gentibus certo tempore adscitos, ut *Dacici* primum, deinde *Parthici* a Trajano, ab aliis *Germanici*, *Armeniaci* etc. Cum Livia Augusti conjux in numo Iulia dicitur, is vivo Auguste feriri non potuit, quia nonnisi hujus testamento in familiam Iuliam transiit. Proderit saepe a barba augurium capere. Haec mento appensa aut indicium est aetatis magis provectae, ut in M. Aurelio, Caracalla etc. aut primae juventae, antequam haec ex Romanorum more poneretur, ut in horum moneta copiosius dicetur. Praetereo criteria alia, ceu fabricam numi, formam literarum, etc. quae prudens antiquarius ad temporis rationem saepenumero utiliter adhibebit.

VIII. Causas constitutarum epocharum saepe tenemus, neque modo majorum illarum, quales fuere aera Seleucidarum, Pompejana, Caesariana, etc. sed etiam earum, quae privatim urbibus propriae fuerunt, historia nimiram facem opportune praeferente. At multarum causas tacentibus historicis haud dubie perpetuo ignorabimus. Observandum hoc loco, cum insignis cujuspiam eventus causa nova aera inducta fuit, eam urbes alias προλημπτικως ab autumno proxime praeterito numerare coepisse, prout Antiocheni suam autumno V. C. 705. adfixerunt, etsi pugna ad Pharsalum, quae novae aerae causa fuit, in aestate V. C. 706. commissa fuit; alias vero ab autumno proxime sequente, ut istud factum ab Aegaecis et Anazarbenis, Ciliciae populis, in eorum numis diximus.

Digitized by Google

SECTIO IX.

DE ANNIS PRINCIPATVS ET MAGISTRATVS.

Praeter annos epochae, de quibus hactenus actum, saepe in moneta vetere comparent numeri, quos certum est indicare annos principatus, rarius gesti magistratus. Differunt hi ab epocha, quod haec continuatur, illi cum principis vita desinunt, tametsi aliquot sunt exempla, annos principatus epochae quodammodo naturam induisse, ut dicetur. Hos, de quibus agimus, annos in tres classes partimur, I. in annos imperii, II. in annos regni, III. in annos magistratus.

I. *Anni imperii.*

Hi observantur in numis.
Alexandriae Aegypti.
Anemurii Ciliciae,
Arabiae provinciae, nisi forte notatur epocha.
Caesareae Cappadociae.
Caesareae Samaritidos.
Carrharum Mesopotamiae.
Cerasi Ponti.
Coropissi Lycaoniae.
Cypri insulae.
Diospolis Samaritidos.
Eleutheropolis Iudaeae.
Iconii Lycaoniae.
Laodiceae Phrygiae.
Magydi Pamphyliae.
Termessi Pisidiae.
Tiberiadis Galilaeae.
Trapezuntis Ponti.
Tyanorum Cappadociae.

His adde numos inscriptos: ETOTΣ. NEOT. IEPOT. A. B. Γ. etc. cum variis imperatorum capitibus, signatos Antiochiae Syriae, Caesareae Cappadociae, et in insula Cypro, de quibus agemus sectione sequente.

In numis imperii orientalis inde a Iustino anni imperii leguntur sic: ANNO. II. III. etc.

II. *Anni regni.*

Conjungo tetrarchas et sacerdotes, qui, si non reges, certe regia potestate ditioni suae praefuere. Leguntur autem hi anni in numis.

Mostidis regis forte Epiri.
Regum Cappadociae.
Sacerdotum et principum Olbae Ciliciae.
Sacerdotum, regum, et tetrarcharum Iudaeae.
Regum Aegypti.
Regum Numidiae.

Digitized by Google

III. *Anni magistratus.*

L. APRONI. PROCOS. III. in numis Carthagini tributis.

C. VIBIO. MARSO. PR. COS. II. vel III. in numis Vticae Zeugitanae.

ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. in numis Cypri.

* * *

Anni in his numis notantur eodem modo, quo epocharum annos notari vidimus. Aut enim praefigitur ET. vel plenius ETOTΣ., aut L., quam literam esse initialem vocabuli Λευκόθεος, supra diximus, aut annus prorsus solitarie ponitur. In numis regum Numidiae scribi solet: R. XXXII. etc. id est: *anno Regni* XXXII. etc. vel R. A. X. id est: *Regni Anno* X. In quinariis Lugduni Galliae Antonio IIIviro dicatis legitur A. XL. et A. XLI. sed non satis certum, qui anni his numeris indicentur, ut in moneta hujus IIIviri monebitur. Adhibenda cautio, ne in principatus annis potemus numerum, qui revera epothae annus est. Non difficulter tamen sese illi praeter alias causas etiam eo distinguunt, quod plerumque contractiores esse eorum numeri solent.

Annos principatus ab historicis quoque numerari solitos, et passim alias ad temporum rationem, perinde atque hodie, valuisse, multa occurrunt exempla. Apud Lucam legitur [a]): Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, *anno XV. imperii Tiberii Caesaris.* In marmore Adulitano Ptolemaeus III. Evergetes sic de se: ETEI. THΣ. EMHΣ. BAΣIΛEIAΣ. KZ. *anno mei regni XXVII* [b]).

Inscripti numis imperii anni ad chronologicam imperatorum historiam magnum adferunt momentum. Maximum inter hos usum praestant id genus numi in Aegypto cusi, dicti vulgo Alexandrini, quorum utilitatem et commoda suo loco liberaliter praedicavimus. Proximum locum obtinent argentei aeneique Caesareae Cappadociae. Reliquarum, quas commemoravimus, urbium numi amplam seriem non praestant.

Quocunque quis anni tempore imperium est auspicatus, annus imperii secundus numerari semper consuevit ab eo die, quo coepit annus civilis singularum urbium, de qua lege vide quae uberius diximus in tractatu de numis Alexandrinis, in numis Caesareae Cappadociae, et quae in proxima sectione ad numos ETOTΣ. NEOT. IEPOT. observabimus. Ad haec, cum plerumque imperatores nondum finito anno civili diem obierint, factum necessario, ut fere constanter ex his numis annum imperantium primum et postremum habeamus incompletos. Quam haec necessario ad chronologicam imperantium historiam sint observanda, iisdem locis, tum et in tractatu de tribunicia potestate praecepimus, et praecipiemus.

Quod in populorum numis anni imperii, idem in monetis Romanorum praestant numeri tribuniciae potestatis, de quorum usu et computandi modo videsis tractatum de his singularem, ut et, quae ad rationem votorum quin-

a) Cap. 3. v. 1. b) Chishull. Ant. Asiat. p. 78.

Digitized by Google

quennalium, decennalium etc. pertinent, quorum disquisitio aliquid etiam in imperatorum chronologia habet utilitatis.

Factum aliquoties, ut qui anni principio essent principatus, subinde epochae naturam induerent, cum nempe successori continuare patris annos placuit. Ejus exemplum dedit Ptolemaeus II. Philadelphus continuando patris Soteris annos. Eodem modo monetarii Alexandrini produxere annos M. Aurelii et Severi per imperium filiorum Commodi et Caracallae, ut in ea numorum serie observavimus. Verum omnes hae inchoatae epochae cum filiis desivere.

Additi proconsulibus Romanis numeri, quos postremo loco proposui, haud dubie annos obiti in provincia magistratus indicant; nam quid aliud hoc loco notare possint, non video. Ceterum demptis his, quos citavi, numis nulli alteri magistratui additos annos conspexi.

SECTIO X.

DE NVMIS INSCRIPTIS:

ETOTΣ. NEOT. IEPOT.

Illustris est monetae argenteae, plerumque maximi moduli series inde a Galba usque ad Nervae imperium ab urbibus in Orientem positis signatae, in cujus antica caput imperantis, in aversa juxta typos varios scriptum ETOTΣ. NEOT. addito plerumque IEPOT, et anni numero, id est: *anno novo sacro.* Antequam probabilem ejus epigraphes explicatum adfero, necesse video, horum catalogum numorum secundum temporum rationem proponere, in quibus conquirendis laborem sublevavit cel. Belleyus, qui eorum seriem adcurate descripsit in praeclaro suo ad hos numos commentario a), cui ego tres habeo, quos addam, et unum, nempe postremam Decii, quem demam.

Galba.

1) ΓΑΛΒΑΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Galbae, in area astrum.*

a) Mem. B. L. Tom. XIX p. 447.

Digitized by Google

ETOTΣ. NEOT. IEPOT. A. *Aquila alis expansis fulmini insistens, juxta lauri ramus.* AR. I.

2) *Alius, sed cum anno* B. AR. I.

Vespasianus.

3) ATTOKPAT. KAIΣA. OTEΣΠAΣIANOΣ. *Caput laureatum.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. A. *Aquila expansis alis clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I.

4) ATTOKPAT. KAIΣA. OTEΣΠAΣIANOT. *vel:* OTECΠACIANOC. KAICAP. CЄBACTOC. *Caput idem.* ETOTΣ. IEPOT. B. *vel:* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. B. *Similis typus; in nonnullis aquila corollam ore stringit.* AR. I.

5) ATTOKPAT. KAIΣA. OTEΣΠAΣIANOT. *Caput laureatum, infra aquila expansis alis.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. B. — T. ΦΛATI. OTEΣΠ. KAIΣ. *Caput Titi laureatum.* AR. I. (Est etiam apud Pellerin Mel. I. tab. 7. n. 7.)

6) ATTOKPAT. KAIΣA. OTEΣΠAΣIANOT. *Caput laureatum.* ETOTΣ. NEOT. Γ. IEPOT. *Aquila expansis alis clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I.

7) ATTOKPAT. KAIΣA. OTEΣΠAΣIAN - - *Caput laureatum.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. Δ. - - ΦΛATI. OTEΣΠ. KAIΣ. *Caput Titi laureatum.* AR. I: (Pellerin Mel. I. tab. VII. n. 8.)

8) ATTOKPAT. KAICA. OTECΠACIANOC. *Caput laureatum.* ЄTOTC. Δ. IЄPOT. *Aquila expansis alis clavae insistit, juxta palmae ramus.* AR. I.

9) ATTOKPATΩP. OTECΠACIANOC. KAICAP. CЄBA. *Caput laureatum.* ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. Δ. *in alio:* Є. *Aquila alis expansis rostro caduceum tenet, et insistit basi, ex qua una, vel duae spicae prodeunt.* AR. I. (Belley, Pellerin l. c.)

10) *Adversa similis.* ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. Z. *Iuppiter stans d. pateram, s. innixus scipioni, cui insidet aquila.* AR. I. (Catal. d'Ennery.)

11) ATTOKPATΩP. OTECΠACIANOC. KAICAP. *Caput laureatum.* ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. *Templum Veneris Paphiae.* AR. I.

12) *Eadem adversa.* ЄTOT. NЄOT. IЄPOT. H. *Iuppiter stans, ut num.* 10. AR. I.

13) ATTOKPATOP. KAICAP. TITOC. OTЄCΠACIANOC. CЄB. *Caput laureatum.* ЄTOT. NЄOT. IЄPOT. H. *Aquila expansis alis clavae insistit, juxta palmae ramus.* AR. I.

Vulgatus est hic numus in Museo Card. Albani, nunc Vaticano. Singu-

Digitized by Google

lare in eo est praenomen TITOC Vespasiano additum, quod etsi ipse forte habuit, tamen nullum novi numum commatis Romani, neque alium peregrini, et forte neque marmor exstat, in quo ejus nomini praenomen Titi praefigeretur: ex quo apparet, illud filio velut proprium cessisse. Vide, quae de hoc argumento disputabo in numis Vespasiani commatis Romani. Titi Augusti is numus esse nequit propterea, quia is annum imperii VIII. non attigit. Quod si tamen erit Titi, erit ejus adhuc Caesaris, et annus VIII. pertinebit ad patrem, fueritque monetarii lapsu additum vocabulum CЄB., quanquam ad hoc opinandum obstet etiam forma numi, nam in hac classe numos eorum, qui Caesares tantum fuere, voluminis fuisse contractioris, infra observabimus.

14) ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΤЄCΠΑCIANOC. ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑ. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΤC. NЄΟΤ. ΙЄΡΟΤ. Θ. *Templum Veneris Paphiae, ut num.* 11. *vel; Iuppiter stans, ut num.* 10, *in nonnullis in imo spica.* AR. I.

15) ΑΤΤΟΚΡΑΤωΡ. ΤΙΤΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput Titi laureatum.* In aliis:
ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput Domitiani laureatum.*
ЄΤΟΤC. NЄΟΤ. ΙЄΡΟΤ. Θ. *Templum Veneris, vel Iuppiter stans, ut supra.* AR. II.

16) ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΤЄCΠΑCIANOC. ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑ. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΤC. NЄΟΤ. ΙЄΡΟΤ. I. *Iuppiter stans, ut num.* 10. AR. I.

17) ΑΤΤΟΚΡΑ. ΚΑΙΣΑΡ. ΟΤΕ-ΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΤΣ. ΙΕΡΟΤ. *Mons Argaeus cum statua insistente.* AR. I.

18) IMP. CAESAR. AVG. VESPASIANVS. *Caput laureatum.*
COV. NЄPOVΔ. *Aquila expansis alis basi insistens rostro caduceum stringit, pro pedibus hinc, et inde palmae ramus promicans.* AR. incertae formae. (Sylloge numism. ant. Londini 1708. pag. 37.) AE. III. (Mus. Caes.)

Eundum hunc numum delineatum reperio inter complures alios genuinos in opusculo Germanice conscripto: *Müntzbuch, darinnen zu besehen etc. Frankfurt am Mayn bey Iacob de Zetter* 163a *in 4to.* Sed in hoc capitis epigraphe fertur: DIVVS. AVGVSTVS. VESPASIANVS.

Titus.

19) TITOC. OTЄCΠACIANO. ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑCTOC. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΤC. NЄΟΤ. ΙЄΡΟΤ. Β. *Aquila stans expansis alis, juxta palmae ramus.* AR. I.

Domitianus.

20) ΑΤΤΟΚ. ΚΑΙCΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. CЄΒ. *Caput laureatum.*
ЄΤΟΤC. NЄΟΤ. ΙЄΡΟΤ. Β. *Aquila*

Digitized by Google

alis expansis fulmini insistit, juxta palmae ramus. AR. I.

21) ATT. KAICAP. ΔOMITIA-NOC. CEB. ΓEP. *Caput laureatum.* ETOTC. NEOT. IEPOT. H. *vel* Θ. *vel* ENATOT. *Aquila expansis alis fulmini insistit, juxta palmae ramus.* In aliis: *Iuppiter stans*, vel: *Templum Veneris Paphiae, ut supra.* AR. I.

22) ATTO. KAIΣAP. ΔOMITIA-NOΣ. ΣEB. ΓEPM. *Caput laureatum.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. ENΔEKA-TOT. *Aquila expansis alis fulmini insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. Est etiam in mus. Caes.

Nerva.

23) ATT. NEPOTAΣ. KAIΣ. ΣEB. *Caput laureatum.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. A. *vel* B. *Aquila fulmini insistens, juxta palmae ramus.* AR. I.

* * *

Decii numum, quem prioribus addidit Belleyus, omitto, quia huc prorsus non pertinet, ut ostendam proximo §. I.

* * *

Repraesentata hac numorum classe in judicium veniunt I. epigraphe ETOTΣ. NEOT. IEPOT. II. calculus annorum inscriptorum. III. horum patria numorum. IV. eorum metallum, et pondus.

I.

De epigraphe ETOTΣ. NEOT. IEPOT.

Haec epigraphe, quae *annum novum sacrum* indicat, incredibile dictu, in quam absurdas sententias conjecerit veteris aevi antiquarios. Existimavit Erizzus, aut potius insanivit, cum credidit, inscriptos annos ducendos a constructo sacro Salomonis templo. Ejus expressa verba sunt in suis *Discorsi* pag. mihi 131 ad numum Graecum Agrippae II. cum capite Vespasiani: *le quali medaglie, come si vede, furono battute nell' ottavo e nono anno dall' edificazione del sacro tempio fabricato dal Re Salomone.* At Haymius annos orsus est ab excidio templi Hierosolymitani duce Tito. Seguinus a restituto templo Iovis Capitolini imperante Vespasiano, cui adhaesit Spanhemius quoque [a]). Additque Pioveneus [b]), signatos id genus numos, quos Iudaei in templi Capitolini sumptus pendere jubebantur. Nolo longius refutare sententias, quae se ipsas evertunt, et quibus refutandis plus, quam necesse videatur, inhaesit Belleyus. Satis esto, eruditis his viris falso creditum, annos inscriptos habere naturam epochae, qui tamen, quia in singulis imperantibus annum primum revocant, aliud non sunt, quam anni imperantium, ut in Alexandrinis, quod serius agnovere Norisius [c]), Frölichius, aliique, qui fere omnes eo consensere, annum hunc dictum novum, sacrumque in his numis propter ludos sacros,

a) Caes. Iuliani p. 62. b) Mus. Farnes. IX. p. 35. c) Ep. Syrom. Diss. III. c. 6. sub. fin.

Digitized by Google

qui facti sunt, seu cum imperium princeps adivit, qui dies natalis imperii dici consuevit, seu cum idem dies anno exacto redivit, quorum occasione solennium hos signatos numos credidere. Denique Belleyus his capitibus doctrinam omnem complexus est: I. Vrbes Orientis peregere sacrificia, ludos, ac vota, sive cum princeps imperium est suspicatus, sive cum earum annus civilis iniit, sive recurrente die natali imperii. II. Propter eandem causam sacrificiorum, ludorumque sacrorum annos suos dixere sacros. III. Exemplo Romanorum *annum novum primum* dixerunt diem, quo princeps ad imperium est evectus. Sic III. idus Octob. dicitur Senecae *annus novus*, *initium saeculi felicissimi*, sic in numo Anazarbi Ciliciae cum capite Decii legitur: ЄΤ$_{ϵς}$ ΙЄΡΟΤ. ΝЄΟΤ. ΠΡΩΤΟΤ. ΖΞC. *anno novo sacro primo* 267. IV. Nonnisi dies, quo imperium quis suscepit, aut quo annus novus civilis inivit, fuit dictus ΕΤΟΣ ΝΕΟΝ ΙΕΡΟΝ, *annus novus sacer*, at dies natalis imperii, quia serius recurrebat, atque adeo annum novum constituere non potuit, dictus est simpliciter ΕΤΟΣ ΙΕΡΟΝ, *annus sacer*, omisso ΝΕΟΝ, *novus*. Haec ille.

Credo ego, ad explicandos hos numos tanto molimine atque apparatu, quo argumentum istud tractavit Belleyus, opus non esse. En tibi modam planum, ac simplicem, quem potissimum persuasit series argentea tetradrachmorum Antiochiae Syriae, ubi certum est, ut infra trademus, maximam sacrae hujus monetae partem fuisse signatam. Ex hac discimus, Antiochenses sub Nerone coepisse tetradrachmis suis inscribere annos imperantis, conjunctos tamen cum annis aerae Caesarianae, v. c. ΕΤΟΤΣ. ΑΙΡ. Θ, id est: anno CXI. aerae, IX. imperantis Neronis. Inde a Nerone ex illis extrusi sunt anni aerae, et retenti soli anni imperantis, sed hi variis formulis enunciati. A Galba usque ad Nervam valuit formula ΕΤΟΤΣ. ΝΕΟΤ. ΙЄΡΟΤ. A. B. etc. rarius omisso ΝΕΟΤ. Tamen etiam in numis Othonis legimus tantum ЄΤΟΤC. A. manente solito typo aquilae, et rami palmae. Dicitur annus ΝΕΟΣ, *novus*, quia annus novus revera iniit, cum princeps imperium adivit, aut cum elapso vetere coepit alter annus civilis. Sic et apud Romanos primus imperantis annus dicebatur *annus novus*, ut supra ex Seneca vidimus, et annus novus dicebantur Kalendae Ianuariae; unde et in numis Latinis Hadriani, Antonini, et Alexandri legimus: S. P. Q. R. *Annum Novum Faustum Felicem.* Dicitur annus ΙΕΡΟΣ, *sacer*. Si mensis a quibusdam populis numinis loco est habitus, quod constat ex numis Antiochiae Pisidiae, nequaquam mirum, annum quoque religione fuisse sacrum. Teste Eustathio [a]), qui Aelianum testem advocat, ἐν Γαδειροις βωμος Ενιαυτῳ ἱδρυται, και Μηνι ἀλλος, εἰς τιμην χρονου βραχυτερου τε και μικροτερου, *posita fuit Gadibus ara Anno, et Mensi altera, in honorem temporis longioris, et brevioris.* At

a) Ad Dionys. Perieg. v. 453.

Digitized by Google

in his, de quibus agimus, numis annus sacer dicitur non alia de causa, quam quia fuit imperantis, cujus omnia fuere sacra. Sic et legimus: *sacrae imagines*, *sacrae largitiones*, *sacra moneta Augustorum*, *Caesarumque*. Quare non mihi convenit cum Belleyo existimante, annum numis his inscriptum dictum fuisse sacrum propter celebratos illo ineunte ludos sacros. Ejus adserendi potior illi causa fuit numus Decii apud Anazarbum Ciliciae signatus, editusque a Froelichio cum praetensa epigraphe: ЄT. IЄPOT. NЄOT. ΠPΩTΨ ZΞC. *Anno sacro novo primo* 267, in quo typus: *quinque ludorum urnae prominentibus palmis*. At non istud in illo numo legitur, sed: ЄT. IЄPOT. OΛTMΠ. ΘZC. *Anno sacro Olympio* 269, ut diserte comprobavi in moneta ejus urbis. Annus ergo hic Anazarbenus non propterea dictus est sacer propter religionem ludorum sacrorum, qui quovis ineunte anno civili causa principis acti fuere, sed quod hoc anno Anazarbus ex instituto suo sacros ludos Olympios egit.

Inde a Trajano annus novus sacer inferri numis non desiit, sed alia tantum formula adhiberi coepta; nimirum pro ETOTΣ. NEOT. IEPOT. scriptum deinceps ΔHMAPXIKHΣ. EΞOTΣIAΣ. *tribunicia potestate*, quae et singulis annis renovabatur, quod aequivalet τῳ NEOT, et sacra fuit, quod est pro IEPOT., et singulis annis unitate aucta perinde imperatorum annos numeravit, quam Graecorum ETOΣ. Factum istud ab Antiochenis, aliisque passim urbibus, ut Romanorum modum imitarentur, in quorum numis perpetua mentio trib. potestatis addito, vel omisso numero, et consulatus, cujus copiosa habes exempla in numis argenteis, et aliquibus etiam aeneis aetate Trajani, Hadriani, Antonini per Orientis urbes signatis. Atque hoc modo inscripta tetradrachma, saltem Antiochena, habemus a Trajano usque ad Volusiani imperium eliminata penitus ETOTΣ. NEOT. IEPOT. formula.

Epigraphe ЄOV. NЄPOVΔ, quae est in numis Vespasiani loco 18 propositis, ut insolens est, ac perturbata, positam tamen esse pro ЄTOTC. NЄOT. IЄPOT. Δ., facile apparet, atque adeo cum propter dictum epigraphes sensum, tum typum sociandos iis, qui loco 9 proponuntur. Reliqua dubia expedivi in mea Sylloge I. num. vet. p. 78, quo loco similium numorum unum promulgavi.

II.

Calculus annorum his numis inscriptorum.

Valet in his idem computus, qui in numis Alexandrinis. Vt enim in his annus I. ducitur ab eo die, quo imperium princeps est auspicatus, et exit in proxima neomenia Thot, seu die XXIX. Augusti, quo coepit annus II., sic et in sacris his numis annus B. init in autumno, a quo per Orientis urbes annus novus duci consuevit. Hanc legem luculente comprobant numi Galbae, in quibus leguntur anni A et B, cujus tamen imperium septem tantum mensium fuit. Si populi hi annos imperantium sui calculi legibus subjecere, nihil istud mirum, quia ejus instituti exemplum praebent etiam Alexandrini, tum et Caesarenses Cappadociae, aliique, verum

Digitized by Google

istud singulare, quod subinde et trib. potestatem, cujus, ut paullo altius dixi, mentio formulae ETOTΣ. NEOT. IEPOT. successit, in autumno iteravere, de quo paradoxo copiose olim agam in moneta Trajani. Quo confirmatur, formulas ETOTΣ. NEOT. IEPOT, et ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ. ΕΞΟΤΣΙΑΣ eodem apud has gentes loco fuisse.

III.

De patria horum numorum, et typis.

Si lubet sequi auctorem Belleyum, haec de horum patria numorum habeto: Tyrum arguit clava, Seleuciam Syriae fulmen, Caesaream, aut forte Sebasten, Palaestinae urbes, modius spicis refertus, Salamina Cypri signum Iovis, Paphum templum Veneris Paphiae, Caesaream Cappadociae mons Argaeus. Haec ille in laudata principio dissertatione p. 466. At ego aliam eorum patriam non agnosco praeter Antiochiam Syriae, Cyprum, Caesaream Cappadociae. De singulis pauca.

ANTIOCHIA SYRIAE. Huc pertinent omnes, qui aquilam expansis alis seu fulmini, seu clavae, seu basi insistentem, adstituto plerumque palmae ramo, exhibent, aut cum eadem aquila in partem anticam trajicitur, infra Augusti caput collocata. Quam causam qui plenius nosse cupit, in quaeso totam seriem tetradrachmorum Antiochenorum, quam in horum moneta proposui, sequatur. Saepe offenderunt artis nostrae studiosi, cum ex sigillis minutis, illisque arbitrariis et vagis, qualia sunt clava, astrum, spica etc., eorum se patriam posse elicere speraverunt.

CYPRVS. Huic insulae jure tribuuntur, qui typos habent Cyprios, videlicet templum Veneris Paphiae, et Iovem stantem eo cultu, quo is fingitur in numo ex descriptis X. Hunc Iovem esse Capitolinum, perperam adseruere Seguinus [a]), et Spanhemius [b]). Quanta enim spectato cultu utriusque Iovis differentia! Melius Vaillantius Iovem Salaminium dixit, nulla tamen addita causa [c]); sed quam suppeditat Ammianus [d]): *Salamis, et Paphus, altera Iovis delubris, altera Veneris templo insignis.*

CAESAREA CAPPADOCIAE. Huc pertinere eos, qui montem Argaeum exhibent, disputatione non eget.

IV.

De metallo, et pondere horum numorum.

Alium hujus classis, nisi argenteum non reperit Belleyus, dempto uno Decii Anazarbeno, qui aeneus est. Sed neque hic legem infringit; nam eum ad hanc classem non pertinere, supra §. I. docui. Licuit tamen mihi reperire aeneum, quem in Vespasiano postremum proposui, et quem huic classi socian-

a) Sel. num. p. 144. b) Caess. Iulian. p. 62. c) Num. praest. T. II. p. 93. d) L. XIV. c. 8.

Digitized by Google

dum, etsi in multis a reliquis differat, satis, ut opinor, comprobavi.

Qui capita Augustorum offerunt, pondere sunt tetradrachma, at qui capita habent Titi, et Domitiani adhuc Caesarum, didrachma sunt, quo instituto habitam dignitatis rationem jure conjicit Belleyus.

SECTIO XI.

DE MÆNSIBVS, ET DIEBVS.

Non annos modo, sed et menses, quin dies quoque in veterum monumentis notatos reperimus. Horum pauca ut commemorem, habemus apud Peyssonelum a): ΠΡΟ. ΠΕΝΤΕ. ΚΑΛΑΝΔΩΝ. ΜΑΡΤΙΩΝ comparatum cum ΜΗΝΟC. ΔΕCΙΟΤ. ΤΕΤΑΡΤΗ. Apud eundem b): ΜΗΝΟC. ΑΤΔΤΝΑΙΟΤ. ΤΡΙC. ΚΑΙ. ΔΕΚΑΤΗ. In noto monumento Agliboli, et Malachbeli praeter annum epochae ZMϤ. legitur ΜΗΝΟC. ΠΕΡΙΤΙΟΤ c). Ad numos quod attinet, deum Mensem saepe in numis Asiae minoris expressum habemus, adstituto etiam vocabulo MENSIS in nummis coloniae Antiochiae Pisidiae. Menses ipsos, eosque Macedonicos, habemus in tetradrachmis regum Parthiae adscripto etiam in nonnullis ΜΗΝΟC, *mense*, quod indicasse satis esto, ne jam dicta rursus obtrudam. Praeter hos mensium mentionem in numis non reperi, atque etiam qui reperti sunt, ad chronologiam nihil conferunt.

Dies in Graecorum moneta reticentur. Ex numis Romanorum notus denarius Bruti, cujus aversa inscribitur; EID*us* MAR*tiae*, seu dies XV. Martii V. C. 710, quo a conjuratis interfectus est Caesar dictator.

---

a) Voyage p. 346. b) pag. 277. c) Mus. Capitol. T. IV. p. 96.

Digitized by Google

CAPVT XXI.

DE FESTIS AC LVDIS.

Agimus hoc capite de ludis, studiorum genere, quo aliud nullum Graeci pertinaciore conatu, malim rabie, exceluere, si belli artes, et civiles contentiones demas. Atque istud de antiquissima etiam Graecia intelligendum; tam enim in hac vetustus eorum usus, ut, quod fieri amat in institutis, quorum exordia ignoramus, eorum auctores aut dii, aut, qui proxime deos essent, heroes putarentur. Neque mirum, ad haec exercitia ardentius inflammatos eorum animos, quos suis natura donis ad certaminum periculum liberalius instruxerat, quando nihil erat sive praemiorum, sive honorum, quod in arena victoribus negaretur. Parum enim pro dignitate videbantur honorati, si publica praeconis voce victores renunciati, auferrent praemia in singulis ludis ex vetere instituto proposita, nisi et statuis et perennibus poetarum carminibus donarentur, cujus generis sunt Pindari epinicia, reduces vero in patriam ab effusa ad spectaculum multitudine communi gratulatione, itinere floribus constrate, accensis odoribus, caesis etiam non raro victimis exciperentur, decreto insuper publico in prytaneo victu, et a muniis publicis immunitate. Quod quidem institutum quicunque aequo reputat animo, fateri mecum cogetur, nimios hercle fuisse honores decretos pugilibus et aurigis, majores sane, quam quantos Miltiadi, Themistocli, aliisque summis libertatis Graecae vindicibus publice delatos constat, et plus indultum voluptati, et spectaculorum levitati, quam istud expedire reipublicae et communi saluti videretur. Enimvero aureum est Euripidis monitum, quod ex deperdita ejus fabula Autolyco conservavit Athenaeus [a]), inutiles has Graecorum voluptates gravi censura notantis; ecquid, inquid, feliciter luctatus, ecquid pedum celeritate pernix, aut discum in sublime jactans, aut malas feriens probe, coronamque

a) L. X. c. 2.

Digitized by Google

his adeptus, patriae suae civitatique prodest? An vero pugnaturi sunt cum hostibus discos manibus jactantes? aut citato cum clypeis cursu hostem patria exigent? Sic sane nemo delirat, qui in acie prope stetit. Aequum igitur, inquit, sapientes homines atque bonos foliis coronari, et si quis civitatem optime regit, temperatus ac justus vir, qui oratione sua prava facinora submovet, rixas et seditiones compescit; haec scilicet sunt et toti civitati decora, et universae Graeciae. At his multo est mirabilius, quod hunc suum in ludos publicos furorem in religiosis quoque caerimoniis, quibusque numina aut observarent, aut placarent, putavere. Praeclare hanc aequalium suorum vesaniam exagitat Philo Iudaeus. Cave, inquit a), sacra putes certamina, quae instaurant tertio quoque anno civitates quaedam condentes theatra, quae multa millia hominum recipiunt. In his enim aut luctator adversarium pronum supinumve sternens, aut pancratiasta validus a nulla vi vel laesione sibi temperans primam laudem occupat. Nec desunt, ait, qui utroque pugno in caput faciemque involant, et his probe contusis in cetera quoque membra saeviunt; ubicunque autem plagas inferunt, mutilant, et post haec tam immania coronas, praemiaque petunt. Nam reliqua certamina cursorum, quinquertionumque nemo sapiens non rideat, hoc agentium, ut saltus sit quam longissimus, quos non solum grandiores animantes, cervus aut caprea, sed vel minimus catellus aut lepusculus a tergo relinquet. Iure igitur arguit senior his recutitus noster, his ex certaminibus nullum prorsus sacrum esse. Nam ipsi, inquit, talium admiratores leges tulerunt contra vim, et in corpus saevientibus poenas constituerunt. Et quo modo aequum videri potest, ut, qui ulciscuntur factas privatim injurias, nec impunitas sinunt, iidem in celebritatibus, tantaque spectatorum frequentia coronas talium facinorum patratoribus, et alia quaedam per praeconem statuant praemia? Haec, atque his plura Philo laudatus.

Atque haec quidem ludorum insania jam Euripidis aevo excedere modum visa tamen comparata cum illa, quae serius invaluit, ferri utcunque potuit. Etenim veteri illi, suique adhuc juris Graeciae, qualis ejus poetae aetate exstitit, nunquam defuere negotia seria, sive cum externus hostis urgeret, sive vicinorum aemulatio metum injiceret, sive dissidia forensia, mutuumque odium civitatem distraherent. At vero Graeci in Romanorum servitutem prolapsi, cum jam iis nullam attingere reip. partem liceret, his sese certaminum ludicris penitus immersere, Romanis ipsis haec eorum studia adprobantibus, quod sic turbulenta Graecorum ingenia a rebus novandis, clandestinisque consiliis avertebantur. Numorum judicium si audimus, ludorum insania tanto subinde gravius incubuit, quanto desperatiores provinciarum res, propiusque perniciem fuere, nimirum ut averso a communibus malis animo quibus possent modis fastidium lenirent. Sane

a) de Agricult.

Digitized by Google

inde a Severo ludorum imagines, antehac infrequentes, obvium sunt in Graecorum numis argumentum, frequentissimae vero sub Valeriani et Gallieni imperio, nimirum fatiscentibus tum maxime provinciis. Quod cum apud animum meum reputo, Graecosque cum Romanis contendo, idem utrinque video mentis humanae iter ac pregressum, utrosque mutato in pejus reip. statu in eadem denique avia compulsos. Constat populum Romanum stante rep. Circensibus moderate usum, nimirum quo adhuc tempore ad se pertinuerat regere comitia, sciscere leges aut antiquare, sancire foedera, reges aut imponere, aut dejicere. Continuo imperio ac negotiis omnibus ad unum delatis idem hic populus rerum arbiter, qui, ut verbis Iuvenalis utar [a]), debat olim.

Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat
Panem, et Circenses.

Enimvero quo tempore, barbaris imperium undique prementibus, adversum hos consilia omnia erant conferenda, idem hic populus acrioribus studiis causas factionis prasinae, russatae, venetae, albae disceptavit, quam olim de exigendo Italia Hannibale disceptatum fuit. Insani ejus adfectus testimonium praebet numerosa veteris monetae classis, quam *Contorniatorum* appellamus, nullo fere alio, praeterquam spectaculorum argumento insignis. Verum haec disputatio alterius est loci, alieni certe a causis operis, quas nobis principio praefiximus.

Vetustissimi in Graecia, famaque per orbem celeberrimi ludi fuere quatuor, quae commemorat notum epigramma Archiae additis eorum praemiis:

Τεσσαρες εισιν αγωνες αν' Ελλαδα, τεσσαρες ιροι,
Οι δυο μεν θνητων, οι δυο δ' αθανατων.
Ζηνος, Λητοϊδαο, Παλαιμονος, Αρχεμοροιο,
Αθλα δε των κοτινος, μηλα, σελινα, πιτυς.
Quatuor sunt ludi per Graeciam, quatuor sacri,
Duo quidem mortalium, duo vero immortalium.
Iovis, Apollinis, Palaemonis, Archemori,
Praemia vero horum olea, mala, apium, pinus.

Quos versus sic Latine reddidit Ausonius [b]):

Quatuor antiquos celebravit Achaia ludos,
Coelicolum duo sunt, et duo festa hominum.
Sacra Iovis, Phoebique, Palaemonis, Archemorique,
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

Iovis certamina sunt Olympica, Apollinis Pythia, Palaemonis Isthmia, Arche-

a) Sat. X. v. 79. b) in Eclogario.

Digitized by Google

mori Nemea. Principio certus his agendis locus fuit adsignatus, et Olympica quidem acta sunt in Olympia Pisatide Elidis, Pythia apud Delphos, Isthmia in Isthmo Corinthiaco, Nemea in nemore prope Cleonas, quibus propter claritatem adde constituta serius Actia celebrata Nicopoli, et Capitolina Romae. At successu temporis eadem haec certamina in exteras quoque urbes fuere accita, eaque adeo, praecipue Olympia, Pythia, Actia, in copiosis earum numis exarata legimus. Causa similis appellationis fuit, quod civitates domesticos suos ludos ad exemplum veterum illorum Graeciae certaminum conformaverant. Atque in hoc quidem sensu capienda mihi videntur vocabula: EN. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ. ΙΣΑΚΤΙΟΝ, et EN. ΤΑΡΣΩ. ΙΣΟΛΤΜΠΙΟΝ, memorata in marmore Chandleri [a]), iterum ΙΣΟΛΤΜΠΙΑ in marmore Neapolitano, quod exhibet Corsinus [b]). Existimat eruditus hic vir, composite hoc nomine intelligenda ΙΣελαστικα ΟΛΤΜΠΙΑ, malim asserere, esse compositum ex ΙΣος, *aequalis*, *similis*, et indicare, certamina Actia celebrata Caesareae, et Olympia acta Tarsi similis esse naturae, cujus sunt Actia Nicopolis, et Olympia Elidis, unde sumptum exemplum, eodem nimirum modo, quo Graeci dicunt ἰσανεμος, *vento velocitate similis*, ἰσοτροπος, *qui similibus est moribus*. Neque vero quis existimet, vocabulum ἰσολυμπιος, etsi ad lexica nostra Graeca nondum diverterit, in solis tantum his marmoribus habitare, neque ab alio quopiam scriptore vetere hospitio exceptum. Ille sane usum videe Philonem Iudaeum, cum significare rem non quidem eandem, sed plane similem voluit. Agens enim de honoribus Augusto decretis hoc refert [c]): πασα ἡ οἰκουμενη τας ΙΣΟΛΤΜΠΙΟΤΣ ἀντιμας ἐψηφισατο, *universus orbis honores ei coelestibus similes decrevit*. Quo modo etiam Constantinus M. Graecis Christianis dictus fuit ἰσαποστολος, *Apostolis par*, quia horum imitatus fervorem Christianam fidem propagavit. Ceterum non raro, cur ludi quidam privati dicerentur Olympia, una causa fuit, quod illi ad modum Olympiorum quinto quovis anno recurrente celebrari sunt soliti, ut dicetur infra, ubi de Olympiis agemus.

Animadvertendum praeterea, cum in uno eodemque numo vel marmore plura coacervantur ludorum nomina, nequaquam intelligendos ludos multiplicatos, sed unum, eumque alienis titulis turgidum, quod jam etiam videre Isselinus [d]) Corsinus [e]) ac Spanhemius, quo is loco conjuncta in Ancyrae numis nomina ΑΣΚΛΗΠΙΑ. ϹΩΤΗΡΕΙΑ. ΙϹΘμια. ΠΥΘΙΑ. ad sola Ancyrae Asclepia, quae simul et Isthmia et Pythia dicerentur, referenda contendit [f]). Addo argumenta alia ex monumentis petita. Legitur in numis Coloniae Laodiceae Syriae ANTONINIANA. PVTI. (id est: *Pythia*) typo duorum Centaurorum vas malis refertum tenentium;

a) Inscr. ant. p. 92. VI. b) diss. agon. in Isth. §. XIV. c) legat. ad Cajum Vol. II. edit. Mangey pag. 567. d) B. L. hist. T. V. p. 283. e) Diss. Agon. in Isthm. §. XIV. f) Ep. I. ad Morell. §. 3.

Digitized by Google

item in marmore Chandleri a): ΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ. ΤΗ. ΠΑΤΡΙΔΙ. ΜΟΥ. ΠΥΘΙΑΔΙ. ΠΡΩΤΗ. ΑΧΘΕΙΣΗ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΝ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΟΝ. *Laodiceae in patria mea, Pythiade, quae prima agebatur, Oecumenicum Antoninianum.* Ex quo apparet, Antoniniana Laodicena dicta Pythia, quod horum more secundum Pythiades numerabantur, et quod eorum praemia essent mala perinde atque Pythiorum, ut in his docebitur. In numis Philippopolis Thraciae legitur: ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ typo urnae ludorum additis malis, quae peristasis indicat, certamina haec Alexandrea, saltem spectatis praemiis, fuisse Pythia, ut revera in numis ejus urbis similibus aliis saepe praeterea additur vocabulum ΠΥΘΙΑ. Atque eodem modo interpretare ΣΕΠΤΗΡΕΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. vel: ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. vel: ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. et similia copiosa alia. Ceterum vera adjectorum magnorum nominum causa fuit perspecta ejus aetatis libido venandi canoros titulos et magnificas appellationes, quod fieri semper amat, cum verae solidaeque causae desunt. Nimirum ut parum sibi laudati videbantur Nicaeenses, si viri tantum boni probique putarentur et essent, nisi etiam se nominibus ἀρίστων μεγίστων, *optimorum, maximorum*, quae proprie Iovis fuerunt, efferrent, ut sexcenta alia ejusdem vanitatis exempla praeteream, ita passim civitates Graecae parum honoratos credidere ludos suos, si eos privatis suis nominibus appellarent, neque adderent illustria nomina Olympiorum, Pythiorum, Actiorum etc.

Iam et expedienda veniunt, quae ad inscriptiones typosque pertinent. Ad illas quod attinet, ludorum nomina communiter in A exeunt, ut: ΟΛΥΜΠΙΑ. ΚΑΒΕΙΡΙΑ. etc. quae quidem ratio enunciandi ludos festaque est pervetus. Etenim Herodotus, quo loco Ionum festum Neptuno Heliconio dicatum describit, sic ait: ἐς την (ἀκρην) συλλεγομενοι ἀπο των πολιων Ιωνες ἀγεσκον ὁρτην, τῃ ἐθεντο ὐνομα Πανιωνια. Πεπονθασι δε ὑπι μουναι ἀι Ιωνων ὁρται τῦτο, ἀλλα και Ελληνων παντων ὁμοιως πασαι ἐς τωῦτο γραμμα τελευτωσαι, καταπερ των Περσεων τα ὐνοματα. *Ad hoc* promontorium *collecti ex urbibus Iones festum agunt, quod Panionia vocant. Accidit vero hoc non Ionum duntaxat festis, sed et similiter omnia omnium Graecorum festa in hanc literam desinunt, perinde atque Persarum nomina* b). Quae quidem lex deinceps etiam in Graecis valuit. Quare in numis Ancyrae Galatiae legitur: ΑΓΩΝ. ΙΣΘμια ΠΥΘΙΑ. pro ΠΥΘΙΟΣ. et Dio Cassius loquens de Nerone, ἀγωνα, inquit, πενταετηρικον κατεςησατο, ΝΕΡΩΝΕΙΑ ὀνομασας, *certamen quinquennale instituit, NERONIA illud appellans* c). Quam quidem phrasin planissime imitatos fuisse Latinos, copiosis, optimaeque notae testimoniis potest demonstrari. En ex innumeris aliquot exempla. Ovidius de Apolline d):

a) Inscr. ant. p. 92. VI. b) L. I. c. 148. c) L. LXI. §. 21. d) Metam. L. I. v. 446.

Digitized by Google

Instituit sacros celebri certamine ludos PYTHIA, de domitae serpentis nomine dictos.

Suetonius de Nerone [a]): *Instituit et quinquennale certamen, quod appellavit NERONIA.* Ante omnes vero audiendus Quinctilianus [b]): *Quaedam*, ait, *faciem soloecismi habent, et dici vitiosa non possunt, ut tragoedia Thyestis, et LVDI FLORALIA et MEGALESIA, quanquam haec sequenti tempore intercederunt, nunquam aliter a veteribus dicta.*

Denique una adhuc formula in numis valuit: IЄPOC. addito vel suppresso AΓΩN. id est: *sacrum certamen.* Sic: IЄPOC. intra lauream, in numo Commodi, Anazarbi Ciliciae. (Vaill.) IЄPOC. ATTAΛЄΩN. OΛTMΠIOC. OIKOTMЄNIKOC. intra coronam, in numo Salonini, Attaliae Pamphyliae. (Mus. Pisani.) IЄPOC. Vrna ludorum inter duas taedas ignitas, in numis Diadumeniani et Elagabali, Castabalorum Cappadociae. (Vaill.) IЄPOC. ΠTΘIA. Mensa cum urna, in numo Gallieni, Pergae Pamphyliae. (Vaill.) IЄPOC. addito in aliis: ΠTΘIOC. MTCTIKOC. etc. in numis Philippi et Valeriani, Sides Pamphyliae. (Vaill.) ΠANIΩNIOC. in autonomo Smyrnae. (Mus. Caes.) Suppressum in his vocabulum AΓΩN, numi item demonstrant. Eccos: IЄPOC. AΓΩN. Vrna, in numo Commodi, (Vaill.) AΓΩNЄC. IЄPOI. Tres urnae, in numo Gallieni. (Pellerin.) IЄPOC. AΓΩN. ΠTΘIA. Tres urnae, in numo Valeriani sen. (Arigoni.) Sunt omnes Nicaeae Bithyniae. AΓΩN. ANTONINIAN. inscriptum clypeo, quem mulier turrita rupi insidens tenet. (Pellerin Rec. I. p. XV.) Hanc formulam numi Latini Heliopolis Coelesyriae et Sidonis Phoeniciae reddunt SACRVM. CERTAMEN., quos vide descriptos infra in *Iselasticis.* Sacri autem dicebantur ludi, quia in honorem deorum, aut qui diis suppares habiti sunt, heroum et Augustorum agebantur, tum etiam quia ad quatuor principum Graeciae certaminum modum agi consuevere, quae vulgo sacra dicebantur, unde passim victores *hieronicae* appellati.

Typi in his ludorum numis sueti sunt: Vrna, vel crater unus aut plures, quibus proposita in ludis praemia indicantur, dicta Graecis ἆθλα, βραβεια, σπαρτηρια, quin et vocabulum AΘΛA in praestantibus numis Syracusarum juxta παναθηναια scriptum legitur, ut dictum in earum moneta. Frequens apud veteres mentio, cessisse hieronicis in victoriae praemium crateras, amphoras, hydrias, lebetes etc. quorum testimonia studiose collegit Spanhemius [c]), quo loco comprobat etiam, craterem saepe in medio panegyrios fuisse constitutum e quo diis agonum praesidibus libarent athletae decertaturi. Crateri unus, pluresve etiam palmae rami inserti conspiciuntur. Isthoc nullus alius certior fuit apud veteres victoriae index, de qua re, etsi in vulgus nota, vide quae iterum undique congessit Spanhemius [d]). Adfert deinde articulo sequente [e]) rationem, cur, ut nonnunquam plures

a) cap. 12. b) instit. L. I. c. 5. c) ep. I. ad Morell. §. XI. et XII. d) l. c. §. XIII. e) §. XIV.

Digitized by Google

urnae, sic et non raro plures iis palmae rami inserti appareant. Nimirum, inquit, si v. g. duo sunt crateres, hi indicabunt totidem agonas, quemadmodum totidem numero crateres in numis Ancyrae, quos ibi citat, indicant ΙCΘμια et ΠΤΘΙΑ juxta scripta. Insertae illis palmae, ut singulae generatim victoriae sunt indices, sic multiplicatae variorum certaminum in uno eodemque agone constitutorum indicant praemia, ceu pugilatus, luctae, cursus etc. Quid quod et prima, secunda, tertia praemia, Graecis πρωτα, δευτερεια, τρια, quorum in variis ludis secundum veterum testimonia fuit usus, multiplicatis his palmis possunt notari. Haec Spanhemius. At vereor, ut his ejus dictatis tuto stari possit. Video enim, admodum esse difficile, ac saltem arbitrarium plane, secundum has leges urnarum palmarumve numerum, quem numi hi offerunt, explicare. Esto, hos illosve numos his sese legibus adcommodare, at sunt alii, in quibus ludorum inscriptorum numerus minus apte cum numero craterum potest componi, ut adeo res ad conjecturas denuo redeat, quas advocent, qui volent. Typus alter, et hic quoque frequens, neque in numis solum, sed et marmoribus, est corona, de qua disserere plura non attinet, cum res sit pervulgata, victores coronari solitos, et quidem corona variae ex recepto ludorum instituto naturae, quo de argumento multa praeccpere auctores rei agonisticae. Typus alius non infrequens est templum, nempe ejus dei, in cujus honorem acti ludi, pro quo in aliis ipsa dei imago proponitur. Sic concessit Augustus Pergamenis, ut in honorem templi suo honori dicati ludos instituerent [a]). Idem factum in honorem Commodi, dicetur infra in *Commodiana*. In numis Pythiorum testibus saepe finguntur mala, scilicet victorum praemia, ut infra in his monebimus. Typos alios singulares videsis in catalogo subjecto.

Ad ludos numis inscriptos propius ut accedamus, varia illi ex variis causis sortiti sunt nomina, I. *a Diis*, ut: Asclepia, Cabiria, Coraea, Dusaria, Helia, Heraclea, Pythia etc. Similium festorum jam catalogum dedit Iulius Pollux [b]). II. *a regibus*, ut: Alexandrea, Attalea. III. *ab imperatoribus:* ut: Caesarea, Augustea, Sebasmia, Commodiana, Gordiana etc. quin fuere etiam festa a provinciarum rectoribus appellata, sed quae in numis non nominantur, ut Mucia in Asia, Marcellea Syracusis, ac deinde praeclara illa Verrea, de quibus omnibus vide Ciceronem [c]). IV. *a loco*, ut: Actia, Isthmia, Nemea, Olympia, Capitolina, Ephesia, quibus adde: ЄN. KOΔPIΓAIC. in numis Tarsi, et forte ЄNMONIΔЄIA in numo Magnesiae Lydiae. V. *a modo*, ut: Arista, Hiera, Iselastica, Megala, Mystica, Oecumenica, Periodica. VI. *a facto quodam, aut peristasi*, ut: Epinicia, Philadelphea, Epidemia, Theogamia.

Sequens catalogus enumerabit I. festa ac ludos, quos Κοινα, id est: *Com-*

a) Dio L. LI. §. 20. b) Onom. L. I. c. 1. §. 37. c) in Verr. L. II. c. 21.

Digitized by Google

munis nomine egerant provinciae, urbibus singulis sumptum facientibus. II. ordine alphabetico festa ac ludos, quorum speciatim nomina variarum urbium numi produnt. Vt illustrare singulos, quantum ad eorum intelligentiam necessarium duxero, non negligam, sic a verbosa earum ἐξηγήσει abstinere plane decrevi, quod harum partium studiosi jam fuere eruditi heortographi, ac praecipue Meursius in Graecia sua feriata. Vniversam vero ludorum Graecorum naturam, leges, instituta ne attingenda quidem putavi, quae qui cupiet, ex Petri Fabri opere immensi laboris petat, quod de re athletica, ludisque veterum inscribitur.

Denique tractatus hic Graecorum tantum festa ludosque complectetur, omissis iis, quos Romanorum numi memorant, Votivis, Cerialibus, Floralibus, Saecularibus, Quinquennalibus Neronianis, Circensibus.

§. I.

KOINON, COMMVNE.

ASIAE.

COM*mune* ASIAE. ROM*ae* ET. AVGVST*o*. *Templum* 6 *columnarum*, in argenteis Augusti, Claudii, Nervae Pergami Mysiae signatis, quos vide explicatos in numis Augusti ad annum V. C. 735.

KOINOT. ΑΣΙΑΣ. *intra quernam*, in numis Drusi jun. et Germanici Sardibus Lydiae signatis. (Vaill.)

KOINON. ACIAC. *Diana Ephesia*, in numo Ant. Pii Ephesio. (Vaill.)

ΠΡΩΤΑ. KOINA. ACIAC. *intra quernam*, in numis Severi, Maximini, Gordiani, Gallieni Smyrnae Ioniae cusis. (Vaill. num. Graec. p. 338.)

Asiae nomine in his numis intelligi partem Asiae minoris antea regibus Pergamenis subjectam, quam horum postremus Attalus Romanis testamento legavit, dictam deinceps vulgo provinciam Asiam, non est quod amplius moneam. Quae regiones hanc Asiam constituerint, dixi in tractatu de Cistophoris cap. IV. Has inter Galatia non fuit, quae post Dejotari et Amyntae mortem jubente Augusto cum Lycaonia conjuncta propriam habuit rectorem. Mirum adeo, a Communi Asiae erectum Augusto templum Ancyrae Galatiae teste Iosepho [a]), de quo lege disserentem Spanhemium [b]). Ludos communes Asiae per vices in variis ejus urbibus actos descripti hi numi docent, ut taceam urbes alias a marmoribus memoratas. Sed confer etiam, quae cum id genus numis connexa in magistratu *Asiarcha* supra pag. 207 diximus.

a) Ant. L. XVI. c. 6. p. 800. b) Epist. I. ad Morell. §. 18.

Digitized by Google

BITHYNIAE.

COM*mune* BIT*hyniae*, in aliis: KOINON. BEIΘTNIAC. *Templum* 8 *columnarum*, in numis Hadriani et Sabinae, quos descripsimus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

CAPPADOCIAE.

KOINOC. CЄTHPIOC. ΦIΛAΔЄΛΦIOC. *Argaeus mons inter duas urnas*, in numis Severi et Caracallae. Vide numos Caesareae Cappadociae.

CILICIAE.

KOINOC. KIΛIKIAC. subaudi: ἀγών. *Templum*, in numo Caracallae et Getae conjunctorum, scripto juxta: KOPOI. CЄBACTOI. Tarsi Ciliciae. (Pellerin Rec. III. p. 236.)

KOINON. KIΛIKIAC. *Templum*, in numis compluribus Tarsi inde ab Augusto. Vide hujus numos.

KOINON. TAPCOT. *Victoria stans cum genio urbis*, in numo Caracallae. (Vaill.) vel: *Corona, quam obsident octo capita varia, intus rami ludorum*, in autonomo. — KOINOC. TΩN. TPIΩN. ЄΠAPXIΩN. *Commune trium provinciarum*, videlicet: Isauriae, Cariae, Lycaoniae. Vide numos hos omnes explicatos in moneta Tarsi.

CRETAE.

KOINON. KPHTΩN. inde a Tiberio usque ad M. Aurelium *cum variis typis*, quos vide in prolegomenis ad numos Cretae. Est etiam KOINON. KPHTΩN. in numo Gortynae cum capite Hadriani.

CYPRI.

KOINON. KTΠPIΩN. Fere unica in imperatoriis Cypri numis inscriptio. Vide numos hujus insulae.

CYRENAICAE.

KOINON. tantum. *Silphium*, in autonomo.

GALATIAE.

KOINON. ΓAΛATΩN. vel KOINON. ΓAΛATIAΣ. vel parcius KO. ΓA. typis *templi*, vel *Dei Mensis* etc. inde a Nerone usque ad Trajanum.

KOINON. CЄBACTHNΩN. *Templum*, in autonomo Sebastenorum Galatiae.

IONIAE.

KOINON. ΠANIΩNION. *Templum.*

KOINON. ΓI. ΠOΛЄΩN. *cum variis typis.* Vide numos hujus argumenti explicatos in prolegomenis ad numos Ioniae.

KOINON. ЄΦЄCIΩN. *Diana venatrix*, in numo Hadriani Ephesio. (Vaill.)

KOINON. ЄΦЄCIΩN. KAI. AΛЄΞANΔPЄΩN. Mensa, supra quam urna cum palmis, in numo Caracallae. (Vaill.)

KOINON. MHTPOΠOΛЄITΩN. TΩN. ЄN. IΩNIA. *Iuppiter et Diana Ephesia*, in numo Saloninae Ephesio. (Harduin.)

LESBI.

KOINON. ΛЄCBIΩN. typo plerumque *templi*, in numis M. Aurelii et Commodi. (Vaill.)

LYCAONIAE.

KOIN. ΛTKA. vel: KOI. ΛTKAΩ-

Digitized by Google

NIAC. variis typis. Vide numos Iconii Lycaoniae.

MACEDONIAE.

KOINON. MAKEΔONΩN. in numis inde a Caracalla, tum et in numis obviis cum capite Alexandri M. Caracallae aetate cusis, quos vide in numis hujus regis, et in quibus saepe *templa, urnae, sacrificia* proponuntur.

PHOENICES.

KOINON. ΦOINIKHC. *Templum*, in numo Caracallae. (Vaill.) — KOINOT. ΦOINIKHC. *Templum*, in autonomo. (Pellerin.)

PHRYGIAE.

KOINON. ΦPTΓIAΣ. *typis variis* in numis Apameae cum capite Neronis, Vespasiani, Caracallae. (Pellerin, Vaill.)

PONTI.

KOINON. NEOKAIC. MHTPO. *Templum*, vel *figura stans cum urna*, in numis Neocaesareae inde a M. Aurelio. (Vaill.) — KOINον ΠOντu NEOKAIC. MHT. *Templum*, in numo Getae ejusdem urbis. (Pellerin Mel. II. p. 165.)

SYRIAE.

KOINON. CTPIAC. *Caput mulieb're turritum*, in numo Trajani. — *Caput Domnae*, in numo Caracallae. (Vaill.) Nomen urbis non additur.

THESSALIAE.

KOINON. ΘECCAΛΩN. typis *Palladis* vel *Victoriae*, in numis obviis variorum imperatorum. (Vaill.)

THRACIAE.

KOINON. BYZANTIΩN. *in laurea.* In numo Byzantii cum capite Augusti. (Vaill.)

* * *

KOINON Graecis fuit societas hominum, boni communis utilitatisque sive parandae sive tuendae causa ex foedere, consensu, aut varii generis instituto unita, qua de causa respublicae quoque, populi ac civitates dictae fuere κοινα. Latini κοινον dixere *Commune*; sic habemus apud Ciceronem in Verrinis *commune Siciliae*, *Milyadum* etc. quod et confirmatur in numis utriusque linguae supra citatis: KOINON. ΑΣIAΣ. et COM*mune* ASIAE. Fuere etiam dicta Κοινα conventus publici totius gentis in certo quodam loco ob quamcunque causam acti. In his principio agebantur res, quae bonum, ac salutem publicam spectabant, tum et pro universa gente sacrificia diis offerebantur. Ob has causas constitutum celebre Panionium, seu conventus XII. serius XIII. Ioniae urbium originis antiquissimae, de quo saepe Herodotus et Strabo, quorum testimonia citavi in numis Ioniae; quibus adde conventus Panachaeorum, de quibus multa Polybius, tum et conventus et fora civitatum Asiae, de quibus Plinius. Praeclare huc facit oratio Strabonis horum causam et originem conventuum in genere explicans [a]): ἡ μεν ὑν ἐπινοια

a) L. IX. p. m. 642.

Digitized by Google

αὐτη της τε των πολεων κτισεως, και της των κοινων ἱερων ἐκτιμησεως. Και γαρ κατα πολεις συνηεσαν, και κατα ἐθνος φυσικως κοινωνικοι ὀντες, και ἁμα της παρ' ἀλληλων χρειας χαριν, και εις τα ἱερα τα κοινα ἀπηντων δια τας ἀυτας ἀιτιας, ἑορτας και πανηγυρεις συντελεντες. *Hoc ergo modo intelligitur, quomodo et urbes conditae fuerint, et communia sacra suam nacta sint existimationem; etenim et civitates inter se, et gentes conveniebant, cum natura ad communionem factae, tum utilitatum invicem percipiendarum gratia, iisdemque de causis et ad sacrificia communia, festosque dies et solennitates celebrandas coibant.* Exuti a Romanis libertate Graeci, cum in commune consulere inutile jam esset, veteres tamen suos conventus agere vellent, nihil jam habebant reliqui, quam ut omissa belli, pacis, foederum, libertatisque cura solennes hos congressus spectaculis ludicrisque impenderent. Quapropter nequaquam mirum, in his Κοινα numis plerumque eosdem reperiri typos, quibus insigniuntur illi, qui ludorum nomina inscripta praeferunt, quod confirmant et marmora, in quibus non raro memorantur ludi celebrati ἀπο τυ κοινυ cujuspiam populi, quale est marmor Lyttiorum Cretae apud Gruterum a), quod meminit ΙЄΡΟΥ. ΑΓΩΝΟϹ. ΠЄΝΤΑЄΤΗΡΙΚΟΥ. ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΚΡΗΤΩΝ. *sacri certaminis quinquennalis Communis Cretensium.*

Major horum numorum pars provinciarum nomina inscribit, nimirum quod communia haec festa non ad unam tantum civitatem, sed communiter omnes pertinuere. Hinc ΚΟΙΝΟΝ. ΘΕΣΣΑΛΩΝ, vel ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, vel ΚΡΗΤΩΝ. etc. Alia κοινα ex marmoribus collegit eruditus Van Dale b). Tamen etiam omisso provinciae nomine in nonnullis urbium tantum nomina exarantur, ut: ΚΟΙΝΟΝ. ΤΑΡϹΟΥ. — ЄΦЄϹΙΩΝ. — ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ, cujus causa duplex esse potest, sive quod in his urbibus, metropoleos vel primae honore gaudentibus, communes provinciae ludi acti, sive quod nonnunquam vocabulum ΚΟΙΝΟΝ non regionis, sed privatim commune urbis, omnesque ejus ordines indicat, quod comprobant numi Tarsi Ciliciae, in quibus non raro verbum ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, *commune consilium*, reperitur, quod explicavimus in moneta hujus urbis. Singularis est numus supra sub *Ionia* descriptus, qui memorat Commune Ephesiorum et Alexandrinorum Aegypti. Videtur in hoc το ΚΟΙΝΟΝ idem significare, quod ΟΜΟΝΟΙΑ; nam in pluribus aliis numis habemus: ЄΦЄϹΙΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ, et videntur Ephesii cum Alexandrinis societatem iniisse, ludos communi consilio celebrandi sive in honorem Caracallae, sive cujuspiam numinis. Quid quod adeo utrumque vocabulum ΚΟΙΝΟΝ. ΟΜΟ. conjunctum videmus in numo maximae formae Commodi cum epigraphe ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΑΙ. ЄΦЄϹΙΩΝ, qui est in museo Caesareo, et apud Bonarrotium c).

a) pag. 1094. 5. b) Diss. III. p. 291. c) Osserv. istor. p. 124.

Digitized by Google

§. II.

Catalogus festorum, ludorumque.

ACTIA.

AKTIA. inscriptum *urnae ludorum.* Saloninae. *Ancyrae Galatiae.* (Vaill.) AKTIA *intra lauream, Hierapolis Phrygiae.*

AKTIA. ΔOTCAPIA. *intra coronam.* Philippi. *Bostrae Arabiae.* (Mus. Caes.) *Coloniae Germes Galatiae.* Vide hujus numos.

AKTIA. KAICAPIA. *intra quernam.* Philippi. An *Damasci*, an *Tyri*, incertum, ut notavi in numis utriusque urbis.

A solitarium *intra coronam*, in numis L. Aelii, et Ant. Pii, in aliis AKTIA nullo addito urbis nomine. Similes numos esse Nicopolis Epiri, verisimile statui in hujus urbis numis.

AKTIA. ΠΤΘΙΑ. *Vrna ludorum*, Caracallae. *Nicomediae Bith.* (Vaill.)

OΛTMΠIA. A. quae litera Vaillantio Ακτια notat. Valeriani sen. *Pergami Mysiae.* (Vaill.)

AKTIA. ΠΤΘΙΑ. *Mensa cum duabus urnis, infra vas et mala.* Severi. — *Duo templa cum totidem urnis.* Severi, Caracallae. (Vaill.) Numi alii utrisque addunt ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. de quibus infra. *Perinthi Thraciae.*

KOPAIA. AKTIA. Typus ad Coraea pertinet, de quibus infra. *Sardium Lydiae.* — ATΓOTCTIA. AKTIA. *Tarsi.* Vide infra in *Coraea.*

AKTIA. ΠΤΘΙΑ. *Cabirus malleum tenens coronam porrigit athletae.* Philippi sen. *Thessalonicae Maced.* (Vaill.)

AKTIA. ϹΡΑΚΛ. *Mensa cum duabus urnis*, Caracallae, Otaciliae, Saloninae. *Tyri coloniae.*

Actium Acarnaniae promontorium adstituta urbe cognomine et imposito Apollinis templo veteris famae. Si fides Stephano [a]), jam olim hic certamen triennale in Apollinis honorem fuit constitutum, ad quod adlusit Virgilius, dum illud ab Aenea sociisque huc advectis actum cecinit: *Actiaque Iliacis celebramus littora ludis* [b]), nisi forte προληπτικως, ut saepe alias, intellexit ludos Augusteos. Victo ad hoc Actium M. Antonio et Cleopatra Augustus in contermina Epiro urbem aedificavit, et causa victoriae Nicopolin appellavit, constitutis ibi ludis quinquennalibus, certamine musico, gymnico, equestri, de quo vide Suetonium et Dionem. Atque haec victoria cum quoddam esset imperii fundamentum, communi gratulatione a Graecis est accepta iisdem ludis in urbes suas invectis, stabilita etiam a nonnullis aera Actiaca, de

a) in Ακτια. b) Aen. III. 280.

Digitized by Google

qua agimus alibi. Ludi ipsi per typos, ut vidimus, nimium generales nihil lucis accipiunt, redduntque.

AGONOTHESIA.

ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ. *Caput muliebre.* Σ ΑΝΤωνιος ΚΑΙσαρ. *intra lauream.* AE. II. (Pellerin Rec. III. pag. XXIX. et 131.)

Numus urbis nomen dissimulat, sed probabile est cusum Thessalonicae Macedoniae, ut in hac observavimus. Memorandum in hoc vocabulum ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ in nullo alio numo conspicuum. Significat illud *certaminis constitutionem*, atque in hoc sensu usurpatum videas a Plutarcho [a]), Polluce [b]), et Strabone [c]). Denique et in Digestis legitur: ἀγωνοθεσιαν *suscipere, id est: constituendi designandique certaminis munus* [d]). Iudicavit Pellerinius, eo indicari certamina, et sic vocari, quod ab agonotheta essent edita. At tum opinor dicenda fuissent ΑΓΩΝΟΘΕΤΙΚΑ., cum ludorum nomina semper fuerint adjetiva. Etsi ergo vocabulum istud ex natura sua agonem certo respiciat, non tamen indicat ludos sic dictos cum ob causam allatam, tum quod ludorum hoc nomine nulla apud veteres exstat mentio. Vide infra similem difficultatem a vocabulo ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ objectam. Videntur Thessalonicenses hac inscriptione commendare voluisse studium suum in apparandis omnis generis festis, quibus M. Antonii, et Caesaris Octaviani victoriam de Bruto et Cassio relatam celebrarent.

ALEXANDREA.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Mensa supra quam duae urnae.* Gordiani. *Byzantii Thraciae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ. *Mensa, super qua duae urnae.* In numo aeneo inscripto: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. cum capite Alexandri M. (Spanheim T. I. p. 382.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. Vrna ludorum. Gordiani. *Odessi Thraciae.* (Vaill.)

ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. juncto saepius ΠΥΘΙΑ. Typi varii: *Mensa cum urna, additis saepe pomis, etiam tum, cum sola Alexandrea memorantur, — Imperator paludatus stans d. globum cum aquila — Iuppiter Nicephorus sedens — Athleta nudus stans. —* In numis unius Caracallae. *Philippopolis Thraciae.* (Vaill.)

Dubitari nequit, inscripta his numis certamina Alexandrea in Alexandri M. honorem acta, cujus res gestae totum orbem admiratione implevere. Constat teste Lampridio [e]), adhuc Alexandri Severi aetate Arcae Phoeniciae fuisse diem Alexandro M. sacrum actum. Refert Strabo, prope Clazomenas Ioniae lucum fuisse huic regi dicatum, et sua adhuc aetate a communitate Ionum (ἀπο τῆ κοινῆ των Ιωνων) certamen *Ale-*

a) In Agesilao p. 607. C. et Sympos. L. VIII. §. 4. b) L. III. c. 30. sub init. c) L. VIII. p. m. 545. d) L. X. tit. II. §. 20. e) in Alex. Sev.

Digitized by Google

xandrea indici peragique solitum a). Quod in Ionia factum a communi Ionum, id ipsum constitutum in Thracia a communi Thracum, numi quarto loco positi enarrant, hoc uno discrimine, quod hi Thracum ludi Philippopoli celebrati nequaquam videntur fuisse perpetui, sed in Caracallae tantum gratiam acti: nam, ut dixi, cum hujus tantum capite similes exstant numi, et constat de ejus in hunc Macedoniae regem adfectu, de quo plura protuli testimonia in numis hujus Thraciae urbis, tum praecipue in moneta aenea Alexandri M. Ludorum Alexandreorum Byzantii et Odessi actorum non tam probabilis ratio dari potest. Videntur fuisse constituti in honorem Gordiani, quod is teste Capitolino Moesiam Thraciamque a barbarorum incursionibus vindicavit, et quoniam is tum bellum in Persas movit, solitis Graeculorum lenociniis aequiparatus fuerit Alexandro M. eandem olim aleam experto. Sane utraque haec Thraciae urbs unius Gordiani numis, quod hactenus constet, ludos Alexandrea inscripsit. Neque alia de causa puto ab iisdem Odessitis celebrata certamina Helia sub eodem Gordiano, quam ut huic Solem, ad cujus ortum bellum gesturus erat, propitium redderent.

ANTONINIANA.

ANTΩNЄINIA. CЄBACTA. *Mensa, supra quam duo vasa, intermedia urna ludorum, infra vas ansatum.* Caracallae. *Byzantii.* (Vaill.)

ANTΩNINIA. *Vrna, in cujus ventre - - -* (haud dubie CЄBACTA.) Elagabali. *Byzantii.* (Theupoli.)

ANTΩNЄINIA. addito in alio CЄBACTA. *Vrna.* Alex. Sev. *Byzantii.* (Vaill.)

ANTΩNЄINIA. *Duo vasa quadrata palmis referta, et baculis fulta, circum quae 8 figurae discurrunt.* Caracallae. *Cyzici Mysiae.* (max. mod. reg. Gall.)

ANTONINIANA. PVTI. *Duo Centauri vas malis refertum una tenentes.* Carac. *Col. Laod. Syr.* (Belley.)

ANTΩNINIANA. in aliis ΔHMHTPIA. ANTΩNIA. *Vrna.* Elagabali. *Nicomediae Bith.* (Vaill. Mus. Caes.)

CЄTHPIA. AT. ANTΩNINI. KOPAIA. ATΓOTCTIA. AKTIA. *Mensa cum 3 urnis.* Valeriani. *Tarsi Cilic.* (Pellerin Rec. III. p. XLVII.)

AIΩN. ANTΩNINIAN. *inscriptum clypeo, quem mulier turrita rupi insidens tenet,* Caracallae. *Tyanorum Cappad.* (Pellerin Rec. I. p. XV.)

Ludos *Antoniniana* nomen traxisse ab imperatoribus, qui Antonini vocati sunt, atque his eos fuisse sacros, suapte patet. Sic et videbimus Commodiana et Severiana. Numi, quos citavi, ad eos Antoninos sunt referendi, qui in sacrum istud nomen temere, nullo certe ad illud jure, involarunt, Caracallam intelligo, et Elagabalum, cujus causa et ludos in eorum honorem actos *Antoniniana* placuit appellare. At mirum, in Alexandri Severi numis ejusdem nominis ludos legi. Neque enim verisimile, tam caram fuisse Byzantiis aut Caracallae aut Elagabali memoriam,

a) L. XIV. p. m. 953.

Digitized by Google

ut post eorum quoque excessum constitutos eorum causa ludos continuarent, quemadmodum Tarsenses Severiana Valeriani adhuc aetate egerunt. Videtur igitur verisimile, ludos hos Alexandro fuisse sacros, dictos vero *Antoniniana* adulationis causa, quod ipsi in Antonini nomen jus fuit, cum quod ab Antonino Elagabalo fuit adoptatus, tum quod vulgo Antonini Caracallae filius est habitus, ut dicetur in ejus numis. Typi in his numis sunt modi obvii demto Cyziceno, qui magis ex iconismo intelligi, quam verbis declarari potest. Verisimiliter is aliquem horum ludorum ritum repraesentat.

ARISTA.

ΑΓΓΟΤCΤЄΙΑ. ΑΡΙCΤΑ. ΟΛΥΜΠ. *Duae urnae.* Valeriani. *Thyatirae Lydiae.* (Vaill.)

Vocabulum ΑΡΙCΤΑ, id est: *optima*, *praestantissima*, haud dubie ad praedicandam horum ludorum praestantiam additur, perinde atque in aliis additur ΜΕΓΑΛΑ, *Magna.*

ASCLEPIA.

ΑΣΚΛΑΠΙΑ. *Caput Cereris*, in autonomo *Agrigenti Siciliae.* (Hunter.)

ΑCΚΛΗΠΙΑ. CΩΤΗΡЄΙΑ. ΙCΘ. ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. *Ancyrae Galatiae.* (Spanh. ep. I. ad Morell.)

ΑCΚΛΗΠЄΙΑ. *intra lauream*, in autonomo *Epidauri Argolidos.* (Mus. Savorgnan.)

Fuere Asclepia ludi in Aesculapii honorem celebrati, ac primum quidem Epidauri Argolidos, dicti etiam Μεγαλάσυλητεια, antiquissimi sane, et magna frequentia acti, atque inde in alias urbes derivati, quae ejus dei cultum impensiore studio recepere, quas inter eminuit Pergamus Mysiae. Quae alia ad hos ludos pertinent, satis jam enarrata sunt a Graeciae feriatae scriptoribus, et post hos accuratius a Spanhemio in epistola I. ad Morellium p. 5. 46. 47. Vide etiam huc pertinentia infra in *Soteriis.*

ATTALEA.

ΑΤΤΑΛΗΑ. *Vrna ludorum*, in autonomo. (Pellerin.)

ΑΤΤΑΛΗΑ. ΓΟΡΔΙΑΝΗΑ. in simili autonomo. (Pellerin.)

ΑΤΤΑΛЄΙΑ. ΓΟΡΔΙΑΝЄΙΑ. ΚΑΠΙΤΩΛΙΑ. *Mensa cum urna.* Gordiani III. (Vaill.)

Sunt omnes *Aphrodisiadis Cariae.*

Attalus Pergami rex, frater ejus Eumenis, cui Romani ob navatam operam victo Antiocho Magno praeter insignes provincias alias cessere etiam Cariae partem, in qua sita Aphrodisias. Fratre vita functo ipse regnare aggressus insignium sane beneficiorum videtur Aphrodisiensibus auctor exstitisse, non tam quod ejus honori constituere ludos, quam quod, Romanis etiam subjecti, in Gordiani usque aetatem porrexere adfectum, quod citati numi profitentur.

AVGVSTEA *quae et* SEBASMIA.

Conjungo numos utroque modo in-

Digitized by Google

scriptos: nam ut Graeci dixere ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ et ΣΕΒΑΣΤΟΣ, sic et ludos dixere et ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ et ΣΕΒΑΣΜΙΑ, vel ΣΕΒΑΣΤΑ.

CЄBACMIA. *intra quernam.* Maximi. *Anazarbi Ciliciae.* (Vaill.)

CЄBACTA. *Imperator velatus, et Genius muliebris urbis stantes intermedia urna ludorum.* Alexandri Sev. *Byzantii.* (Mus. Caes.)

ANTΩNЄIA. CЄBACTA. *Vrna.* Alex. Sev. *Byzantii.* (Vaill.)

AΥΓΟΥCTЄIA. *Duae dexterae junctae intra coronam.* Gallieni. *Cadorum Phryg.* (Pellerin Suppl. I. p. 39.)

CЄBACMIA. *intra quernam.* Elagab. et Alex. Sev. *Damasci Coelesyriae, atque etiam posteaquam colonia deducta est, frequenter inde a Philippis.*

KAICAPЄA. CЄBACTA. *Vrna.* Valeriani ejusque familiae. *Metropolis Phryg.* (Vaill.)

AΥΓΟΥCTIA. CЄΤHPIA. *Duae urnae.* Philippi sen. *Nicaeae Bith.* (Vaill.)

AΥΓΟΥCTIA. KAI. ΦIΛΑΔЄΛΦIA. *Capita Caracallae et Getae.* Domnae. *Nicaeae Bith.* (Vaill.)

AΥΓΟΥCTЄIA. *Mensa, supra quam urna inter duo vasa.* Salonini. *Pergae Pamph.* (Vaill.)

AΥΓΟΥCTЄIA. ΠΥΘIA. *intra coronam.* Caracallae. *Thyatirae Lyd.* (Mus. Caes.)

AΥΓΟΥCTЄIA. ΑΡICTA. ΟΛΥΜΠ. *Duae urnae.* Valeriani. *Thyatirae Lydiae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠIA. AΥΓΟΥCTЄIA. ΠΥΘIA. *inscriptum tribus coronis, addito:* NЄΩKOPΩN. TΩN. CЄBACTΩN. Caracallae. *Trallium Lyd.* (Mus. Caes.) Similem Pellerinius tribuit Elagabalo, sed perperam, ut adverti in numis hujus urbis.

Teste Suetonio [a]) Augusto Caesari provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituerunt. Herodes M. exstructa ad mare Caesarea ludos ibi quinquennales fieri praecepit a Caesare Augusto appellatos [b]). De erecta Lugduni in Augusti honorem ara et templo, et stabilito ibi annuo feste agunt Suetonius [c]) et Dio [d]). CЄBACTA. ЄN. NЄAΠOΛI, *Augustalia Neapoli* Campaniae memorat marmor Farnesianum [e]). Pergami Mysiae erectum templum Augusti, et scriptores testantur, et numi, quos exhibemus in ejus urbis moneta, actos vero ejus nomine ludos testatur marmor Oxoniense [f]) et mox citatum Farnesianum. Interim nequaquam certum, his Augusteis vel Sebastis ludis, quos descripsi, indicari semper ludos in Octaviani Augusti honorem institutos, cum Augusti titulus omnibus imperatoribus fuerit proprius, ludique his dedicati perinde potuerint dici *Augustea*, atque dicti fuere *Severea*, *Commodea* etc.

AVRELIA.

AT. ANTΩNINI. in numo Tarsi, quem citavi supra in *Antoninianis*, in quo το AT. explendum ATελια ex nomine Aurelii Antonini.

---

a) in Aug c. 59. b) Ios. bell. Iud. L. I. c. 21. §. 8. c) in Claud. c. 2. d) L. LIV. §. 32. e) Gruter. p. 314. 1. f) p. 18. n. 7.

Digitized by Google

CABIRIA.

ΚΑΒΕΙΡΙΑ. *Vrna.* Gordiani. *Thessalonicae Macedoniae.* (Vaill.)

ΚΑΒΕΙΡΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Φιλαδελφια. *Vrna*, in autonomo *Thessalonicaeae* (Pellerin.)

De Cabirorum apud Thessalonicenses cultu egimus in horum numis. De ludis ipsis nihil amplius addimus, cum ex numis addi nihil possit, eorum autem modum abunde exposuerint Meursius in Graecia feriata, aliique.

CAESAREA.

ΑΚΤΙΑ. ΚΑΙCΑΡΙΑ. *intra quernam.* Philippi. An *Damasci*, an *Tyri*, incertum, at notavi in numis utriusque urbis.

ΚΑΙCΑΡΕΑ. CΕΒΑCΤΑ. *Vrna.* Otaciliae, Valeriani, Gallieni. *Metropolis Phryg.* (Vaill.)

ΚΕCΑΡΕΙΑ. in numo Gordiani, *Thessalonicae*, in museo Theupoli, sed videtur corrigendum in ΚΑΒΕΙΡΕΙΑ.

ΚΛΑΤΔΙΑ. ΚΑΙCΑΡΙΑ. Vide infra in Claudia.

CAESAREA. *intra coronam quernam*, in numo Iubae II.

Titulus captus ab nomine *Caesaris*. De eo idem sentiendum, quod de titulo *Augustea* diximus.

CAPITOLINA.

ΑΤΤΑΛΕΙΑ. ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ. ΚΑΠΙΤΩΛΙΑ. *Mensa cum urna.* Gordiani. *Aphrodisiadis Cariae.* (Vaill.)

CERT. SACRV. CAPIT. OECV. ISEL. *Tres urnae.* Caracallae. — *Athleta nudus stans s. palmam*, vel: *Duae figurae sedentes urnam una tenent.* Valeriani. *Heliopolis Coelesyr.* (Vaill.)

Capitolini ludi primum Romae constituti a Furio Camillo, posteaquam Capitolium imminens a Senonibus exitium evasit [a]). His senescentibus illustriores alii inducti a Domitiano V. C. 839., quorum rationem legesque describunt Suetonius [b]), Censorinus [c]), Statius [d]). Vt Iovis Capitolini cultus in exteras provincias traductus est, testibus numis Antiochiae Cariae, in quibus: ZΕΤC. ΚΑΠΙΤΟΛΙΕΤC., et Aeliae Capitolinae Iadaeae, sic et ludi ejus nomine editi, quos citati numi profitentur.

CENDRESIA.

ΚΕΝΔΡΕΙCΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Templum 8 columnarum.* Elagabali. *Philippopolis Thraciae.* (Mus. Caes. Vaill.)

Haec certamina cujus sint naturae ac instituti, nemo hactenus sobrie explicavit; dixi sobrie, sobrium enim non dixero explicatum, quem attulit Harduinus [e]) quemque referre piget. Cum festa haec in nullo alio veterum monumento memorentur, uni haud dubie Philippopoli fuere adfixa, neque ultra ejus fines pedem promovisse. Quis autem sperabit explicare se posse, quae-

---

a) Liv. V. 50. b) in Domit. c. 4. c) de die nat. c. 18. d) in Silv. e) opp. sell. p. 617.

Digitized by Google

cunque ad privatam singularum urbium religionem pertinuere?

CHRYSANTHINA.

XPTCANΘINA, *Corona e floribus contexta*, vel: *urna*, vel: *mulier turrita stans et Caracalla paludatus, ara intermedia.* Inde a Severo frequenter. *Sardium Lydiae.* (Vaill.)

CЄBHPЄIA. XPTCANΘЄIA. *Vir nudus adprehendens vas humi positum.* Severi. (Pellerin.)

Ludi hi, quod hucusque constet, in solis Sardibus valuere testibus numis, marmoribus, et scriptoribus. In marmore Oxoniensi: ΣAPΔEIΣ. XPTΣANΘINON. [a]) in Farnesiano: XPTCANΘINA. ЄN. CAPΔЄCI [b]). Eorum meminit etiam Martianus jurisconsultus [c]). *Cum erat*, inquit, *certa pecunia, id est: centum reip. Sardianorum relicta per quadriennium certaminis Chrysanthiani etc.* ut jam vidit ad hoc marmor eruditur Seldenus. Reliqua ad hos ludos spectantia ignorantur. Spectato nominis etymo videtur victori in praemium cessisse corona ex aureis foliis contexta, ut opinatus est Vaillantius, maluit Venutus coronam ex flore Chrysantho [d]).

CLAVDIA.

KΛATΔIA. KAIΣAPIA. *intra coronam.* In numo Herodis regis Chalcidis. (Harduin num. Herod.) Verum hi ludi in falsa Harduini lectione nituntur. Nam in numo simili nitidissime musei principis de Waldeck legitur KΛATΔIΩ. KAIΣAPI., ut a me in hujus regis numis dictum.

COMMODIANA.

KOMOΔЄIA. *Templum 4. col.*, vel *urna.* Commodi. *Nicaeae Bith.* (Vaill.)

KOMOΔЄIA. *Templum* 10. *col.* — KOMOΔЄIOC. OIKOTMЄNIKO. *Corona radiata.* Commodi. *Tarsi Cil.* (Vaill.)

Agon Commodi Aug. honori dicatus. Narrat Dio [e]), Nicomedenses per Sacerum civem suum impetrasse a senatu, ut celebrare certamen, et statuere Commodo templum liceret. Nequaquam dubium, vicinos Nicaeenses, illorum perpetuos aemulos, eundem sibi honorem a senatu extorsisse. Fuere etiam KOMOΔЄIA aeta Pergami teste marmore Oxoniensi [f]). In marmore apud Chandlerum produntur HPAKΛЄIA. KOMMOΔЄIA. [g]) tum et alia KOMOΔЄIA apud Gruterum [h]). Tarsi obita Commodiana tanto minus mirum, quod ea se Commodianam quoque in numis dixit. Eadem confirmat marmor Chandlerianum mox citatum: ЄN. TAPCΩ. KOMMOΔЄION.

CORAEA.

KOPAIA. AKTIA. *Proserpina capite tutulato, et velata tota sedens inter spicam et papaver.* Caracallae.

---

a) pag. 18. n. 7. b) Gruter p. 314. 1. c) L. 24. D. de annuis legatis. d) Mus. Albani T. I. p. 98. e) L. LXXII. §. 12. f) pag. 18. n. 7. g) inscr. ant. p. 93. h) pag. 317. 1.

Digitized by Google

Sardium Lydiae. (Pellerin Rec. III. p. 164.)

CЄΘΗΡΙΑ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΙΝΙ. ΚΟΡΑΙΑ. ΑΤΓΟΤCΤΙΑ. ΑΚΤΙΑ. *Mensa, super quae tres urnae.* Valeriani. *Tarsi Cilic.* (Pellerin Rec. III. p. 260.)

Fuere ΚΟΡΑΙΑ festa instituta in honorem Proserpinae, quae Graecis Κορα dicebatur. Ea Meursio jam ex auctoribus fuerunt cognita, sed quibus flexione nonnihil varia dicebantur Κορια. Proserpinam inter majora Sardium numina cultam, testantur copiosi earum numi hujus deae imagine insignes, tum et alia testimonia, quae collegit Belleyus [a]).

DEMETRIA.

ΔΗΜΗΤΡΙΑ. addito etiam ΑΝΤΩΝΙΑ. *Urna.* Caracallae, Elagabali. *Nicomediae Bith.* (Vaill. Mus. Caes.)

ΔΗ. vel ΔΗΜΙ. in numis Tarsi, incertum, an ΔΗΜΗΤΡΙΑ. significent. Vide Vaill. in Graec. p. 333.

Demetria festa in Cereris honorem, quae Graecis Δημητης, maxima religione acta Eleusine in Attica. Latinis dicta Cerialia, quorum mentio in denariis gentis Memmiae. Fuit etiam Athenis festum eodem nomine, sed sic dictum a Demetrio Poliorcete. Vide Meursium. Demetria in priore sensu jure Nicomediae acta sunt, quod, ut reperit Vaillantius, ea urbs Cereris oppidum dicebatur, ut testatur Libanius in vita sua.

DIDYMEA.

ΔΙΔΥΜΕΙΑ. *intra coronam.* Valeriani, Galieni. *Mileti.* In binis numis apud Arigonium, quibus ducibus corrigenda falsa lectio Bandurii et Haymii, ut monui in numis Mileti Ioniae.

Ignotus hic agon eruditis heortographis, quod nulla saltem distincte apud veteres eorum fit mentio. At lodos Didymea actos fuisse Mileti in Apollinis Didymei honorem, docent numi praesentes, tum et marmor Oxoniense. De Apolline Didymeo vide quae dixi in moneta Mileti Ioniae.

DIONYSIA.

ΔΙΟΝΥCΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Tres urnae.* Valeriani jun. *Nicaeae Bith.* (Pellerin.)

Dionysia, notum Bacchi festum, vetere illo aevo, necdum noviciis inquinamentis corrupto, peracta vindemia inter nativas facetias, lususque innocuos actum. Addidit serior licentia mysteriorum infandos ritus, furorem, et promiscuam libidinem, neque jam contenta rure, urbes etiam infecit, de quo argumento vide Petrum Castellanum [b]), Matthaeum Aegyptium [c]), Panelium [d]), aliosque. Sed ab hoc festo, quod inter temulentiam, fanaticum furorem, et ineptam pompam obiri est solitum, diversa sane fuerint Dionysia numi praesentis, ex cujus typo, urnarum nempe, colligere licet, fuisse agonem ex solitis

a) B. L. Tom. XVIII. Mem. p. 133. b) de festis Graec. c) S. C. de Bacch. d) de Cistoph.

Digitized by Google

unum, in quo victoribus sua stabant proposita praemia, et fuisse sacrum Baccho, ut Demetria Cereri, Didymea Apollini, de quibus actum. Constituti autem huic deo a Nicaeensibus honores, quod is vulgo urbis suae conditor est habitus testibus numis, quos suo loco dedimus.

DVSARIA.

ΔΟΥCΑΡΙΑ. *Mensa, supra quam urna inter duas icunculas, sub mensa torcular*, Aemiliani. *Adraae Arabiae.* (Belley B. L. Tom. XXVI. p. 424.).

ΔΟΥSΑRΙΑ. *Torcular intra coronam.* Decii. *Bostrae Arabiae.* (Pellerin Rec. III. p. XXXVIII.)

ΑΚΤΙΑ. ΔΟΥCΑΡΙΑ. *intra coronam.* Philippi. *Bostrae Arabiae.* (Mus. Caes.) Etruscillae. *Germes Galatiae.*

De his Dusariis Baccho sacris, et hoc nomine extra Arabiam ignotis vide, quae a nobis dicta jam sunt in numis Bostrae Arabiae.

ENMONIDEA.

ЄΝΜΟΝΙΔЄΙΑ. *intra coronam*, Alex. Sev. *Magnesiae Lydiae.* (Pellerin Rec. III. p. 121.)

Singulari hoc vocabulo, neque aliunde cognito Pellerinius indicari putat certi generis agonem a Magnetibus celebrari solitum, sed quam explicationem non satis esse probabilem, dixi in moneta hujus urbis addita conjectura alia, quam vide.

EPIDEMIA.

ЄΠΙΔΗΜΙΑ. Β. CЄΤΗΡЄΙΑ. *Triremis, desuper templum* 8 *columnarum.* Severi, *Perinthi Thraciae.* (Vaill. Theopoli.)

Vocabuli ΕΠΙΔΗΜΙΑ significationem, cum substantivum est, praeclare explicat Vlpianus [a]): *quas Graecia ἐπιδημίας, id est:* accessus ad urbem *appellat, sive καταπλοῦν, id est:* adnavigationem. Atqui et alter hic modus habetur in numo Ephesi inscripto: ЄΦЄCΙΩΝ. Α. ΚΑΤΑΠΛΟΥC. typo item navis. Vide numos Ephesi. Eodem sensu Callimachus dixit: τῦ Φοίβυ ἐπιδημησαντος, *adventante Phoebo* [b]). Ἐπιδημία opponitur ἀποδημία. In numis Latinis priori vocabulo respondet *adventus*, posteriori *profectio.* Causa ἐπιδημίας, seu adventus celebrata a veteribus festa ἐπιδήμια, quorum unum referente Meursio fuit privatum, amico a peregrinatione feliciter domum reverso, alterum actum Delphis propter Apollinem ad hanc urbem adventantem. Reperio praeterea festum Ἐπιδήμιαν constitutum Byzantii teste marmore Chandleri [c]), in quo Orontes Olbiopolita publico Byzantiorum psephismate praeter causas alias laudatur etiam, quod ΠΑΡΑΓΙΝΟΜΕΝΟΣ. ΕΙΣ. ΤΑΝ. ΠΟΛΙΝ. ΣΕΜΝΩΣ. ΜΕΝ. ΠΡΟΕΣΤΑ. ΤΑΣ. ΕΠΙΔΑΜΙΑΣ. *adveniens in urbem graviter praefuit Epidemiae.* Non quidem explicat marmor, cujus generis fuerit hoc festum, aut cujus honori constitutum, discimus tamen, festum Epidemiam non in sola Perintho, sed et vicino Byzantio celebratum. In

a) L. I. tit. 16. de offic. procos. b) in Apoll. v. 13. c) inscr. ant. p. 95.

Digitized by Google

numo ergo praesente praedicantur certamina instituta in memoriam Severi maritimo itinere Perinthum appulsi, et quidem propter additum B secundo, qui tamen uterque adventus multo ante contigit, quam numus hic signatus est. Ejus enim aetas propter inscriptum Neocoratum II., ut observavimus in ejus urbis moneta, in postremum Severi biennium dimovenda, quo is tempore in Britannia abfuit, neque adeo accedere Perinthum potuit. Praeclare in hoc numo typo templi indicantur certamina, typo triremis ipsa certaminum causa, nempe maritimus ad urbem adventus.

EPHESIA.

ЄΦЄCIA. *urna.* Gallieni. *Ephesi Ioniae.* (Vaill.)

Ephesia, ἀγων ἐν Ἐφεσῳ ἐπιφανης, ut ait Hesychius, (in Ἐφεσια) Dianam Ephesiam respexere. Teste marmore Oxoniensi Antonius Septimius vicit ЄΦЄCΩN. ЄΦЄCHA [a]). De modo, quo haec festa obita sunt, vide Meursium.

EPINICIA.

ЄN. KOΔPIΓAIC. OPOIC. KIΛIKΩN. CЄTHPЄIA. OΛTMΠIA. ЄΠINЄIKIA. *Urna ludorum*, in alio: *corona.* Severi. *Tarsi Ciliciae.* (Vaill.)

ЄΠINЄIKIA. *Urna.* Gordiani. *Thessalonicae Maced.* (Vaill.)

Fuisse Epinicia ludos victoriae causa celebratos, ipsum nomen eloquitur. Eorum causae tot esse poterant, quot victoriae, quorum complures a variis institutos enumerat Meursius. Frequentius a Graecis celebrati sub Roma imperante, suum imperatoribus gaudium ob relatam ab his victoriam professis. Reliquis illustrior causa victoriae ad Actium, ob quam instituta epocha, cujus anni in numis Antiochiae Syriae dicuntur ἐτεα Νικης, et instituti Nicopoli Epiri ludi quinquennales dicti Actia, et in multas subinde urbes recepti. Insignia etiam fuere Epinicia Tarsi in numo priore memorata, et acta causa victoriae in vicinia a Severo de Pescennio relatae. Multos etiam habemus numos epinicios, sive qui victoriarum meminere, praecipue quas M. Aurelius, et L. Verus de Parthis retulere, cujus generis sunt drachmae inscriptae: TΠЄP. NIKHC. PΩMAIΩN. vel TΠЄP. NIKHC. CЄBACTΩN. cum horum ipsorum, aut uxorum capitibus, quae protuli in numis urbis incertae Mesopotamiae Vol. III. p. 520. item numus L. Veri Nicaeae signatus cum epigraphe: PΩMAIΩN. NIKHN. NIKAIЄIC. (Pellerin.) et numus M. Aurelii Laodiceae Phrygiae: ATTAΛOC. ЄΠINIKION. ANЄΘHKЄ. id est: *νομισμα*, ut ego alibi explico. (supra pag. 374.) Certaminis epinicii meminit etiam marmor Thyatirenum editum a Peyssonelo [b]), quo teste juvenes honorant ATP. ΘHΣEA. NEIKHΦOPOT. ΘATEIPHNON. NEIKHΣANTA. ENΔOΞΩΣ. ΠAIΓKPATION. TΩ. ΠΡΟ. ATTΩN. ЄΠIMЄΛOTMЄNΩI. ЄΠINEI-

a) p. 18. n. 7. b) Voyage p. 287.

Digitized by Google

ΚΙΩΙ. ΣΕΒΗΡΕΙΩΙ. ΑΓΩΝΙ. *Aur. Theseum Nicephori F. Thyatirenum, qui glorioše vicit pancratium in certamine epinicio Severeo, quod ipsi curaverunt.*

EVGAMIA.

ΕΤΓΑΜΙΑ scriptum juxta imaginem Sarapidis in numo Aegyptio Vespasiani Pellerinio idem significare visum, quod in numis aliis ΘΕΟΓΑΜΙΑ, nempe festum Plutoni et Proserpinae sacrum. At verisimilius mihi visum, hac inscriptione non agi festum, sed symbolicam bonarum nuptiarum imaginem. Vide prolegomena ad numos Alexandrinos sub *Sarapide* supra pag. 29.

GORDIANA.

ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ. Vide numos sic inscriptos supra in ATTALEA. Actos hos ludos in honorem Gordiani III., suapte patet.

GYMNASIARCHIA.

ΓΤΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ. *Templum, intra quod mensa, supra quam tres urnae.* Salonini. *Colybrassi Ciliciae.* (Pellerin Rec. III. p. XXVII. et 123.)

ΓΤΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ. *Vrna intra quatuor minores alias.* Salonini. *Syedrae Ciliciae.* (Theupoli, Panelius ex museo le Bret.)

Γυμνασιαρχια ex vocabuli natura est gymnasii praefectura, neque ullo auctore constat, illud unquam adjectivi more usurpatum, aut editos alicubi ludos dictos *Gymnasiarchia.* Quare ejus explicatio eandem objicit difficultatem, quam memoratum supra vocabulum ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ. Neque adeo verisimile, ΓΤΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ fuisse ludos, ut istud visum Pellerinio, quoniam hi semper adjectivis efferri sunt soliti, etsi cum vocabulum istud, tum et utriusque numi typi ad ludos penitus referantur. Forte illud aliud non notat, quam totum conlegium praefectorum gymnasii, quorum collata opera et studiis editi fuerint ludi, quos numi hi ostentant. Sic et vocabulo ΣΤΝΑΡΧΙΑ in numis Antiochiae Cariae dixi indicari totum magistratuum conlegium.

HELIA.

ΗΛΙΑ. ΠΤΘΙΑ. *Vrna.* Elagabali. *Emisae Syriae Coloniae.* (Vaill. in Colon.)

ΗΛΙΑ. *Vrna.* Gordiani. *Odessi Thraciae.* (Vaill.)

Helia certamina Soli, ἡλίῳ sacra, ac propterea maximo apparatu celebrata in insula Rhodo, ubi Dorice Αλια dicta fuere. Vide, quae de his plura ad numos Emisae coloniae notavi, quam constat Soli cumprimis fuisse devotam. Causam verisimilem, cur Odessitae Helia egerint, vide supra in ludis *Alexandrea.*

HERACLEA.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ. ΠΤΘΙΑ. *Mensa, super qua duae urnae, inferne vas.* Severi. *Perinthi Thraciae.* (Mus. Caes.)

ΑΚΤΙΑ. ΘΡΑΚΙ. *Mensa cum duabus urnis.* Caracallae etc. *Coloniae Tyri.* (Vaill.)

Digitized by Google

ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. *inscriptum urnae.* Elagabali. *Coloniae Tyri.* (Vaill.)

Heraclea, ludi Herculi sacri, et impensius celebrati iis in urbibus, qui sese Herculi mancipavere, quales fuere Perinthus et Tyrus, ut dictum in harum numis, quo loco recitavi etiam testimonium sacrae scripturae ex Macchab. L. II. c. 4., quod meminit agonis quinquennalis Tyri in Herculis honorem instituti.

HERAEA.

Mensa quatuor columnis fulta, supra quam hinc pavo, juxta quem ΗΡΑΙΑ., *inde aquila, juxta* ΝΕΜΕΙΑ. Ant. Pii. *Argorum Argolidis.* (Pellerin Rec. III. p. 154.)

Heraea, certamina Iunonis, quae Graecis Ἡραῖα, magno concursu celebrata apud Argos sacram Iunoni urbem, de quibus vide quae notavi in moneta hujus urbis.

HIERA, SACRA.

Vide de his supra in prolegomenis.

ISELASTICA.

CERT. SACRV. CAPIT. OECV. ISEL. *Tres urnae.* Caracallae. — *Athleta nudus stans s. palmam*, vel: *Duae figurae sedentes urnam una tenent.* Valeriani. *Heliopolis Coelesyriae.* (Vaill.)

CER. PER. ISEL. OECVM. *Mensa cum duabus urnis, infra vas et poma.* Elagabali. *Sidonis Phoen.* (Vaill. Theupoli.)

CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. *inscriptum coronae.* Elagabali, Ann. Faustinae. *Sidonis Phoen.* (Vaill.)

Haec certamina in aliquot etiam marmoribus memorantur. Apud Gruterum [a]): CONSTITVTORI. SACRI. CERTAMINIS. SELASTICI. quo loco scribendum: ISELASTICI. In marmore Sponii [b]) et Reinesii [c]) produntur ΠΑΝΗΓΥΡΕΙΣ. ΕΛΑΣΤΙΚΩΝ. Quid sint certamina Iselastica, quid victores Iselastici, quae horum praemia, paucis explicandum. Teste Vitruvio [d]) *nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Graecorum majores ita magnos honores constituerunt, uti - - - cum revertuntur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* Quod amplius est, teste Plutarcho [e]) victoribus in urbem patriam reversis dejecta moenium pars, quo significabatur, urbi moenium non esse magnum usum, quae viros haberet pugnandi vincendique gnaros. Quare et Nerone e Graeciae certaminibus Neapolin reverso, disjectam partem muri, ut mos hieronicarum est, refert Suetonius [f]). Illustriores ejusmodi victorum in patriam ingressus habes apud Diodorum Sic., [g]) et Aelianum [h]) atque sic a victoria reversi dicebantur in ur-

a) pag. 254. 4. b) Misc. p. 357. c) Synt. T. I. p. 508. d) praef. Lib. IX. e) Sympos. L. II. probl. V. f) in Ner. c. 25. g) L. XIII. §. 82. h) var. hist. L. XII. c. 58.

Digitized by Google

bem εἰσελαυνειν, *introire*, vocabulo usitato in plerisque hic citatis exemplis, unde et verbum *Iselastica* ducitur. Ex binis literis, quae sunt in Plinio juniore [a]), patet, Iselastica per se non fuisse certamina, sed factum permissu imperatorum, ut certamen quodpiam esset Iselasticum, id est, ut ex eo victores possent invehi, et acciperent ab imperatoribus certum modum obsoniorum; revera alia certamina coepisse esse Iselastica, alia desivisse, prout istud placuit imperantibus. Vide de his plura in Fabri agonistico [b]). Habes certamen Iselasticum eleganter applicatum ad victorum fidelium in coelum ingressum ab auctore carminum Sibyllinorum, quem locum citabimus infra in *Oecumenica*.

ISTHMIA.

ΑΓΩΝ. ΙCΘ. ΠΤΘΙΑ. *Vina*. Caracallae. *Ancyrae Galatiae*. (Neumann. num. pop.) Additis *Asclepiis Soteriis* vide in *Asclepia*.

ISTHMIA. *intra coronam*. In obviis numis *Corinthi coloniae*.

ICΘM. ΠΤΘ. *Mensa, super qua tres urnae*. Valeriani. *Nicaeae Bith*. (Vaill.)

Isthmia inter principes quatuor Graeciae ludos, sic dicta, quod in Isthmo Corinthi peragebantur, instituta primum a Sisypho Corinthiorum rege in Inus et Melicertae honorem, qui ab Athamante marito patreque in mare abjecti subinde inter deos marinos Leucotheae et Palaemonis nomine coli coepere, quae fabula frequens est numorum Corinthiorum argumentum. Ludos intermissos revocavit Theseus, sacrosque esse Neptuno voluit. Eorum praemium fuit corona ex pinu, serius apio, iterum pinu. Reliqua pete ex facundis Graeciae feriatae scriptoribus, et quidem quod ad chronologicam partem attinet, ex Corsini dissertationibus agonisticis.

LATONIA.

ΛΗΤΩΕΙΑ. ΠΤΘΙΑ. *intra coronam*. In autonomis, et Gallieni. *Tripolis Cariae*. (Wheler, Vaill.)

Nomen traxere a Λητω, *Latona*, Apollinis et Dianae matre, ac multa religione a Tripolitanis Cariae culta probantibus istud copiosis eorum numis.

MEGALA.

CЄΤΗΡЄΙΑ. ΜЄΓΑΛΑ. *Duae urnae supra mensam*. Severi. *Nicomediae Bith*. (Vaill.)

CЄΤΗΡЄΙΑ. ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. ΜЄΓΑΛΑ. *Mensa cum urna*. Severi. *Nicaeae Bith*. (Mus. Caes. Theupoli.)

Nemo non videt, nomine Μεγαλα, *magna*, indicari modum ludorum, cujus generis vidimus Arista, Iselastica, et videbimus Prota, Oecumenica, etc. Sic et apud Romanos fuere quinquatrus majores et minores. Ergo per se Megala ludi non fuere, sed adhaerent ludis aliis ad notandam eorum magnificentiam.

a) L. X. ep. 119. 120. b) L. II. c. 10. 17.

Digitized by Google

MYSTICA.

ΙΕΡΟC. ΠΥΘΙΟC. ΜΥCΤΙΚΟC. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟC. *Mensa cum duabus urnis.* Valeriani. *Side Pamphiliae.* (Vaill.)

Modum ludorum istud quoque nomen indicat. Complura festa inter mysteria fuisse peracta docent Eleusinia, Samothracia, aliaque. Praedicantur in marmoribus ΜΥΣΤΗΣ, *initiatus*, ΜΥΣΤΑΡΧΗΣ vel ΠΑΤΡΟΜΥΣΤΗΣ, *praefectus initiatorum*, ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ. ΜΥΣΤΩΝ, *conlegium initiatorum*, de quibus vide observata Belleyi ad marmor Cyzicenum [a]). Verisimile adeo, sacrum hunc Sidetum ludum habuisse admixta mysteria, aut forte a mystarum conlegio celebratum. Quanquam necesse non sit sectari mysteria, cum Polluci μυστικον idem sit, quod ἱερον, καθιερωμενον, κατωνομασμενον θεοις, καθωσιωμενον θεοις, καθωσιωμενον etc. [b]).

NAVMACHIA.

NAVMA. *Triremis cum multis remigantibus.* M. Aurelii. *Gadarorum Decapoleos.* (Pellerin Rec. III. p. XL.)

NAVMAχια, secundum se *praelium navale*, ludus etiam fuit, sive cum navium cursu certaretur, qualis fuit, quem Virgilius ab Aenea agenotheta institutum finxit [c]), sive cum praelii maritimi imago proponeretur, ut factum a Claudio in lacu Fucino, et saepe ab imperantibus Romae in Circo et amphitheatro. De hoc Gadarorum ludo navali vide, quae conjeci in numis hujus urbis, tum et in moneta Vespasiani ad annum V. C. 824 memorabo.

NEMEA.

Aquila, juxta NEMEIA., *pavo, juxta* HPAIA. Antonini Pii. *Argorum Argolidis.* (Pellerin Rec. III. p. 154.)

NEMEIA. *intra coronam.* Hadriani. *Argorum Argolidis.* (Theupoli.)

Nemea inter quatuor praecipua Graeciae certamina, fuere ludi funebres constituti in honorem Archemori Lycurgi Nemeaeorum regis filii, quem a nutrice Hypsipyle incautius in herba depositum necavit serpens. Alii ab Hercule causa caesi leonis Nemeaei in honorem Iovis Nemeaei inductos dixere. Reliqua vide apud enarratores ludorum veterum. Ceterum non satis liquet, utrum numi, quos hoc loco descripseram, enuncient ludos celebratos in Nemea agi solitos, an privatos Argorum Iovi Nemeaeo sacros, de quibus vide, quae observavi in moneta Argorum.

OECVMENICA.

ΙΕΡ. ΟΙΚ. *Vrnae ludorum.* Domnae. *Adanae Ciliciae.* (in meis num. vet. p. 225.)

ΙΕΡΟC. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΛΥΜΠΙΟC. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟC. *intra coronam.* Salonini. *Attaliae Pamph.* (Mus. Pisani.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. *Caput Elagabali.* Elagabali. *Ephesi.* (Vaill.)

CERT. SACRV. CAPIT. OECV. ISEL. Reliqua vide in *Iselastica. Heliopolis Coelesyriae.*

ΘΕΟΓΑΜΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. *Vrna.* Valeriani. *Nysae Cariae.* (Vaill.)

---

a) Caylus Rec. d'antiq. T. II. p. 241. b) Onom. L. I. §. 36. c) Aen. V.

Digitized by Google

ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ. *Apollo stans d. laurum, s. lyram, juxta urna.* Tranquillinae. *Sides Pamph.* (Spanh. ep. II. ad Morell. p. 126.) Iungitur etiam cum ΟΛΥΜΠΙΑ. ΜΥΣΤΙΚΟΣ. quae vide.

CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. Vide *Iselastica. Sidonis Phoen.*

ΚΟΜΟΔΕΙΟΣ, ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ. *Corona ex radiis composita.* Commodi. *Tarsi Ciliciae.* (Vaill. Albani.)

Ad explicandos ludos Oecumenicos praeclara attulit mirabilis vir eruditionis Spanhemius [a]), unde haec pauca excerpo. Ludus Oecumenicus idem quod universalis, aut ad universos pertinens, quod vulgo omnibus universi orbis incolis permissum fuerat vires in eo suas artemque experiri. Quo nomine opponitur τῷ Κοινῷ, seu Communi singularum nationum, quales enumeravimus principio hujus tractatus, et privatis singularum urbium, quales agebantur Athenis, Lacedaemone, alibi. Atque in hoc sensu dicitur in marmore Sponii Iuventianus parasse diversoria *τοις ἀπο της* ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ *ἐπι τα* Ισθμια *παραγενομενοις ἀθληταις, athletis, qui ab universo terrarum orbe ad ludos Isthmia convenerunt* [b]). Auctor fictorum carminum Sibyllinorum aliud agendo eleganter explicat naturam certaminis Oecumenici addito etiam Iselastico his verbis [c]):

μεγας γαρ ΑΓΩΝ ΕΙΣΕΛΑΣΤΙΚΟΣ *ἐσται*
Εις *πολιν ἠρανιον,* ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ *δε τε πασιν*
Εσσεται *ἀνθρωποισιν ἐχων κλεος ἀθανασιας.*
Magnum enim CERTAMEN ISELASTICVM *erit*
In urbem coelestem, OECVMENICVM *vero omnibus*
Erit hominibus, habens decus immortalitatis.

OLYMPIA.

ΕΤ. ΙΕΡΟΤ. ΟΛΥΜΠ. ΘΖΣ. *Quinque urnae ludorum.* Decii: *Anazarbi Ciliciae.* (Mus. Caes.)

ΙΕΡΟΣ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΛΥΜΠΙΟΣ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ. *intra coronam.* Salonini. *Attaliae Pamph.* (Mus. Albani.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. *Caput Elagabali.* Elagabali. *Ephesi.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ. *Macedonum.* Vide supra in *Alexandrea.*

ΟΛΥΜΠΙΑ. *Vrna.* Gallieni. *Magnesiae Lydiae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae supra mensam.* Caracalla. *Pergami Mysiae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝ. *Caput Elagabali in corona oleastri.* Elagabali. *Sides Pamph.* (Vaill.)

ΣΕΠΤΗΡΕΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ. *Vrna ludorum.* Severi. *Tarsi Ciliciae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. *Vrna ludorum.* Gordiani. *Thessalonicae Maced.* (Vaill.)

ΙΕΡΕΙΑ. ΑΓΩΝ. ΟΛΥΜ. (*lectio suspecta.*) *Duae urnae.* Valeriani. *Thyatirae Lydiae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. *intra coronam.* In

a) ad Morell. ep. II. §. VII. b) Misc. p. 363. c) L. II. v. 39.

Digitized by Google

autonomo. (Haym.) — ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Mensa, supra quam corona et urna.* In autonomo. (Haym.) — ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *inscriptum tribus coronis.* Elagabali. (Pellerin.) Verisimilius, ut notavi in numis Trallium, Caracallae. (Mus. Caes.) *Trallium Lydiae.*

ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. *inscriptum urnae.* Elagabali. *Tyri coloniae.* (Vaill.)

Ludi Olympia totius Graeciae antiquissimi et celeberrimi acti apud Olympiam Pisatiden Elidis juxta Alpheum fluvium et nemus Iovi sacrum, secundum quos omnis Graecia fastos suos ac tempora digessit. Institutos, ut fama fert, ab Hercule, intermissosque resuscitavit Iphitus, figiturque Olympias I., qua vicit Coraebus, ad solstitium aestivum anni periodi Iulianae 3938., ante natum Christum 776., ante Romam conditam 24. Haec paucis indicasse satis esto. Reliqua pete ex eruditissimi Petri Fabri commentariis de re athletica, et quod ad temporis rationem attinet, ex Corsini dissertationibus agonisticis.

Olympiorum in Elide celebratorum testem numum veterem non habemus. Neque enim placuit Eleis, quod placuisse reliquis Graecis constat, jactare in monumentis publicis gloriam laudesque domesticas, qui, ut in eorum moneta observavi, per oppida sparsi agriculturam ambitioni longe praetulere. Olympia, quae in citatis numis produntur, sunt ludi in aliis extra Elidem urbibus editi ad exemplar tamen Olympiorum Elearum, quemadmodum et Pythia, Isthmia, Actia ab aliis urbibus extra patrium eorum solum acta videmus, possetque eorum numerus copiose augeri, si luberet, aut operae pretium putarem celebrata alibi Olympia ex marmoribus veterumque commentariis colligere. Vnicum adferam testimonium petitum a Demosthene, perhibente, Philippum capta Olyntho celebrasse Olympia [a]). Addit enarrator Vlpianus, primum fuisse Archelaum, qui ea in urbe Dio constituerat [b]). Idem confirmat Arrianus, cum refert, Alexandrum a Thebana expeditione reversum Iovi Olympio sacrum fecisse, jam antea ab Archelao institutum, et ludos Olympia Aegis celebrasse [c]). Quapropter non raro in marmoribus Olympia primaeva Elidis ab Olympiis aliarum urbium discerni videmus. Sic in eodem lapide Sponii ΟΛΥΜΠΙΑ. ΕΝ. ΠΙΣΗ, nempe Elidis, et ΟΛΥΜΠΙΑ. ΕΝ. ΑΘΗΝΑΙΣ [d]). In uno eodemque lapide Gruteri habes ΟΛΥΜΠΙΑ. ΤΑ. ΕΝ. ΠΙΣΗ. et ΟΛΥΜΠΙΑ acta Smyrnae et Ephesi [e]). Testimonia alia ex scriptoribus congesta vide apud Corsinum [f]), quo loco comprobat etiam, fuisse Athenis a prima usque aetate acta Olympia, et jam memorata Pindaro, tum et alia posteriora Hadriani temporibus instituta.

Malala in historia chronica binis locis adducto etiam in testimonium Pausania, refert, Antiochenos Syriae imperante Claudio jus Olympiorum oblata pecunia a Pisaeis Elidis redemisse. Vide res gestas sub Claudio et Commodo.

a) de fals. leg. p. 322. E. b) ibid. p. 381. c) de exped. Alex. L. I. c. 11. d) Misc. p. 364. e) p. 514. 1. f) diss. agon. in Olymp. §. 12. seq.

Digitized by Google

Factum istud ut verum demus, ejus enim scriptoris auctoritas exigua, non tamen videtur verisimile, aliis urbibus, quae Olympia domi egere, necessarium visum Eleorum arbitrium, aut ad agenda Pythia, Isthmia, Actia, Phocensium, Corinthiorum, Lacedaemoniorum. Iuvet enim animadvertere, urbes ludis apud se agi solitis propter aliquam solum cum Olympicis similitudinem Olympiorum etiam nomen indidisse. Sic Strabo de ludo Actio [a]): ὁ ἀγων Ολυμπιος τα Ακτια, *ludus Olympius Actia*, nimirum quod perinde atque Olympius quinquennalis fuit. Vidimus supra, ludos Tyriorum ΗΡΑΚΛΙΑ vocari etiam ΟΛΥΜΠΙΑ. Ejus causam colligo ex auctore librorum Macchabaicorum [b]), *cum autem*, inquit, *quinquennalis agon Tyri celebraretur, et rex praesens esset, misit Iason ab Ierosolymis viros peccatores portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis.* Nimirum quos ludos numi *Heraclea Olympia* appellant, eos vetus scriptor *Heraclea quinquennalia* vocat, ut adeo in hac causa idem sit Olympias, et quinquennalis. Atque ex hac cum Eleis similitudine factum suspicor, ut aliarum urbium Olympia in nonnullis marmoribus ΙΣΟΛΥΜΠΙΑ, id est: similis cum Olympiis Eleis rationis, appellarentur, ut dixi in prolegomenis ad praesentes ludorum numos.

Praeter quinquennalitatis rationem ludi Olympici nonnullarum urbium illud etiam cum Eleis habuere commune, quod illae perinde atque Elei Olympiades suas numeravere. In marmore Cyziceno apud Caylus [c]) dicitur M. Aurelius Corus Cyzici vicisse Pancratium ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΙ. *Z. quinquennio*, id est: *Olympiade VII.* In alio Cyziceno ibidem [d]) C. Pistus vicit ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΤΗ. ΕΝΔΕΚΑΤΗ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ. *Hadriana Olympia Olympiade XI.* Istud vel tironi planum erit, utrumque temporis characterem non posse competere Olympicis Eleis, ergo Olympicis Cyzicenorum, ducto initio ab anno, quo hi Cyzici primum coepere agi, quorumque frequens mentio in marmoribus, apud Aristidem rhetorem, aliosque, de quibus vide observata Belleyi ad citata marmora. Insignis lapis Farnesianus apud Gruterum [e]) praedicat M. Aur. Asclepiadem, qui vicit Alexandriae ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ. ΕΚΤΗ. *Olympia Olympiade VI.*, nimirum in hac urbe constituta. In marmore Atheniensi ex schedis Cyriaci refert Muratorius [f]): *Sebastopolitani Ponti venerantur Hadrianum Augustum Olympium* ΕΝ. ΤΗ. ΠΡΩΤΗ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ. *Olympiade I.* Non observavit haec, quae mox dixeram, Muratorius, qui in subjecta nota excidisse notam aliam arithmeticam suspicatur. Nam non aguntur hic Olympia Elea, sed privata Atheniensium, et haec quoque ex marmoribus cognita. Idem denique comprobant numi citati Anazarbi Ciliciae, inscripti: ЄΤ. ΙЄ. ΡΟΥ. ΟΛΥΜΠ. ΘΖС. *anno sacro Olympico* 269. Coepit hic annus aerae Anazarbensis in autumno anni V. C. 1003., qui adeo congruere non potest cum an-

a) L. VII. p. m. 501. b) L. II. c. 4. c) ant. T. II. tab. 63. d) tab. 64.
e) pag. 314. 1. f) pag. 1080. 1.

Digitized by Google

no sacro Olympico Eleorum, nam eodem anno in solstitio aestivo juxta horum calculum coepit annus II. Olympiadis CCLVII. Eleorum. Ergo in his numis notatur annus sacer Olympiadis Anazarbensis novae. Denique quod ad anni tempus attinet, quo acta sunt Olympia, notum quidem, ea in Elide celebrata fuisse tempore solstitii aestivi, et verisimile etiam, horum exemplo urbes non paucas idem tempus Olympiciis suis praefixisse. Attamen cum, ut supra observavi, pleraeque urbes fere quinquennii tantum causa ludos suos dixerint Olympicos, credibile, retentum ab his tempus, quod ludis suis, antequam Olympia dicerentur, principio fuit adsignatum. Sane teste Malala iisdem locis, quae supra citavi, Olympia Antiochiae celebrata sunt initio anni civilis, qui iniit mense Hyperberetaeo, sive Octobri.

PANIONIA.

ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΤΘΙΑ. *Vrna mensae imposita.* Salòninae. *Miletl Ioniae.* (Vaill.)

Vide numos similis argumenti alios supra in KOINON.

PERIODICA.

CERT. SAC. PER. OECVM. ISEL. *typis variis. Sidonis Phoeniciae.* Vide hos numos descriptos supra in *Iselastica.* Solae litterae PER. ad praesens examen pertinent. Vaillantius, qui in suo de coloniis opere numos hos sub Elagabalo, Annia Faustina, et Valeriano descripserat, sic explendam ait epigraphem: CERT*amen* SAC*rum* PER*iodonicum*. Enimvero secundum Festum Pompejum (in *Perihodos.*) *in gymnicis certaminibus perihodon vicisse dicitur, qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicit, a circumitu eorum spectaculorum.* Vnde formula Graecorum, νικαν την περιοδον, *vincere periodum*, περιοδονικης, *victor periodi*, παγκρατιον περιοδον, vincens *pancratio periodum*, περιοδονικης πυγμην, *vincens periodum pugilatu* etc. quorum exempla habes apud laudatum saepe Corsinum [a]). Ex mente igitur Vaillantii certamen, ut ipse legit, periodonicum indicat ludos, ad quos admissi non fuere, nisi athletae periodonicae, id est, qui in dictis quatuor Graeciae ludis victoriam abstulere. In eadem sententia haud dubie Spanhemius quoque fuerit; nam eodem loco, quo his de numis agit, Vaillantii lectionem sequitur, neque ejus explicationem impugnat [b]). At enim eruditus Isselinus multis gravibusque argumentis hanc sententiam refellit [c]). Ait enim, si ad hos Sidonis ludos non fuissent admissi, nisi periodonicae, ad eos celebrandos requisitum fuisset, quod requisitum nunquam fuerat ad agendos principes Graeciae ludos Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea, Actia, Capitolina, ad quos accessus patuit omnibus, etiam qui nunquam vicere. Saepe etiam accidere debuisse, ut Sidonios

a) In Isthm. §. XII. b) ad Morell. ep. II. p. 277. c) B. L. hist. Tom. V. p 277.

Digitized by Google

deficerent athletae, si tantum periodonicas, quorum exiguus semper fuit numerus, admisissent. Accedit, certaminis hoc sensu accepti naturam everti a vocabulo mox consequente *Oecumenici*, quod significat, omnibus totius orbis athletis permissum esse vires suas ac peritiam certamine experiri. At quo pacto dici poterit Oecumenicum, in quo certare non liceat, nisi periodonicis? Denique legendo *Periodonicum* intrudi vocabulum linguae Graecae plane inimicum; nam a περιοδονικης formari quidem posse περιοδονικιος, non tamen περιοδονικος. Haec cum latius stabilivisset, rejecta Vaillantii sententia legendum censet: *certamen periodicum*. Fuisse enim, inquit, in more positum, ut urbes ludos suos, sive veteres, sive quos recens constituissent, ad famigeratos illos Graeciae ludos conformarent. Cum igitur in his gloriosum haberetur, in quocunque certaminis genere νικαν την περιοδον, *vincere periodum*, id est, omnibus quatuor summis Graeciae ludis evadere victorem, placuit urbibus exteris, eandem phrasin suis etiam ludis applicare, quo indicarent, athletas non minus apud se vincendo periodum ad eundem posse honorem aspirare. Sane si ludos suos Alexandrea, Hadriana etc. poterant dicere Olympia, Pythia etc. magna nimirum iis nomina applicando, poterant etiam eosdem cognita in Graecis aemulatione, etsi comparatione impari, dicere periodicos.

PHILADELPHIA.

KOINOC. ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΟC. *Mons Argaeus inter duas urnas.* Caracallae. *Caesareae Cappad.* (Mus. Caes.)

CЄOΓΗΡΙΑ. ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. ΜЄΓΑΛΑ. *Vrna, hinc et inde capita Caracallae et Getae.* Domnae. (Vaill.) — CЄΓΗΡЄΙΑ. ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. *Duae urnae.* Getae. (Vaill.) *Nicaeae Bithyniae.*

ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. *Hercules echidnam clava impetens*, vel: *Hercules stans cum Salute.* Severi. (Pellerin Mel. I. p. 74. Vaill.) — ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Severi. (Vaill.) — ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. *Duo templa cum totidem urnis.* Severi. (Vaill.) *Mensa, super qua duae urnae, infra vas et poma.* Caracallae, Getae. (Pellerin, Vaill.) *Perinthi Thraciae.*

ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. *Concordia stans inter Caracallam et Getam.* Severi. *Sardium Lydiae.* (Vaill.)

ΚΑΒЄΙΡЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Φιλαδελφεια. *Vrna.* In autonomo. *Thessalonicae Maced.* (Pellerin.)

ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ Graecis *fatrem* vel *sororem amans*, quo nomine saepe in numis aliisve monumentis compellatos videmus Aegypti, Syriae, Pergami reges. Etiam Drusus junior et Germanicus Tiberii Aug. filii, hic adoptione, ille natura, in numis Sardium ΝΕΟΙ. ΘΕΟΙ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ dicuntur, quos dabimus in moneta Germanici. Inde et ludi *Philadelphia*, instituti ab urbibus Graecis ad impetrandam a diis concordiam Caracallam inter Getamque fratres, a quorum dissensu cognito gravissima sibi mala imperium metuebat. Vota pro eorum concordia a senatu etiam Romano facta testatur Dio a).

a) L. LXXVII. 1.

Digitized by Google

Reliqua huc pertinentia pete ex numis utriusque imperatoris Romani. Horum causa ludorum cum sit manifesta, sequitur, non posse eorum mentionem fieri, nisi in numis Severi ejusque familiae, eosque continuo memorari desitos, posteaquam Caracalla fratris caede impias manus contaminavit.

PROTA.

ΠΡΩΤΑ. ΠΑΜΦΥΛΩΝ. *Mensa, supra quam urna.* Gallieni. *Sides Pamph.*

CЄΥΗΡΙΑ. ΠΡΩΤΑ. *Mensa, supra quam urna.* Severi. *Perinthi Thraciae.* (Vaill.)

ΠΡΩΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΑCΙΑC. *intra coronam.* Severi, Maximini, Gordiani, Gallieni. *Smyrnae Ioniae.* (Vaill.)

Certamina Πρωτα, seu *prima* in iis tantum urbibus celebrata fuere, quae se primatus causa πρωτας provinciae dixere. Siden primariam fuisse Pamphyliae urbem, satis constat. Smyrnaei se passim in numis dixere πρωτης Ασιας. Perinthii in solis Severi numis Πρωτα jactant, nimirum ex quo Byzantium, quod antea primatum tenuit, iis ab hoc imperatore fuit subjectum, propterea quod Pescennio adhaesit, ut dictum in moneta Perinthi.

PYTHIA.

ΑΓΩΝ. ΙCΘ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Caracallae. *Ancyrae Galatiae.* (Neumann. num. pop.) Additis nonnunquam *Asclepiis Soteriis* vide in *Asclepia.*

ΠΥΘΙΑ *intra coronam*, Hadriani. *Delphorum Phocidis.* (Arigoni.)

ΗΛΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Elagabali. *Coloniae Emisae Syriae.* (Vaill.)

ΠΥΘΙΑ. *intra coronam.* Elagabali. *Hierapolis Phrygiae.* (Vaill.)

ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. *Laodiceae Phryg.* (Mus. Florent. Vol. III. p. 50.)

ANTONINIANA. PVTI. *Duo Centauri vas malis refertum tenentes.* Caracallae. *Coloniae Laodiceae Syriae*, quam vide.

ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna super mensa.* Saloninae. *Mileti.* Vide prolegom. ad numos Ioniae.

ΔΙΟΝΤCΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Tres urnae.* Valeriani jun. *Nicaeae Bith.* (Pellerin.)

ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Caracallae. *Nicomediae Bith.* (Vaill.)

ΙЄΡΟC. ΠΥΘΙΑ. *Mensa cum urna.* Gallieni. *Pergae Pamphyliae.* (Vaill.)

ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. *Pergami Mysiae.* (Vaill.)

ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Mensa cum duabus urnis, infra vas et mala.* Severi. — *Duo templa cum totidem urnis.* Severi, Caracallae. (Vaill.) Adduntur etiam ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ, ut in his dictum. *Perinthi Thraciae.*

ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Vide supra in *Alexandrea.* — ΚЄΝΔΡЄΙCЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Vide supra in *Cendresia. Philippopolis Thraciae.*

ΙЄΡΟC. ΠΥΘΙΟC. ΜΥCΤΙΚΟC. ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΟC. *Mensa cum duabus urnis.* Valeriani. *Side Pamph.* (Vaill.)

ΠΥΘΙΑ. *Vrna, vel tripus, vel templum.* Gordiani. (Vaill.) — ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Cabirus malleum tenens coro-*

Digitized by Google

nam porrigit athletae. Philippi sen. (Vaill.) *Thessalonicae Maced.*

ΠΥΘΙΑ. ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. *Athleta nudus d. palmam, pro pedibus vas.* Caracallae. (Vaill.) *Thracum*, haud dubie signatus Philippopoli. Vide hujus numos.

ΠΥΘΙΑ. *Vrna* — ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *intra coronam.* Caracallae *Thyatirae Lydiae.* (Vaill.)

ΠΥΘΙΑ. *Vrna.* Caracallae. — ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Vide supra in *Augustea. Trallium Lydiae.*

ΛΗΤΩΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *intra coronam.* In autonomis, et Gallieni. *Tripolis Cariae.* (Wheler, Vaill.)

Primum post Olympia locum dignitate obtinent Pythia. Creditum priscis, ab ipso Apolline caeso Pythone instituta. Istud certum, in Apollinis ea honorem apud Delphos celebrari solita. Ab exteris etiam urbibus arcessita, et quidem prae reliquis Graeciae ludis impensius expetita, praesens catalogus liquido docet. Secundum numos idem etiam testantur marmora. Vel unus lapis Sponianus praeter ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΔΕΛΦΟΙΣ. praedicat ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΜΕΙΛΗΤΩ. ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΜΑΓΝΗΣΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΣΙΔΗ. ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΠΕΡΓΗ. ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ [a]). Pythia Laodiceae Syriae memorat marmor Chandleri [b]), Trallibus Lydiae marmor Oxoniense [c]). Ad typos quod attinet, neglectis iis, qui urnam vel coronam, sueta ludorum symbola sistunt, memorandi ii, qui Pythia proxime indicant. Istud praestat tripus in numo Thessalonicae, nimirum respectu Apollinis Delphici. Adde mala in numis Laodiceae Syriae et Perinthi Thraciae, quorsum et spectat insignis typus in numo Philippopolis Thraciae, quem olim edidi [d]), in quo exhibetur *Elagabalus togatus stans, s. virgam transversam tanquam agonotheta tenens, et una cum Apolline arcum gestante templum sustinens, inter utrumque stat mensa cum urna, ex qua quinque mala promicant.* Etsi non addatur vocabulum ΠΥΘΙΑ, tamen haec commode intelliguntur, cum quod in aliis Philippopolis numis ea frequenter memorantur, tum typo Apollinis stantis cum arcu, quo Pythonem interemit, at praecipue per adstituta mala. In numo Valeriani musei Caesarei Thessalonicae signato eadem Pythia eloquitur *tripus, super quo quinque mala, hinc et inde urna.* Cessisse haec hieronicis Pythiis in praemium victoriae, testatur versus ex noto Archiae epigrammate, quod principio hujus tractatus citavi: Ἆθλα δὲ τῶν κοτίνος, ΜΗΛΑ, σέλινα, πίτυς. *Praemia vero horum olea, MALA, apium, pinus*, accedente praeterea Ausonii auctoritate, qui, ut vidimus, το μηλα vertit *malus.* Adde auctoritatem Libanii [e]) μηλέα δ' ἀνθὶς στέφανοι τὸν ἀγῶνα τὸν Πυθιον, *pomus item coronat certamen Pythium.* Denique apud Lucianum Solon Anacharsi ludorum praemia sic enumerat: Ὀλυμπιάσι μὲν στέφανος ἐκ κοτίνου, Ἰσθμοῖ δὲ ἐκ πίτυος, ἐν Νεμέᾳ δὲ σελίνων πεπλεγμένος, Πυθοῖ δὲ μήλα τῶν ἱερῶν τοῦ θεοῦ, *in Olympiis corona oleagina, in Isthmiis pinea, in Nemeis ex apio*

a) Misc. p. 364. b) inscr. ant p. 92. c) pag. 18. n. VII. d) num. vet. p. 60.
e) elog. pomi Tom. II. p. 716.

Digitized by Google

contexta, in Pythiis mala deo sacra a). Quae adeo scriptorum testimonia certis his numorum veterum argumentis invicte confirmantur. Novi, ex veterum auctoritate victorum Pythiorum praemium statui coronam lauream, quorum testimonia ex scriptoribus omnibus advocavit eruditus quidam anonymus in dissertatione critica de praemio hieronicarum Pythiorum b). At eo peccavit certe, quod confidenter negat, mala victoribus in Pythiis fuisse oblata, neque horum a vetere quopiam scriptore fieri mentionem c). Sane quae modo disputavi, contrarium docent. Et vero facile dedero, remotiore aetate fuisse victoribus lauream decretam, sed poterat spectato praemio variari in Pythiis, ut variatum constat in aliis, ac praecipue Isthmiis, tametsi neque antiquissimo aevo vellem mala eripi. Exstant numi Eleuthernarum Cretae operis, si qui alii, pervetusti. In his fingitur Apollo nudus stans d. malum, s. arcum tenens. Quam aliam dabimus causam tributi huic deo mali, nisi velimus victoriae illud praemium confiteri? Quod idem confirmatur ab ejusdem urbis numis aeneis serius mitiore cultu signatis, in quibus sistitur idem Apollo cortinae insidens, et d. malum praetendens, manifestus adeo Apollo Pythius, cujus honori ludi Pythia fuere constituti, et qui adeo malum ludorum suorum munus manu ostentat.

SACRA.

Vide de his supra in prolegomenis.

SEBASMIA, SEBASTA.

Vide de his supra in *Augustea.*

SEVEREA.

ΚΟΙΝΟϹ. ϹΕΤΗΡΙΟϹ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΟϹ. *Argaeus inter duas urnas.* Caracallae. *Caesareae Cappad.* (Pellerin Rec. III. p. 237. Arigoni.)

ϹΕΤΗΡΕΙΑ juncta cum *Philadelphiis* vide in his. *Nicaeae Bithyniae.*

ϹΕΤΗΡΙΑ. ΜΕΓΑΛΑ. *Duae urnae.* Severi. *Nicomediae Bith.* (Vaill.)

ϹΕΤΗΡΕΙΑ juncta cum *Epidemiis* et *Protis* vide in his. *Perinthi Thraciae.*

ϹΕΒΗΡΕΙΑ juncta cum *Chrysanthinis* vide in his. *Sardium Lydiae.*

ϹΕΤΗΡΙΑ juncta cum *Coraeis*, *Epiniciis* etc. vide in his. *Tarsi Ciliciae.*

Instituta esse haec certamina in Severi Aug. honorem, suapte patet.

SOTERIA.

ΑϹΚΛΗΠΙΑ. ϹΩΤΗΡΕΙΑ. ΙϹΘ. ΠΤΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. *Ancyrae Galatiae.* (Spanheim ep. I. ad Morell.)

Soteria festa fuere aut sacra constituta iis, qui salutis auctores exstitere. Sic Soteria acta a Sicyoniis in honorem Arati, qui patriam in libertatem vindicavit d). Vnde frequens apud Graecos Θυειν Σωτηρια recuperata nempe salute, cujus phraseos multa exempla collegit Spanhemius, qui de his Soteriis erudite disseruit e). Quare et

a) De gymnasiis. b) histoire critique de la rep. des lettres T. I. p. 150. c) l. c. p. 218.
d) Plut. in Arato. e) Ep. I. ad Morell. §. 2.

Digitized by Google

passim Σωτηρος nomen in numis legimus tributum regibus Syriae, Aegypti, aliisque. Iunguntur in citato numo Soteria cum ludis Aesculapii, quo nemo deus frequentius Σωτηρ, *Servator*, a Graecis Latinisque est appellatus. Reliqua de his Soteriis vide apud Spanhemium loco citato.

In perantiquo numo autonomo Metaponti Lucaniae, quem olim edidi [a]), circum caput manifestum Cereris legitur ΣΩΤΗΡΙΑ. At ego hoc nomine non existimo notari festa, sed potius Cererem dici Σωτηριαν, *Salutem* Metapontinorum, ut ibi observavi.

THEOGAMIA.

ΘΕΟΓΑΜΙΑ. lectio dubia in numo *Coryci Ciliciae*. Vide hujus numos.

ΘΕΟΓΑΜΙΑ. *intra lauream*, addito etiam ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. typo *urnae*. Valeriani. *Nysae Cariae* (Vaill.)

Festi sic appellati solus ex veteribus Pollux meminit: Κορης παρα Σικελιωταις Θεογαμια, και Ανθεσφορια, *Proserpinae apud Siculos Theogamia et Anthesphoria* [b]). Celebrabantur eo nuptiae Plutonis ac Proserpinae ex Sicilia raptae. Cur apud Cariae quoque Nysam acta sint Theogamia, diximus in ejus urbis moneta. Vide, quae de hoc festo copiose disseruit Spanhemius [c]).

VALERIANA.

ΟΥΑΛΕΡ. *inscriptum urnae*. Valeriani. *Aphrodisiadis Cariae*. (Wheler Vogage.)

CAPVT XXII.

DE NVMIS REGVM, PRINCIPVM etc.

Hi propriam quandam, eamque nobilem monetae veteris classem constituunt, etsi, ut dicetur, molestus est labor, et saepe vires excedens, suis eos regibus tuto adsignare. Quae de iis praecipue sunt observanda, aliquot sectionibus complectemur, quae erunt I. Catalogus regienum, et urbium, quae numos re-

a) num. vet. p. 38. b) Onom. L. I. c. I. §. 37. c) ep. II. ad Morell. sub. init

Digitized by Google

gum, principumve suorum nomine signaverunt. II. De nominibus principum. III. De mentione dignitatis in numis principum. IV. De variis principum titulis epithetis. V. De insignibus regum, et principum.

§. I.

Catalogus regionum, et urbium, quae numos regum, principumve suorum nomine signaverunt.

Non ingratum lectori, et ad multas profuturum causas existimo, si ex universo opere eas componam regiones, urbesve, quarum habemus numos., regum, aut principum nomine cusos. Procedet hic catalogus secundum situm geographicum, quem in prima hujus operis parte mihi praefixi. Addidi tempus, quo principum numi feriri coepere, quo desivere, quia non parum juvabit etiam, numorum regiorum fines uno loco collectos posse intueri.

EVROPA.

Gallia. Semel tantum in hujus numis dignitatis modus exprimitur, nempe: REX. ΔALETVΩNVS, qui in aliis omnibus reticetur. De vera horum numorum aetate nihil certi adfirmari potest.

Sicilia, et in hac

Agrigentum cum numis dubiis *Theronis*, qui fuit coaevus Geloni Syracusano, et *regis Phintiae* certis, quem vicit Hicetas Syracusanus non multo ante Pyrrhi in Sicilia regnum.

Syracusae, quarum in numis, sed non synchronis, primus Gelo, postremus Hieronymus.

Thracia. Ex hujus regibus primus numismaticus Seuthes III. Alexandro M. coaevus. Postremus Rhoemetalces II. sub Tiberio.

Paeonia. Vnus ex numis cognitus Audoleon Philippi Amyntae aequalis.

Macedonia. Numus antiquissimus Alexandri I., qui mortuus est exeunte saeculo III. V. C., vel ineunte IV. Postremus ut in regno, sic et in moneta Perseus debellatus a Romanis V. C. 586.

Illyricum. Vniversi Illyrici unius regis Gentii numus proditus eandem cum Perseo fortunam experti.

Dyrrhachium Illyrici. In hujus moneta rex Monunius incertae aetatis.

Epirus. Primus in numis Arisbas Philippo Amyntae coaevus, ultimus Ptolemaeus Pyrrhi nepos.

Lacedaemon. Numus regis Areï, qui regnum Spartanum adivit circa annum V. C. 445.

Digitized by Google

ASIA.

Asia minor. Rex Antigonus, cujus numos dedimus in numis regum Macedoniae.

Bosporus Cimmerius. Primus in moneta Paerisades I. rex ab anno V. C. 405. Sub Mithridate VI. Bosporus cum Ponto unitus eosdem aliquamdiu reges habuit. Vtrumque regnum divisum victo a I. Caesare Pharnace V. C. 707. Continuo post Bosporum administravit Asander primum *archontis*, dein regis nomine. Post varias vices iterum unitus cum Ponto, iterum divisus, ac tum Bosporo impositus Sauromates I. ab Augusto, postremus in numis Rhescuporis V., cujus regnum in Constantini M. imperium cadit, nullo alio regno tamdiu in moneta durante.

Pontus. Rex primus in numis Mithridates II. Alexandri M. aequalis. Desivit regnum ejusque moneta cum Polemone II. imperante Nerone.

Paphlagonia. Vnicus in hac Pylaemenes, sed cujus aevi, incertum.

Bithynia. Nicomedes I., qui circa annum V. C. 476 regnum adivit, regum monetam inchoat. Desinit ea cum Nicomede IV. mortuo circa annum V. C. 679.

Heraclea Ponti. Timotheus, et Dionysius Alexandri M. aequales. Vltima Amastris Lysimacho Thracide regi nupta.

Pergamus. Incipiunt reges cum Philetaero V. C. 473., desinunt cum Attalo III. V. C. 623.

Caria. Primus in numis memoratur Hecatomnus mortuus circa annum V. C. 373, ultimus Othontopates dejectus ab Alexandro M.

Cilicia. Tarcondimotus I. partis Ciliciae rex tempore exeuntis reip. R. Postremus Archelaus partis item Ciliciae rex sub Augusto.

Olbae Ciliciae *summi pontifices*, *toparchae* et *dynastae* vocati in numis Polemon, et Ajax sub M. Antonio, et Augusto.

Cyprus. Numus Evagorae, si modo genuinus.

Paphus Cypri. Ejus rex Nicocles tempore Ptolemaei Soteris.

Cibyra Phrygiae, in qua regnavere reges dicti Moagetae aliquot in numis laudati, quorum postremum dejecit Muraena.

Galatia. Numi regum variis nominibus, et incertae aetatis. Postremus Amyntas mortuus imperante Augusto.

Cappadocia. Primus rex in numis forte Ariarathes IV. Postremus Archelaus mortuus Romae sub Tiberio.

Armenia. Plerique in numis reges ex historia ignoti, neque valde antiqui. Vltimus Artavasdes ab Antonio IIIvire per insidias caesus.

Syria. Ejus regum numi incipiunt cum Seleuco I. fundatore, desinunt cum Antiocho XIII., quem Pompejus M. V. C. 690 Syria exegit.

Commagene. Incipiunt numi cum Antiocho I., qui tempore Pompeji M. bellum cum Mithridate gerentis Commagenen tenuit. Exspiravit regnum numique cum Antiocho IV. imperante Vespasiano.

Chalcidene. Habuit primum Ptolemaeum Mennaei filium nomine *tetrarchae* extremo tempore belli Mithridatici, serius nomine regis Herodem Agrippae I. fratrem, et Agrippam II.

Digitized by Google

Damascus. Numus regis Aretae circum tempora Pompeji M.

Tripolis Phoeniciae. Tyrannum pertulit Dionysium incerto dignitatis gradu a Pompejo M. securi percussum.

Iudaea. Prima, quod norimus, ejus moneta fuit Simeonis, qui *principis* nomine remp. gessit per annos IX. inde ab anno V. C. 611. Secuti deinde principes *sacerdotis magni* titulum addidere, serius honorem regium ambivere. Herodes M. primum *ethnarcha*, deinde rex, ejus filii Herodes Antipas et Philippus *tetrarchae.* Agmen claudunt duo Agrippae.

Iungendus his Zenodorus, dictus in numis *tetrarcha*, et *pontifex maximus.* Fuit aequalis Herodis M.

Osrhoenum, seu *Edessenum* regnum in Mesopotamia. In numis primus Abgarus sub Hadriano rex, postremus Abgarus sub Gordiano.

Parthia. Ejus regum numi inde a conditore Arsace I., qui ab Antiocho II. Syro descivit V. C. 498. Postremus Arsaces Artabanus IV., quem cum Parthorum regno evertit Artaxerxes Persa V. C. 979.

Persia. Regum, qui ante Alexandrum M. imperabant, noti Darici aurei, argenteique. Exstant et numi regum Persarum, qui in Parthorum fuere potestate. Exstincto, ut mox dictum, Parthorum regno Persae Sasanidae numos suos signavere.

Bactriana. Rex Euthydemus circa annum V. C. 548, et Eucratides.

AFRICA.

Aegyptus. Incipiunt numi cum regni conditore Ptolemaeo Lagi, desinunt cum Cleopatra Octaviani praeda.

Cyrenaica. Reges proprii Magas Ptolemaei II. aetate, et Ptolemaeus Apion, qui moriens regnum Romanis legavit V. C. 658.

Numidiae et Mauretaniae. Reges numismatici incipiunt cum Iuba I. a I. Caesare ad Thapsum victo, desinunt cum Ptolemaeo Iubae II. filio Caligulae insidiis interempto.

* * *

His accedunt numi Ballaei, Heliocles, Sariae, Patrai, Lyccei, quorum principatus ubi siti fuerint, usque modo ignoramus. Eos descripsimus ad calcem seriei numismaticae in hoc ipso volumine pag. 167 seq.

§. II.

De nominibus principum.

Paucissimi sunt principum veterum numi, in quibus inscriptum eorum nomen desideres. Quod quidem a veteribus diligenter observatum ad multas

Digitized by Google

nobis causas profuit. Sic enim, quae fuerint singulorum oris lineamenta, saepissime intellegimus, tum etiam, ad quam regii hi numi regionem sint referendi, ex ipsis nominibus discimus, et saepe haec in codicibus luxata primaevo nitori restituimus.

Multis in regionibus usus obtinuit, ut, quo nomine regni principatusve conditor fuit, eodem successores omnes uterentur. Factum istud observantiae, gratique animi causa, suapte patet. Hinc in Aegypto omnes Ptolemaei, in Parthia Arsaces, in Paphlagonia Pylaemenes, Pergami Philetaeri. Narrat Iustinus [a]), Nicomedem Bithyniae regem filio suo Pylaemenis nomen ex Paphlagonum regum nomine indidisse, ut ejus appellationis reverentia lubentius ab his rex agnosceretur. Etiam si quis juste, ac sancte regno praefuit, lex lata, ut ejus nomen in successoribus duraret. Hoc merito cum fuisset Artaxerxes Mnemon, edixerunt Persae, ut posteri reges Artaxerxis nomine uterentur [b]).

Attamen istud ipsum, etsi sapienter constitutum demus, infinitas non raro, cum rite volumus regum numos distribuere, difficultates, ac propterea taedium adfert. Quis enim tuto suis regibus adserat numos, si omnes Arsaces, Ptolemaei etc.? Non raro quidem dubium abstulere oris lineamenta, aut additus epochae annus; verum hic plerumque abest, et saepe abest principis effigies solo inscripto ejus nomine, atque ut adsit etiam, tamen parum saepe feliciter collati quacunque solertia vultus dubium resecant, atque istud non modo in numis operis barbari, sed frequenter etiam perfectissimi. Ex quo factum, ut in collocandis recte regum v. c. Aegypti et Parthiae numis immane quantum dissideant etiam peritissimorum judicia. Scriptores veteres in regum Pergamenorum historia saltem varios nobis Attalos et Eumenes memorant, qui in numis non sunt, nisi Philetaeri, alibi reges mentione patris distinguunt, rarissimo hoc in numis exemplo, alibi adscita cognomina addunt, quod numi quoque, sed rarius praestant. Etiam in regnis, in quibus non fuit commune regum nomen, tamen eadem nomina in plures collata turbant, ut in Syriae regibus Antiochi tredecim, Seleuci sex, in regibus Macedoniae Philippi quinque.

Viris principibus nonnunquam geminatum fuisse nomen, et jam hoc, jam illo fuisse a scriptoribus appellatos, unde non raro confusio in historiam fluxit, jam monuimus in numis Herodis M. Ex quo Romani orbis imperio potiti sunt, multi reges, ac principes sive ob beneficiorum memoriam, sive observantiae causa virorum Romae potentium nomina suo addidere. Ejus exempla habemus in Polemone sacerdote Olbae, qui se in numis dixit *M. Antonium* Polemonem, in *Antonio* Tarcondimoto Ciliciae rege, in Sauromate I. et Rhescupore I., quorum uterque dictus *Ti. Iulius* a Tiberio Aug., in Abgaro Edessae rege, qui dictus in numis *L. Aelius*

a) L. XXXVII. c. 4. b) Diod. Sic. L. XV. §. 93.

Digitized by Google

Septimius Abgarus. Vide de hoc nominum peregrinorum usu plura in tractatu proximo de numis coloniarum.

Vt urbium et populorum nomina, sic regum quoque in gignendi casu plerumque enunciantur, ut: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Idem casus est ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ, ΑΜΥΝΤΑ, ΜΑΤΣΣΟΛΛΟ, in numis regum Macedoniae, et Cariae, sed Doricus, vel vetusti modi, ut in his dictum. Sed occurrit etiam rectus, ut: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΟΤΥΣ, ΗΡΩΔΗΣ etc. Rarissime praefigitur ΕΠΙ, ut: ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠ. Agrippae I. Iudaeae regis.

§. III.

De mentione dignitatis in numis principum.

Antiquissimo aevo, cui, quidquid simplex fuit, placuit, satis fuit, solum principis nomen omisso dignitatis gradu monetae inscribere. Ita in numis vetustissimorum Macedoniae regum tantum legas ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ, ΠΑΤΣΑΝΙΑ etc. regum Cariae tantum ΠΙΞΟΔΑΡΟ, et similiter, dissimulata plane regii tituli mentione. Quin existimo, neminem regum veterum in moneta a se signata ante Alexandrum M. ΒΑΣΙΛΕΩΣ nomine usum, quanquam fuere et post hunc reges non pauci, qui illud ex numis suis abesse voluerunt, quo de argumento in singulis regnis, ubi necesse fuit, praecipue in numis regum Macedoniae, et Siciliae, verbosius egi. Serius principatus conditio rarius fuit neglecta. Varias ejus formas dabit subjectus catalogus:

ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, *summus sacerdos*, in numis Zenodori tetrarchae, et sacerdotum Olbae Ciliciae. De dignitate Ἀρχιερέως egimus supra [a]).

ΑΡΧΩΝ, in numis Asandri subinde Bospori regis.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, in numis Tryphonis Syriae regis, et Arsacis IX.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ, in regum numis obvium.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, quo superbo titulo usi reges Pharnaces II. Ponti, Tigranes Syriae et Armeniae, Artavasdes Armeniae, et Parthici passim. Causas vide in singulorum moneta.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ, Pharnaces II. Ponti, Tigranes Syriae, Antiochus IV. Commagenes, Agrippa I. Iudaeae, Abgarus Edessae, Eucratides Bactrianae, reges Parthici passim, forte et Antiochus III. Syriae, Alexander M., sed in numo diu post mortem signato.

a) Cap. I. p. 203.

Digitized by Google

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΙΟΙ, *regis filii*, dicti Callinicus, et Epiphanes in numis patris Antiochi IV. Commageni, item Agrippa II. in numo patris Agrippae I. Abgari Edesseni filius Mannus dicitur in numo ΠΑΙC pro ΤΙΟC.

ΔΥΝΑΣΤΗΣ, *potestate praeditus*, Polemon sacerdos Olbae Ciliciae.

ΕΘΝΑΡΧΟC, *gentis princeps*, Herodes M.

PRINCEPS, vel DVX, Hebraice נשיא, dictus Simeon Hasamonaeus. Vide numos Iudaeae.

ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, *quartae regionis parti imperans*, divisa sic a Gallograecis Phrygiae parte; serius etiam sic vocati, qui minorem regia potestatem habuere. In numis habemus tetrarchas Herodem Antipam, ejusque fratrem Philippum, Ptolemaeum Mennaei F. Chalcidenes, et Zenodorum.

ΤΟΠΑΡΧΟΣ, *praefectus regioni, vel parti*, Polemon sacerdos Olbae Ciliciae.

§. IV.

De variis principum titulis epithetis.

Regum nomini varios videmus adjectos titulos, sive quos ipsi sibi, sive nationes partim subjectae, partim externae esse proprios voluerunt. His omnium maxime abundant reges postremi Syriae Parthiaeque, nimirum amissam veterem potentiam vanis laudibus solati, vere testante Tacito a): *apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur*, quo modo vegetum imperium R. ignoravit titulos *illustris*, *spectabilis*, *clarissimi*, quos caducum parturivit. A variis illi causis ducuntur, a rebus praeclare gestis, a generis claritate, a virtutibus animi, ab adfectu in parentes, patriam, populum, principes se majores. Haec utique ferenda, ac saepe laudanda. Verum quem adeo religioni inimicum putabimus, quin despuat, cum legit in monumentis publicis, eorum non paucos, et omnibus saepe sceleribus coopertos exuere voluisse humanitatem, et divinos sibi honores vel tribuere ipsos, vel ab aliis tribui permittere?

Horum modos titulorum dictabit sequens catalogus. Plures alios prodidere historici inditos ab indole animi, vel morum similitudine, ut: ἀστυ, κεραυν, ἱεραξ, vel ab animi, corporisve vitiis, ut: κακεργετης, φυσκωνος, vel κατ' ἀντιφρασιν, ut Ptolemaeus VIII. dictus fuit φιλομητωρ propter inimicitias cum matre, verum haec nomina sic a mo-

a) Ann. L. XV. 31.

Digitized by Google

neta Graeca exulant, ut a Romana nomina Caligulae, Caracallae etc. Epitheta ΚΕΡΑΤΝΟΥ, ΓΟΝΑΤΟΥ etc. in solis numis Goltzianis leguntur, quos nunquam nostros putavimus. Vide varios hos titulos congestos, et erudite explicatos apud Spanhemium [a]).

* * *

ΑΜΦΙΜΑΧΟΣ, *utrinque pugnans*, Arsaces XIX., sed vereor, ut lectio sit sincera. Vide numum.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, *summa cum potestate regnans*, Tryphon Syrus, Arsaces IX.

ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ, *egregie victor*, Demetrius III., Antiochus XII., Antiochus XIII. Syriae reges, Mithridates rex Armeniae. Etiam Callinicus filius Antiochi IV. Commageni incerto nomine. Herculem appellatum fuisse Καλλινικον, testatur Artemidorus [b]).

ΘΕΟΣ, *deus*, sic vocati Demetrii II. et III., Antiochus IV., Tigranes, omnes Syriae reges. Varii reges Parthi, Ptolemaei VI. et VIII. — ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ, vide numos Ptolemaei II. — ΘΕΑ. ΝΕΩΤΕΡΑ dicta Cleopatra Antonii.

ΔΙΚΑΙΟΣ, *Iustus*, dicti complures reges Parthi, tum et Samus Armeniae rex, et incertus quidam rex Heliocles. Vide numos regum Parthiae in Animadversionibus §. III.

ΔΙΟΝΥΣΟΣ, *Bacchus*, Antiochi VI. et XII. Syriae reges.

ΕΠΙΦΑΝΗΣ, *illustris*, nomen obvium, praecipue in Syriae, et Parthiae regibus. Eo usi Nicomedes II. et IV. Bithyniae, Ariarathes Cappadociae, ex Syriae regibus Antiochi IV., VI., VIII., XI., XII., XIII., Alexander I., Seleucus VI., Philippus, ex Parthiae regibus plerique. His adde Epiphanem Antiochi IV. Commageni filium nomine incerto.

ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ, *benefactor*. Frequens et hic humanitatis titulus a regibus adscitus. Hujus etiam moris meminit Christus legislator [c]): ὁι βασιλεις των ἐθνων κυριευουσιν ἀυτων, και ὁι ἐξουσιαζοντες ἀυτων ΕΥΕΡΓΕΤΑΙ καλυνται, *reges gentium dominantur iis, et qui potestatem in eas exercent, BENEFICI vocantur.* Obvia hujus epitheti non in numis modo, sed et marmoribus est mentio, ac tum frequenter jungitur cum Σωτηρος elogio. Iuvat unicum marmor bilingue hunc titulum illustrans ex Sponio producere [d]).

POPVLVS. LAODICENSIS. A. F.
LYCO. POPVLVM
ROMANVM. QVEI. SIBI. SALVTEI. FVIT. BENEFICI
ERGO. QVAE. SIBEI. BENIGNE FECIT
Ο. ΔΗΜΟΣ. Ο. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ.
ΛΥΚΩΙ. ΤΟΝ. ΔΗΜΟΝ. ΤΟΝ. ΡΩΜΑΙΩΝ.
ΓΕΓΕΝΟΤΑ. ΣΩΤΗΡΑ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ.

Vide multa collati ejus tituli exempla in Seb. Faeschii dissertatione de numo

a) Tom. I. inde a pag. 433. b) Oneirocr. L. II. c. 42. c) Luc. XXII. 25. d) Voyage T. III. p. 145.

Digitized by Google

Pylaemenis, quae exstat in Sponii Recherches d'Antiq. p. 307, et in Gronovii Antiq. Graec. Tomo IX. Evergetae in numis produntur sequentes:

Mithridates V. Ponti, Pylaemenes Raphlagoniae, Demetrius III., Antiochus VII., Alexander I. Syriae reges, aliquot reges Parthi, Ptolemaeus III. Aegypti. Praeter hos reges etiam quidam Iulius Andronicus dicitur Evergetes in numis Laodiceae Phrygiae, quos vide.

ΕΥΠΑΤΩΡ, *bono patre natus*, Mithridates VI. Ponti, Antiochus V. Syrus, aliquot reges Parthi.

ΕΥΣΕΒΗΣ, *Pius*, Ariarathes, et Ariobarzanes Cappadociae, Antiochus X. Syrus.

ΜΙΤΡΑΗΤΗΣ. De suspecto hoc nomine confer, quae dixi in numis Arsacis XXII.

ΝΙΚΑΤΩΡ, *Victor*, Demetrius II., Seleucus VI. Syriae reges, et aliquot Parthici.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ, *victoriam ferens*. Antiochus IV. Alexander I. Syriae reges.

ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΣ, *longe optimus*, si modo vera lectio in numo Arsacis XXI., quem vide.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, *fratris*, vel *sororis amans*, Ariarathes X. Cappadociae, Demetrius II., Antiochus XI., Philippus Syriae reges, Iotape regina Commagenes, Ptolemaeus II. Aegypti.

ΦΙΛΕΛΛΗΝ, *amans Graecorum*, Aretas Damasci regulus, plurimi reges Parthici.

ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ, *amans Caesaris*, Agrippa I. Iudaeae.

ΦΙΛΟΚΛΑΤΔΙΟΣ, *amans Claudii*, Herodes rex Chalcidenes.

ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ, *matris amans*, Ariarathes Cappadociae, Demetrius III. Syriae, Ptolemaeus VI. Aegypti.

ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ, *amans patriae*, Archelaus rex Cappadociae. Praeter hunc Philopatrides quoque dicti Polemon in numo Laodiceae Phrygiae, et M. Gessius in numo Smyrnae.

ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ, *patris amans*, Ariobarzanes II. Cappadociae, Demetrius III., Seleucus IV., Antiochi IX., X., XII., XIII. Syriae reges, Arsaces IX., Ptolemaeus IV.

ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ, *amans Romanorum*, Ariobarzanes I. et III. Cappadociae, Mannus Edessae.

ΣΩΤΗΡ, *Servator*, Antiochus I., Demetrii I. et III. Syriae reges, Adinigaus rex Bactrianae, Ptolemaei I. et VIII. Aegypti reges.

ΘΕΟΣΕΒΗΣ, *deorum cultor*, Sames rex Armeniae.

ΘΕΟΠΑΤΩΡ, *deo patre natus*, Alexander I. Syriae, aliquot reges Parthi.

ΞΕΝΙΟΣ, *Hospitalis*, si modo vera lectio. Vide numos Arsacis VII.

Digitized by Google

§. V.

De insignibus regum, et principum.

Homeri aetate reges distinxit sceptrum, et reges Romanos inde a Romulo hasta, si fides Iustino [a]). Serius reges Graeci sanguinis discrevit fascia caput ambiens, dicta Graecis ex re διαδημα, vel ἀναδημα. Neque aliud certius habitum regii fastigii signum. M. Lepidus illud in denario Romano juveni Ptolemaeo imponit. Ariobarzanes Cappadox filio in conspectu Pompeji M. diadema tradidit in signum regiae potestatis [b]). Idem Trajanus in numis Romanis praestat Parthorum regi a se constituto. Multa nobis historia suppeditat exempla regum, qui, ut in praelii tumultu, aut fuga tutius laterent, diadema sibi detraxere. Ejus ornamenti primum creditum auctorem fuisse Bacchum, atque hunc ipsum in variis numis illo redimitum sisti, alibi docui [c]).

Quo tempore diadematis inter reges usus invaluerit, res est non satis confessa. Auctore Iustino [d]) illud Alexander M. a Persis est mutuatus, ejusque gestandi primus ipse exemplum dedit. Verum jam ante Alexandrum Archelaus, Pausanias, Amyntas in numis occurrunt diademati, nisi forte, quod aliqui opinantur [e]), diadema Macedonicum aliquibus modis diversum fuit a Persico. Vide, quae ad hanc causam pertinentia disserui ad numos Archelai I. Macedonis, et Gelonis Syracusani, ubi monui, veram formam diadematis, quod Alexandri successores gestare sunt soliti, fuisse latiorem taeniam in occipite in nodum collectam, cujus extremitates in humeros longius defluxere. Luciano dicitur ταινια λευκη περι τω μετωπω, *taenia alba frontem ambiens* [f]), et sic Appiano quoque [g]), Suetonio *candida fascia* [h]).

Vt reges, ita et reginas distinxit diadema. Harum praeterea capita non raro finguntur velata, ut Philistidis Syracusanae, Phthiae Epiri, Cleopatrae Antiochi VIII. matris, Arsinoes et Berenices Aegypti reginarum etc.

At non solo diademate usos videmus Graeci sanguinis reges. Philetaeros Pergami reges jam diadema, jam corona laurea ambit, Phthiam quoque. Alia alii capiti adfixere, ornamenta dicam, an deformitates homine indignas? Corona radiata non infrequens in numis regum Syriae et Aegypti, infelix scili-

---

a) L. XLIII. 3. b) Val. Max. L. V. c. 7. c) Num. vet. p. 22. d) L. XII. c. 3. e) Neumann Numi popul. P. I. p. 148. f) in Πλουτ. g) Bell. civ. L. II. c. 108. h) in Iul. Caes. c. 79.

Digitized by Google

cet divinitatis testis, quo de symbolo uberius agemus in numis Neronis, qui primus Augustorum, et adhuc quidem vivus Graecorum exemplo eam admisit. De cornibus hircinis regum Macedonicorum gestamine vide horum numos. Cornu taurinum adplicuere Seleucus I., et Demetrius Antigoni, arietinum Lysimachus, alam Seleucus I., filiusque Antiochus I. et Prusias II. Coronam ex hedera jactant Antiochus VI., et Ptolemaeus XII. Alexander M. in numis, sed post mortem signatis, habet cornu arietis, vel caput leonis exuviis tectum, etiam galeatum. Magas Cyrenaicae rex cornu item arietis habet in nobili amethysto, cujus loco suo meminī [a]). Omnium horum causas vide in singulorum numis. Multorum regum cultus nobis est ignotus, quia multi fuere, qui omisso suo caput numinis, cui devoti fuere, monetae insertum voluere, quales fuerunt, contra quam multi credidere, Philippus Amyntae, Alexander M., Pyrrhus, ac frequentes alii. Raro caput regum plane est nudum, quale illud observatur in nonnullis Bospori regibus. Nudum etiam caput offerunt ii, qui principes quidem, at non reges fuere, ut Polemon sacerdos Olbae Ciliciae, et Zenodorus tetrarcha.

Reges barbari proprium suum habuere cultum. Gentius Illyrici rex pileatus est. De Armeniorum, Parthorum Persarum vario capitis tegmine in horum numis abunde actum.

CAPVT XXIII.

DE NVMIS COLONIARVM.

Colonia, Graecis ἀποικία, est pars populi, quae relicto multiplices ob causas solo patrio sedes sibi foris et domicilia quaesivit. Plures id genus in vetustissima Graecia factas secessiones, tum et causas Velleius initio libri I. enarrat. Vtrasque cum a veteribus, tum scriptoribus modernis late discussas, satis adeo cognitas illis, qui haec curant, recoquere praesentis instituti non est. Postremus Heynius non veterum modo gentium, sed et comparatam cum his nostrae aetatis in deducendis coloniis rationem et consilium binis disputationibus

a) Vol. IV. p. 124.

Digitized by Google

eleganter ac multo cum judicio exposuit a). De numis, qui deducta haec colonorum examina palam commemorant, egimus in tractatu urbium, quae se *Metropoles* dixere. Ipsae coloniae patriam, ex qua profectae sunt, non raro manifestant seu diserta ejus mentione, seu dialecto, seu typis. Sic Perinthii Thraciae sese ab Ionibus oriundos profitentur inscripto numis ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ. Mesembrianos Thraciae per epigraphen Doricam METAMBPIANΩN Doras intelliges. Syracusani typo Pegasi se domo Corinthios, Dyrrhacheni et Apolloniatae typo hortorum Alcinoi se Corcyraeos indicant. Sed haec paucis notasse sufficiat, quia, quae ad similes causas pertinent, jam peregimus in tractatu de urbibus originem suam in moneta professis, tum etiam de urbibus concordia junctis. Hoc enim articulo eas tantum colonias persequimur, quae a Romanis aut sunt deductae, aut coloniae municipiive nomine appellatae.

Vniversum tractatum propter rerum varietatem in sectiones IX. dividimus, quarum I. dabit catalogum coloniarum et municipiorum ex numis. II. Quae coloniarum et municipiorum ratio. III. De inscriptionibus in numis coloniarum et municipiorum. IV. De coloniarum et municipiorum nominibus epithetis. V. De magistratibus in iisdem. VI. De typis in iisdem. VII. De permissu signandae in coloniis monetae. VIII. De metallo in coloniarum numis. VIIII. Quando numi in coloniis signari desierint. X. De numis heterogeneis in moneta coloniarum.

SECTIO I.

CATALOGVS COLONIARVM ROMANARVM, ET MVNICIPIORVM.

Col. Abdera Baeticae.
Col. Acci Tarraconensis.
Col. Aelia Capitolina Iudaeae.
Col. Agrigentum Siciliae.
Col. Agrippina Germaniae inferioris.
Col. Alexandria Troas.
Col. Antiochia Pisidiae.
Col. Antiochia Syriae.
Col. Apamea Bithyniae.
Mun. Arva Baeticae.

a) Opusc. acad. Gotting. Vol. I. p. 290.

Digitized by Google

Col. Asta Baeticae.
Col. Asturica Tarraconensis.
Col. Babba Mauretaniae.
Col. Berytus Phoeniciae.
Mun. Bilbilis Tarraconensis.
Col. Bostra Arabiae.
Col. Brundusium Calabriae.
Col. Buthrotum Epiri.
Col. Cabellio Narbonnensis.
Col. Caesaraugusta Tarraconensis.
Col. Caesarea ad Libanum Phoeniciae.
Col. Caesarea Samaritidos.
Mun. Calagurris Tarraconensis.
Col. Carrhae Mesopotamiae.
Col. Carteia Baeticae.
Col. Carthago Nova Tarraconensis.
Col. Carthago Vetus Zeugitanae.
Mun. Cascantùm Tarraconensis.
Col. Cassandrea Macedoniae.
Col. Celsa Tarraconensis.
Col. Clunia Tarraconensis.
Mun. Coela Chersonnesi Thraciae.
Col. Comana Ponti.
Col. Copia Lucaniae.
Col. Corduba Patricia Baeticae.
Col. Corinthus Achaiae.
Col. Cremna Pisidiae.
Col. Damascus Coelesyriae.
Col. Dertosa Tarraconensis.
Col. Deultum Thraciae.
Col. Dium Macedoniae.
Mun. Ebora Lusitaniae.
Col. Edessa Mesopotamiae.
Col. Emerita Lusitaniae.
Col. Emisa Syriae.
Mun. Emporiae Tarraconensis.
Mun. Enna Siciliae.
Mun. Ercavica Tarraconensis.
Mun. Gades Baeticae.
Col. Germe Galatiae.
Mun. Graccurris Tarraconensis.
Col. Heliopolis Coelesyriae.
Col. Iconium Lycaoniae.
Mun. Ilercavonia Tarraconensis.
Mun. Ilerda Tarraconensis.
Col. Ilici Tarraconensis.
Mun. Italica Baeticae.
Col. Iulia Baeticae.
Col. Laodicea Syriae.
Col. Leptis Syrticae.
Col. Neapolis Samariae.
Col. Nemausus Narbonensis.
Col. Nisibi Mesopotamiae.
Col. Norba Lusitaniae.
Mun. Obulco Baeticae.
Col. Ocea Syrticae.
Col. Olba, Olbasa Pisidiae.
Mun. Osca Tarraconensis.
Mun. Osicerda Tarraconensis.
Col. Paestum Lucaniae.
Col. Panormus Siciliae.
Col. Parada Zeugitanae.
Col. Parium Mysiae.
Col. Parlais Lycaoniae.
Col. Patrae Achaiae.
Col. Patricia Corduba Baeticae.
Col. Pax Iulia Lusitanicae.
Col. Pella Macedoniae.
Col. Philippi Macedoniae.
Col. Philippopolis Thraciae.
Col. Ptolemais Galilaeae.
Col. Rhesaena Mesopotamiae.
Col. Roma Latii, ex numis Romanis Commodi.
Col. Romula Baeticae.
Col. Ruscinó Narbonensis.
Mun. Saguntum Tarraconensis.
Col. Sebaste Samariae.
Col. Sidon Phoenices.
Col. Singara Mesopotamiae.
Col. Sinope Paphlagoniae.

Digitized by Google

Municipium Stobi Macedoniae.
Col. Tarraco Tarraconensis.
Col. Thessalonica Macedoniae.
Col. vel munic. Traducta Baeticae.
Mun. Turiaso Tarraconensis.
Col. Tyana Cappadociae.
Col. Tyrus Phoenices.
Col. Valentia Bruttiorum.
Col. Vienna Narbonensis.
Col. Viminacium Moesiae sup.
Mun. Visontium Tarraconensis.
Mun. Vtica Zeugitanae.

Observandum, in hunc catalogum eas tantum urbes fuisse admissas, quae se colonias aut municipia vel aperte in numis profitentur, vel inscripto varii generis magistratu municipali dubitare non sinunt, eas alterutra conditione fuisse. Exclusimus igitur Ariminum Vmbriae, Luceriam Apuliae, Valentiam Bruttiorum etc. quia earum numi indicium non faciunt, sintne signati, antequam coloniae jura obtinerent, an post.

SECTIO II.

QVAE COLONIARVM R. ET MVNICIPIORVM RATIO.

Colonias a Romanis sub ipsum eorum exordium in victorum hostium agros deductas constat, eumque morem, quamdiu ii valuere, observatum. Multiplicem ea res urbi attulit utilitatem. Hoc enim instituto provisum, ne ultra modum sobolis multitudine augeretur, plebs egena, ac suapte ad res novas prona summoveretur, divisae sic per orbem civium R. coloniae totidem essent urbis propugnacula, denique et milites agrorum parte donati haberent rei bene gestae praemium. Coloniae postremi hujus generis *militares* dici consuevere, de quibus agetur infra capite V. Observandum etiam, urbes varias stantibus veteribus inquilinis coloniae jura adeptas, etsi adventitiis colonis non frequentarentur. Hoc modo I. Caesar post victos in Hispania Pompejos oppida varia, quorum fideli opera usus est, vel immunitate, vel civitate, vel jure coloniarum R. donavit [a]). Asconius de Pompejo Magni patre et coloniis Transpadanis haec prodidit [b]): *Pompejus enim non novis colonis eas constituit, sed ve-*

a) Dio L. XLIII. b) ad orat. Cic. in Pison.

Digitized by Google

teribus incolis manentibus jus dedit Latii etc. Alibi novi coloni veteribus indigenis sociati, ut Emporiis Hispaniae, ut dictum in ejus urbis numis, vel Agrigenti teste Cicerone [a]), Carteiae [b]). Quin factum etiam, ut colonia quaepiam partim militibus, partim corrasa multitudine constaret. Sic Patras Achaiae transcriptum ab Augusto militem, docent numi et Strabo [c]). Praeterea ab eodem principe vicinorum oppidorum incolas in eandem coloniam migrare jussos, docet Pausanias [d]). Ex vetere jure nefas habitum, si in quam urbem jam deducta fuit colonia, eo deducere aliam. Diserte istud vetat Cicero, invectus in M. Antonium, qui Casilinum deducere coloniam paravit [e]). *Negavi*, inquit, *in eam coloniam, quae esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci, colonos novos adscribi posse rescripsi. Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum jure turbato Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta.* Verum quidquid istud juris fuit, serius antiquatum fuit; nam Puteolos, qui teste Livio jam anno V. C. 560. colonia fuere, Augustus iterum deduxit coloniam, iterum Nero [f]). Causam dedit Hyginus sermone de Augusto illato [g]): *Exercitus, qui sub Antonio aut Lepido militaverant, pariter et suarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis, quibusdam deletis hostium civitatibus novas urbes constituit, quosdam in veteribus oppidis deduxit, et colonos nominavit. Illas quoque urbes, quae deductae a regibus aut dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interventus exhauserat, dato iterum coloniae nomine, numero civium ampliavit, quasdam et finibus.* Quod quidem testimonium varias nobis causas suppeditat, propter quas collapsa rep. deductae fuere coloniae. At quantum inter has, et quae stante rep. emissae fuerunt, discrimen! Operae pretium, gravissimis istud Taciti verbis commemorare, de Neronis aetate loquentis [h]): *Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur, cum tribunis et centurionibus, et sui cujusque ordinis militibus, ut consensu et caritate remp. efficerent, sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis, quam colonia.*

Non eadem fuit coloniarum omnium conditio. Aliae enim fuere coloniae civium R., aliis Latinum, aliis Italicum jus indultum, ex arbitrio nimirum senatus, populique, deinde Caesarum. At enim in quo constiterit varii hujus earum status discrimen, quanto majus huic prae altero accesserit beneficium, quae uniuscujusque natura, ac indoles, magna hactenus contentione a viris summis est inquisitum, sed ea fortuna, ut in praecipuis etiam capitibus dissiderent, et explicatam totius controversiae rationem in hunc usque diem desideremus. Quam ego litem possum intactam relinquere, non modo quod

a) In Verr. L. II. c. 50. b) Liv. L. XLIII. c. 3. c) L. VIII. p. m. 594. d) L. VII. c. 18. e) Phil. II. c. 40. f) Brottier ad Tac. T. II. p. 454. g) de limitib. h) Ann. L. XIV. 27.

Digitized by Google

post tantorum virorum, conatus spem mihi relictam non video certius aliquid atque exploratius adferendi, sed etiam quod omnis haec controversia numerum ope juvari nequit, atque adeo ultra instituti mei fines est posita. Fuere, qui ex typis putabant erui posse, quae colonia civitatem, quae jus Latii, quae Italicum nacta fuerit, sed haec perperam fuisse credita, in typorum explicatione docebimus. Ceterum quae ad hanc juris R. partem pertinent, praeter copiosos alios vide late exposita apud Carolum Sigonium de antiquo jure Italiae, Spanhemium in Orbe R. variis locis, compendio apud Bimardum de la Bastie [a]), et Florezium [b]).

Municipiorum rationem his verbis describit Gellius [c]): *Municipes ergo sunt cives Romani ex municipiis, legibus suis et suo jure utentes, muneris tantum cum populo R. honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi R. lege adstricti, nisi, inquam, populus eorum fundus factus est.* Ait, municipia a munere capessendo appellata videri; at Siculus Flaccus vel a munitionibus, vel a munificentia [d]). Adeo municipiorum non vocabulum minus incertum, quam jura. Quae fuerint varia municipiorum genera, praeter auctores citatos strictim docet Heineccius [e]). Differunt a coloniis, quod teste eodem Gellio [f]) *municipes sunt cives R. legibus suis et suo jure utentes; at coloniae non veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex civitate quasi propagatae sunt, et jura institutaque omnia populi R., non sui arbitrii habent. Quae tamen conditio*, prosequitur Gellius, *cum sit magis obnoxia et minus libera, potior tamen et praestabilior existimatur propter amplitudinem majestatemque P. R., cujus istae coloniae quasi effigies parvae simulacraque esse quaedam videntur.* Vide haec planius exposita apud Spanhemium [g]). Ex quo apparet, secundum alias causas praestantiorem fuisse statum municipiorum, secundum alias coloniarum, quo factum, ut non raro urbes alterum alteri praeferent. Refert Gellius [h]), miratum Hadrianum, *quod et ipsi Italicenses, et quaedam item alia municipia antiqua, in quibus Vticenses nominat, cum suis moribus legibusque uti possent, in jus coloniarum mutare gestiverint. Praenestinos autem refert maximo opere a Tiberio imp. petisse orasseque, ut ex colonia in municipii statum redigerentur.* Ejusmodi permutationis plura leguntur exempla, quorum nonnulla collegit Spanhemius [i]). Quare non mirum, unum idemque oppidum jam coloniam, jam municipium a scriptoribus, et in variis monumentis appellari, quo modo, quam Valentiam (Bruttiorum intellige) coloniam dixit Livius [k]), eam Cicero municipium [l]). Ceterum urbes quaeque peregrinae nonnunquam municipia dice-

a) ad Iobert. T. II. p. 75. b) Medall. de Espanna T. I. 85. seq. c) Noct. Att. L. XVI. c. 13. d) de condit. agror. p. 1. e) Ant. R. append. L. I. c. 5. f) l. c. g) Orb. R. p. 73. h) l. c. i) Orb. R. p. 72. 89. k) L. XXXV. c. 40. l) in Verr. L. V. §. 16.

Digitized by Google

bantur, haud dubie quia ea fuit municipiorum natura, quod, ut urbes peregrinae, legibus suis vivebant. Sic legimus apud Siculum Flaccum [a]): *Coloniae autem inde dictae sunt, quod populus R. in ea municipia miserit colonos, vel ad ipsos priores municipiorum populos coercendos, vel ad hostium incursus repellendos.* Quod magis adhuc serius invaluit profitente Vlpiano [b]): *Municipes proprie appellantur muneris participes recepti in civitate, ut munera nobiscum facerent; sed nunc abusive municipes dicimus uniuscujusque civitatis cives, ut puta Campanos, Puteolanos*, quo modo et Martialis Carmenionem dixit *municipem Corinthiorum* [c]), etsi horum urbs hujus poetae aetate certa fuit colonia. Lugduni incolas, etsi certa colonia fuit, Seneca vocat municipes [d]). Vide plura apud Spanhemium [e]).

Vrbes nonnunquam coloniae statum amisisse, sive poena, sive alia de causa, et scriptores et numos habemus auctores. In his numero Lampsacum Mysiae, Nicopolin Iudaeae, Tyrum et Sidonem Phoeniciae, Neapolin Samariae, Parlaidem Lycaoniae, ut dictum in singularum moneta.

SECTIO III.

DE INSCRIPTIONIBVS IN NVMIS COLONIARVM ET MVNICIPIORVM.

Vrbes, quae coloniae fuere, coloniae quoque vocabulum addiderunt, et quidem tam sedulo illae, quae in orientem sitae fuerunt, ut vix aliquem earum numum reperias, qui illud omitteret. At non raro illud aspernatae sunt coloniae Hispanienses, tum vero Italicae et Siculae constanter, ut videre est in numis coloniarum Paesti, Brundusii, Copiae, Agrigenti, Panormi. Indicabantur in Latinis scripto C. vel COL., raro plene COLONIA., in Graecis ΚΟ. ΚΟΛ. vel ΚΟΛΩΝΙΑ, recepto hoc in linguam Graecam vocabulo; nam Graecum ΑΠΟΙΚΙΑ in unico Panormi numo, eoque, ut in hujus moneta dixi, non satis certae fidei legitur. Generatim Romanorum coloniae in sua moneta Latine sunt locutae; quin et ipsa Corinthus, etsi in Graeciae umbilico posita, tum quae in Phoeniciae vel Arabiae urbes sunt deductae. At Graecam praetulere in Europa Philip-

a) de condit agror p. 2. b) Leg. I. D. ad Municipal. c) L. X. ep. 65. d) In Apocoloc. e) Orb. R. p. 74. 399.

Digitized by Google

popolis Thraciae, Thessalonica Macedoniae, in Asia Tyana Cappadociae, Antiochia Syriae, tum et coloniae Mesopotamiae. Aelia Capitolina Iudaeae utraque usa est. Sed haec in singulis curate proponuntur. Municipia inscriptione solum Latina sunt usa, et indicant statum suum inscripto M. MVN MVNICIP. etc. In nonnullis legitur VRBS, de quo mox infra.

Praeter dicta vocabuli oppidi conditionem exprimentia reperimus coloniarum et municipiorum nomina epitheta, aliaque, quae sequentibus capitibus exponemus.

SECTIO IV.

DE COLONIARVM ET MVNICIPIORVM NOMINIBVS EPITHETIS.

Cum Romani urbi cuipiam coloniae vel municipii jura tribuerent, raro factum, ut, quod aliis urbibus saepe evenisse vidimus, novum ei nomen abolito vetere imponerent, idque adeo verum, ut, cum urbes funditus eversas resuscitarent, et eas colonis frequentarent, vetera quoque nomina restituerent, quod Carthagini et Corintho evenisse constat. Ex iis, quae vetus nomen amisere, fuerunt Salduba Hispaniae, dicta Caesaraugusta, Hierosolymae, subinde Aelia Capitolina, et nonnullae aliae. Interim cum veteri nomini parceretur, coloniae et municipia non pauca appellationes varias aut elogia seu suapte, seu senatus, principumve permissu sibi adjecere, eaque in monumentis publicis praetulere. Sic in tabula aenea a Grutero vulgata [a]) Hadrumetini Byzacenes dicuntur *coloniae Concordiae Vlpiae Trajanae Augustae Frugiferae Hadrumetinae.* Neque ab hac vanitate immunes nummi. Scripsere in his Apameni Bithyniae: COL*onia* IVL*ia* CONC*ordia* AV-G*usta* APAM*ea.* Similia epitheta, quae coloniis et municipiis in moneta adjecta videmus, nunc recensere est propositum. Tamen hoc loco non agimus de nominibus, quae urbes ab imperatoribus traxere, ut Iuliae, Trajanae, Hadrianae etc. de quibus egimus supra capite XIII.

* * *

VRBS. in numis Oscae. VRBS. VICT*rix* OSCA. Secundum quam normam interpretamur siglas V. V. OBVLCO. et V. V. TOLE*tum*, quae sunt

a) p. 362.

Digitized by Google

Hispaniae urbes. Etiam apud Plinium expressum *urbis* vocabulum reliquis titulis accensetur, ut: *Augusta urbs Iulia Gaditana* a).

VICTRIX. In numis Oscae, Obulconis, Toleti mox vidimus. Praeterea: CoL. VIC*trix* I*ulia* L*eptis* Cyrenaicae. Tum et in numis seu Norbae Lusitaniae, seu Novae Carthaginis, quas vide.

INVICTA. In numis Sagunti INV.

FELIX. Fausti ominis causa saepe coloniae sese dixere *felices*, scripto in moneta F. FE. FEL., sunt vero: Comana Ponti, Sinope Paphlagoniae, Cremna Pisidiae, Germe Galatiae, Heliopolis Coelesyriae, Berytus Phoeniciae, Caesarea Samaritidos. Harum exemplo in numis Diocletiani et conlegarum legitur FELIX, KART*hago*, ac denique in numis infimi aevi: FELIX. TICINVS., et FELIX. RAVENNA., utraque Galliae Cisalpinae.

PIA. In numis Sidonis Phoenices.

NOBILIS. Sic Florezio elementum N explente in epigraphe V. V. N. OBVLCO.

PVLCHRA. In numo Neapolis Samariae COL. PVL. NEAPO.

CONCORDIA. dicta colonia Apamea Bithyniae, ut et Hadrumetum in marmore mox citato. Non raro coloniis a virtutibus data nomina, quod proxime luculentius comprobabitur, neque istud magnopere mirum, cum et L. Antonius IIIviri frater sese in numis *Pietatem* dixerit. Vaillantium opinantem, Apameam dictam *Concordiam* ad indicandam suam cum vicina Prusa unionem, recte refellit Belleyus adserens b), titulos coloniis datos nequaquam veterem earum statum, sed praesentem coloniarum respicere. Ceterum reperio apud Fl. Iosephum locum quempiam in Galilaeae confiniis situm revera dictum Ὁμόνοιαν, *Concordiam* c).

LIBERALITAS. IVLIA. in numis Eborae Lusitaniae.

LAVS. IVLIA. in numis Corinthi.

Multa Hispaniae oppida varii generis cognomina sibi indidere peculiari quodam modo Iulio Caesari sacra. Praeter bina ex his numis cognita, sunt apud Plinium Iulia Fidentia, Iliturgi Forum Iulium, Osset Iulia Constantia, Vergentum Iulii genius, Itucci Virtus Iulia, Attubi Claritas Iulia, Seriae Fama Iulia, Nertobrigae Concordia Iulia, Olisippo Felicitas Iulia, nimirum victis ab hoc dictatore ad Mundam Pompejis tota Hispania, quanta Romana fuit, in obsequium ruente.

PACENSIS. In numis Deulti Thraciae PAC.

CAMPESTRIS, quod vocabulum solitario elemento C indicatur in numis Babbae Mauretaniae.

TOGATA. Sola litera T indicatum in numis Tarraconis Hispaniae.

PRIMA. In numis Caesareae Samaritidos I. vel P. vel PR. vel PRIMA, de cujus vocabuli sensu ambiguo vide dicta in hujus urbis numis.

ROMANA. Ex eruditorum conjectura sic explendum R in numis Sinopes Paphlagoniae.

GEMINA. Sic dicta fuit urbs, quae

---

a) L. III. §. 36. b) B. L. T. XXV. hist. p. 107. c) in ejus vita §. 54.

Digitized by Google

duplex oppidanorum genus complexa est. Ita Plinius [a]): *Emporiae, GEMINVM hoc, veterum incolarum et Graecorum.* Quare eadem urbs Straboni dicta fuit διπολις. Verum hoc vocabulo in his locis urbis tantum natura designatur. *Geminae* nomen, datum coloniae instar tituli, captum fuit a legionibus, quae, si ex duobus in unam conflatae fuerunt, *Geminae* vel *Gemellae* dicebantur. Ejus luculentus testis Caesar [b]): *unam* (legionem) *ex Sicilia veteranam, quam factam ex duabus GEMELLAM appellabat.* Et Dio [c]): cum narrasset, ab Augusto aliisque imperatoribus legiones varias cum aliis mixtas fuisse, addit: ἀφ' ὧτις καὶ Δίδυμα ὀνομασθεντα νενομισται, *unde eas Gemellas appellare placuit.* Quare frequens in numis ac marmoribus legionum Geminarum mentio. Edidit Passerius gemmam, quae exhibet aquilam legionariam stantem inter duo signa, quorum singulis insistit Castorum unus [d]). Praeclare conjicit vir eruditus, lectum hunc typum ad legionem aliquam geminam indicandam, ad quam similitudine nominis Dioscuri gemini quodammodo adluderent. Ergo si in quam coloniam deducti sunt veterani legionis gemellae, aut certe veterani duarum legionum, ipsa etiam colonia dicta est *Gemella* vel *Gemina.* Sic habemus in numis: COL. GEM. ACCI. Tarraconensis, *Colonia Gemella Iulia Pariana* Mysiae, quas vide. Ejusdem rationis est apud Plinium [e]): Colonia *Tucci, quae cognominatur Augusta Gemella*, et apud Gruterum [f]): COLONIAI. AVG. GEMELLAI. TVCCITANAI.

REGIA. In numis Astae Baeticae.

IMPERATORIA. In numis Salaciae Lusitaniae: IMP. SAL.

HIBERA. In numis Ilercavoniae Tarraconensis, tracto nomine ab Ibero fluvio, cui adsita fuit.

NASSICA. In numis Calagurris Tarraconensis.

SERGIA. In numis Neapolis Samariae, incerta significatione, ut in hac dictum.

---

a) L. III. p. 142. b) Bell. civ. L. III. c. 4. c) L. LV. §. 23. d) Gemm. astrif. n. 82.
e) L. III. p. 139. f) p. 323. 12.

Digitized by Google

SECTIO V.

DE MAGISTRATIBVS IN NVMIS COLONIARVM ET MVNICIPIORVM.

Vt urbes Graecae suos varii generis magistratus, archontes, praetores, scribas etc. in moneta sua prodiderunt, sic et coloniae et municipia suos. Fuere autem summi in his magistratus vario nomine. Spartianus, cum varios ab Hadriano honoris ergo in urbibus obitos magistratus commemorat, *per Latina oppida*, inquit, *dictator et aedilis et duumvir fuit*, - - - *in patria sua quinquennalis*. (in Hadriano.) Plura exempla alia collegit Chimentellius [a]). In numis praesentis argumenti habemus magistratus domesticos I. IIviros, II. Quinquennales, III. Praefectos IIviros, IV. IIIIviros, V. Aediles, VI. Decuriones, de quibus omnibus sigillatim, at paucis agendum, nam in eadem hac causa jam viri celeberrimi Norisius [b]) et Florezius [c]) copiosi fuerunt.

§. I. *IIviri.*

Notantur hi in numis scripto IIV. vel IIVIR. In numis Oscae duae unitates linea transversa colligantur, nempe HVIR, quo modo etiam pro IIS, quae est sestertii nota, saepe scribitur HS in marmoribus et numo Hadriani commatis Romani. Non raro etiam absque IIviri nota nuda IIvirorum ponuntur nomina. Reperiuntur vero IIviri in numis

Acci Tarraconensis.
Agrigenti Siciliae.
Bilbilis Tarraconensis.
Buthroti Epiri.
Caesaraugustae Tarraconensis.
Calagurris Tarraconensis.
Carthaginis Novae Tarraconensis.
Carthaginis Veteris Africae.
Celsae Tarraconensis.
Corinthi Achaiae.
Dertosae Tarraconensis.
Ennae Siciliae.
Ercavicae Tarraconensis.
Ilici Tarraconensis.
Iuliae Baeticae.
Leptis Syrticae.
Onubae Baeticae.
Oscae Tarraconensis.
Paesti Lucaniae.

a) De hon. bisell. c. 4. b) Cenot. Pis. diss. I. cap. 3. c) Medall. de Espan. pag. 46. seq.

Digitized by Google

Panormi Siciliae.
Parii Mysiae.
Sagunti Tarraconensis.
Turiasonis Tarraconensis.
Vticae Zeugitanae.

* * *

Fuere IIviri ordinarius in coloniis municipiisque magistratus testibus non numis modo, sed et marmoribus, et passim scriptoribus. Nimirum cum essent coloniae secundum adlegata supra Gellii verba quasi effigies parvae et simulacra ipsius matris Romae, hi IIviri aliquo modo binis Romae consulibus erant similes, quemadmodum quod in hac fuit senatus, in his erat curia, quod in hac senatores, in his decuriones, de quibus agetur infra. Porro ut Romae consules non ordinarius modo, sed et summus fuerunt magistratus, sic et in coloniis IIviri, quod vel inde invicte arguitur, quia ipsos Caesares, Augustos, reges honorario saepe in coloniis IIviratu functos constat, ut paullo post dicetur. Atqui cum coloniae magistratum domesticum summis his viris detulerunt, an verisimile, delaturas fuisse illum, qui non praecipuus apud se esset? Atque hujus causa eminentiae dixit Apuleius [a]): *in qua colonia patrem habui loco principe duumviralem.* Fuere viri graves, qui adsererent, IIviros sese nonnunquam coloniae suae consules propter muneris cum Romanis, iisque veris consulibus adfinitatem dixisse. Hujus sententiae confirmandae causa arcessunt notos illos Ausonii versus [b]):

Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in hac sum,
Consul in ambabus; cunae hic, ibi sella curulis.

Fateor, me non gravate subscripturum eorum conjecturae, qui hoc loco legendum putant: *consul in hac sum, civis in ambabus*, quae quidem lectio si vera putanda, multo magis plana erunt omnia, et evanescet praetensus hic Burdigalae consulatus. Verum periculosa est haec, etsi in melius, correctio, quia, quod ajunt, prior lectio in omnibus codicibus obtinet. Norisius, qui de municipali consulatu latius agit [c]), lapidem Pisis repertum profert, in quo Felix Herculeo dicitur AEd. II. COS. I. REIP. PIS., neque inique conjicit, successu temporis, cum consulatus honor vilescere Romae inciperet, hanc municipiorum arrogantiam non amplius injustam atque intolerandam visam. Verum minus adridet, quod marmoris hujus fidem videatur nonnihil in suspicionem vocare propterea, quod consulatui nota I. additur, quae nunquam, ut ait, unico consulatui subjecta legitur. Non meminit vir eruditus, in obviis Severi denariis legi COS. I. IMP. I. Apud Gruterum pag. CCCCXXIX. marmore 3. et sequentibus sex legitur Licinii Surae consulatus I. II. III. Tarracone gestus; sed nescio, utrum fidem mereantur haec marmora, quae reipsa videntur unus idemque fuisse lapis, sed varie exscriptus, ut jam advertit Gudius. Si ergo IIviri nonnunquam dicti

a) Apolog. p. m. 271. b) de clar. urb. carm. 298. c) Cenot. Pis. diss. I. c. 3.

Digitized by Google

sunt consules, istud factum eo modo, quo interdum decuriones quoque dicti sunt quasi senatores. Sic vetuit Gratianus, decurionem, et si sic dici oportet, curiae suae senatorem tormentis subdi [a]). Nimirum si haec illis nomina non indulsit jus, aut permissus, at saltem muneris adfinitas, qua ratione ab Apuleio videmus quinquennali Corinthi fasces tribui [b]).

IIviratum fuisse annuum, non modo eo colligitur, quod munus istud ejusdem fuit cum Romanorum consulatu rationis, sed etiam quod IIviri eodem modo, quo Graecarum urbium archontes, praetores, scribae, iterasse magistratum in numis leguntur, scripto IIVIR. ITER., ut in numis Corinthi aliarumque. Sed hunc morem non aut ubique, aut non semper obtinuisse, apparet ex iis, quae disserit Norisius [c]). In variis urbibus IIviratum fuisse in quinquennium prorogatum, proxime docebitur.

De potestate, jurisdictione, honoribus, electione IIvirorum, tum et reliquorum magistratuum municipalium, de quibus continuo agemus, vide Norisium [d]), et auctores ab eo citatos.

§. II. *IIviri Quinquennales.*

Horum fit mentio in numis

Buthroti Epiri: IIVIR. Q. vel. QVIN. ITER. vel: QVINQ. TERT. vel: QVIN. PER - - - .

Carthaginis Novae Tarraconensis: HVIR. Q. vel: IIVIR. QVINQ. vel: HVIR. QVINQV.

Celsae Tarraconensis: Q. vel: II. V. QVINQ. (Florez tab. LII. n. 9. 12.)

Corinthi Achaiae: IIVIR. QVIN. ITER.

Emporiarum Tarraconensis: Q.

Ilici Tarraconensis: Q. vel IIVIR. Q.

Leptis Syrticae: PR. QVIN.

Paesti Lucaniae: QVI. QVIN.

Valentiae Tarraconensis: Q.

Vide alios in numis incertarum urbium apud Florezium tab. LVI.

* * *

Quinquennales non differebant a IIviris ordinariis, nisi quod hi fere anni essent, illi quinquennio rei summae praeessent, quod comprobat ipsum etiam non raro additum nomen IIVIR. Teste Spartiano supra citato Hadrianus in patria sua (Italica Baeticae) quinquennalis fuit. Fuere viri illustres, Spanhemius, Vaillantius, aliique, qui quinquennales non summum fuisse in urbe magistratum adsererent, sed functos munere censorio, quod ut Romae, sic et in coloniis et municipiis vertente anno V. renovari consuevit. At enim post observata Florezii [e]) vix jam amplius superesse existimo, qui sententiae huic velet praestare adsensum. Habemus Caesares, qui variis in urbibus honoris causa esse quinquennales non sunt dedignati. An verisimile, suscepturos eos fuisse munus, quod in urbe quapiam non fuisset praecipuum? Atqui ut Romae censoribus praeibant consules, sic et in coloniis IIviri altioris erant ordinis, quam quinquennales, in hac eorum doctrina censores. Possum in re

a) Cod. L. X. tit. 31. §. 33. b) Metam. L. X. p. m. 209. c) Cenot. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 50. d) l. c. e) T. I. p. 50.

Digitized by Google

jam extra controversiam posita abstinere argumentis aliis, quae Florezius sive ad refutandam sententiam priorem, sive singulares alias, quae fuere Iacobi Gothofredi et Muratorii, in medium attulit.

Exstant numi coloniarum, ut Carthaginis Novae, Ilici, Buthroti, aliarumque, in quorum aliis magistratus simpliciter dicitur IIVIR., in aliis IIVIR. QVIN. Ejus variationis duplex esse causa potuit. In aliis *ro* QVIN*quennalis* omissum fuerit, quia alioqui constabat, qui in colonia fuere IIviri, eosdem fuisse quinquennales, vel quia nonnunquam fieri poterat, ut aliquamdiu pro IIviris ordinariis eligerentur quinquennales, cujus facti exemplum unum sub Augusto dant numi Corinthi.

Florezius aliquot QVINQ*uennales* PERPETVO ex Gruteri marmoribus collegit, quibus addendus ex numis citatis Buthroti Epiri GRAECINVS. QVINQ. PER.

§. III. *Praefecti IIviri et Praefecti Quinquennales.*

Praefectos numis suis inscripsere urbes sequentes:

Caesaraugusta Tarraconensis: TIB. FLAVO. PRAEF. GERMAN. L. IVVEN. LVPERCO. IIVIR. in numis Augusti. (Florez tab. VI. n. 1. 4. tab VII. n. 9.)

Ibidem: IVNIANO. LVPO. PR. C. CAESAR. C. POMPON. PARA. IIVIR. in numis Tiberii. (Florez tab. VIII. n. 2. tab. IX. 3.)

Ibidem: FVLVIANO. PRAEFECTO. LVPO. IIVIR. in numis Tiberii. (Florez tab. LI. n. 9. 10.)

Calagurris Tarraconensis: PR. IIVIR. C. MAR. M. VAL. in numis Augusti. (Florez tab. XIII. n. 2.)

Celsa Tarraconensis, aut forte verius Carthaginis Novae: IMP. CAESAR. -- C. L. BEN. PRAE. Caput Augusti. ℞ HIBERO. PRAEF. (Florez tab. LII. n. 8.)

Ibidem: M. AGRIP. Q. V. I. C. HIBERO. PRAE. Caput Agrippae. ℞ L. BENNIO. PRAEF. (Florez l. c. n. 9. et collato alio, quem olim edidi in meis numis vet. p. 1.)

Ibidem: HIBERO. PRAEF. ℞ L. BENNIO. PRAEF. in autonomo. (Florez l. c. n. 11.)

Ibidem: TI. NERONE. Q. V. I. C. HELVI. POLLI. PR. Caput Tiberii ℞ HIBERO. PRAEF. (Florez l. c. n. 10.)

Corinthus Achaiae: M. BARBATIO. MAN. ACILIO. IIVIR. Caput Augusti. ℞ P. VIBIO. M. BARBA. PRAEF. IIVIR. (Vaill.)

Leptis Syrticae: P. SALPA. M. FVLVI. PR. IIVIR. vel L. NEP. L. SVRA. PR. IIVIR. et varii alii. In alio: M. FVL. COTA. PR. QVIN.

* * *

Habemus in his numis certos *praefectos*, indicatos literis PRAE. PRAEF. PRAEFECTO, et, ut dicetur, solis PR. Discimus vel ex ipsis his numis, et docebimus amplius infra capite singulari, principes Romae viros, quin et reges exteros honorario in coloniis municipiisque IIviri vel quinquennalis munere functos; quod cum ii per se obire non possent, pro se suffecere alios, quos praefectos appellare placuit. Atque secundum hanc legem habemus

Digitized by Google

in numis mox citatis Caesaraugustae Fulvianum praefectum Tiberii, in numis Celsae L. Bennium, Hiberum, Helvium Pollionem praefectos Augusti, Agrippae, Tiberii, et praecipiente adeo analogia in numis item Caesaraugustae Iunianum Lupum praefectum C. Caesaris, etsi hic praefectus solo PR. notetur. Eadem analogia suadet, in numo, quem inter Caesaraugustanos primum stiti, Tib. Flavum tanquam praefectum Germanici Caesaris proponi, et majorem in modum miror, navum adeuratumque Florezium, cui praecedentia exempla probe cognita fuere, obviam hanc explicationem aspernatum, violentam aliam et longe petitam praetulisse, statuendo nimirum hunc Flavum *praefectum cohortis Germanicae* secundum quandam Muratorii inscriptionem. Omissus Caesaris titulus nequaquam obest, quo minus intelligendus sit Germanicus Drusi F., nam verisimile est, numum hunc cusum fuisse eo tempore, quo is in Caesaris domum adoptatus nondum fuit, quo modo etiam in citato Celsae numo legimus tantum TI. NERONE., nimirum quia hic Tiberius Nero tum Caesar nondum fuerit. Non enim Caesarum tantum mentio in coloniarum Hispanicarum numis facta est, sed et virorum cum Caesarea domo adfinitate junctorum, cujus exemplum saepe praebet Agrippa. Sic in numis Gadium apud Florezium [a]) Tiberius simpliciter dicitur TI. CLAVDIVS. NERO., nondum utique Caesar. Praefectos Caesarum suppeditant etiam marmora. Apud Gruterum Arrius quidam Salanus fertur PRAEF. QVINQ. TI. CAESARIS, PRAEF. QVINQ. NERONIS. ET. DRVSI. CAESARVM [b]). Haec ut satis certa sunt, sic non aeque certum, utrum scripti in numis *praefecti IIviri* etiam Caesaris alicujus praefecti intelligendi sint tum, cum hic Caesar in numo IIvir vel quinquennalis diserte non dicitur, quo modo in citato Corinthi numo P. Vibium et M. Barbatum videmus dici PRAEF. IIVIR. Enimvero in coloniis praeter IIviros fuisse etiam praefectos, veterum monumenta inviete docent. Legitur in cenotaphio Pisano C. Caesaris: *quando eo casu in colonia neque IIvir, neque praefecti erant, neque quisquam jure dicundo praeerat etc.* et ibidem sub finem: *ea omnia ita fieri, agi, haberi, observarique ab L. Titio A. F. et T. Alio T. F. Rufo IIvirs, et ab eis, quicunque postea in colonia nostra IIvir. praefecti sive qui ali magistratus erunt etc.* Existimat Norisius [c]), cum in coloniis ob decurionum dissidia aliasve causas IIviri creari non possent, fuisse nominatos praefectos, penes quos jurisdictio esset, quousque IIviri nominarentur. Cui quidem conjecturae non possum continuo subscribere. Exstat apud Vaillantium numus Corinthi jam supra citatus:

M. BARBATIO. MAN. ACILIO. IIVIR. COR. *Caput Augusti.*
P. VIBIO. M. BARBA. PRAEF. IIVIR. COR. *Colonus agens boves.*

Teste hoc numo certum est, fuisse Corinthi eodem tempore et IIviros ordi-

a) Tab. XXVII. 2. b) pag. 491. 10. c) Cen. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 50.

Digitized by Google

narios, aliosque dictos praefectos IIviros, neque adeo hos tum demum constitutos, cum creari IIviri ordinarii non possent. At vero quod fuerit horum praefectorum munus, peritiores alii viderint. In citato Caii epitaphio legitur: *utique cum primum per legem coloniae IIviros creare et habere potuerimus, ii IIviri, qui primi creati erunt, ad decuriones referant etc.* Praeeuntibus his verbis lubet conjicere, in nonnullis coloniis praeter IIviros ordinarios lectos fuisse alios, partium, si ita loqui fas est, secundarum, eosque dictos praefectos IIviros, atque etiam, etsi rarissime, ordinariis in moneta additos, ut in praesente Corinthi numo factum. Et fortasse duplicis hujus generis IIviros coloniae aliae conjunctos dixere IIIIviros, quales habuere Carteia et Clunia, ut dicetur infra. Verum isthaec sane incerta.

Agendum denique de sensu literarum PR. In citatis supra numis Caesaraugustae et Celsae dubium non est, eas explendas legendo PR*aefectus*, quia adduntur Caesarum nomina, quorum Lupus et Pollio fuere praefecti. Verum in numo Calagurris et in obviis Leptis scriptum legimus PR. IIVIR., quod aeque certum non est, legendum PR*aefectus*, quia nulla in his adduntur Caesarum nomina, quorum hi fuissent praefecti. Variae igitur fuerunt in explicando hoc aenigmate sententiae, quas in examen vocarunt Pellerinius [a]), et Florezius [b]). Iudice Patino [c]) L. Nepos et L. Sura numis Leptis inscripti fuere, quod hi PR*o* IIVIR*is* coloniae deducendae eo missi essent. Inanis sententia, cum pro his in numis aliis legantur PR. IIVIR*i* Salpa et Fulvius, in aliis Balbus et Porcius, in aliis alii, nisi et hos velimus pro IIviris deducendae coloniae missos. Havercampus literas PR. in aversa numorum Leptis exaratas ad ipsam Leptin in antica scriptum trajicit, et legit PR*ima*, eumque titulum reliquis hujus coloniae titulis addit [d]). Rationem, cur eam dictam *primam* putet, quoniam perfrigida est, adferre piget. Pellerinius suspicatur [e]), legendum PR*raetoribus*, primum quia hae literae conjunctae in numis passim praetorem notant, ut S. CATO. PR*aetor*, deinde quia constat, etiam Caesares et reges saepe IIviratum non dedignatos, mirum non videatur, praetores quoque nonnunquam IIviratu honorario functos. Prior ratio nihil probat propterea, quia, ut mox vidimus, literae PR. certum etiam praefectum notant. Parum vero commode huc vocatur exemplum ex numis Cyrenaicis, inscriptis S. CATO. PR*aetor*; nam in his literas PR. legendas PR*aetor*, neque aliter legi posse, comprobat typus sellae curulis. Neque validior ratio altera; nam si v. g. Nepos et Sura fuissent una praetores et IIviri honorarii, sequeretur, eodem tempore fuisse in provincia binos praetores, quem morem aliquando in provinciis obtinuisse, ante omnia probandum fuerat.

Omnibus his expensis, etsi certum quid constitui non possit, admodum ta-

a) Rec. III. p. 16. b) Med. de Esp. p. 55. c) ad gentis Corn., tab. III. d) in Fam. Corn. et Fulv. e) l. c.

Digitized by Google

men videtur verisimile, legi oportere PR*aefectus*, in quam sententiam propendet denique Florezius quoque. Eas sic legendas tum, cum vicarius aliquis pro Caesare IIvir notandus erat, jam vidimus. Sed habemus etiam exempla, extra hunc casum IIviros et quinquennales dictos fuisse praefectos. In citato supra Corinthi numo habemus certos PRAEF*ectos* IIVIR*os*. In marmore Muratorii [a]) PRAEF. PRO. IIVIR. et IIVIR. QVINQ. nulla utrobique praefecti pro Caesare suspicione. In eodem hoc marmore habemus PRAEF*ectum* QVINQ*uennalem*, alium item apud Gruterum [b]), ut adeo scriptum in laudato Leptis numo PR. QVIN. commode expleri possit legendo quoque PR*aefectus* QVIN*quennalis*. Rem commemorare necesse visum, etsi sperare non liceat, in scriptorum silentio nos veras ejus causas, nisi forte arbitrarii fuere hi tituli, reperturos.

§. IV. *IIIIViri.*

Hos in numis suis ostentant:

Carteia Baeticae, expresso jam IIIIviro uno, jam binis.

Clunia Tarraconensis, memorate constanter toto IIIIvirorum collegio.

Colonia incerta, cujus numum primus edidit Vaillantius [c]) adcuratius Morellius in gente Arria, et in suo Thesauro Impp. sub I. Caesare. Legit hic: C. ARRI. A. F. C. AQ. C. IVL. T. ANC. IIIIVIR. QVINQ. EX. DD. At Pellerinio aliter haec IIIIvirorum nomina ex numo simili suo legenda videntur [d]). Praeter hos numos marmora etiam non pauca, tum et Cicero IIIIviros offerunt, quae testimonia collegit Norisius [e]), quibus adde IIIIviros quinquennales municipii Gabiorum inscriptos illustri marmori nuper in ruinis veterum Gabiorum reperto. Quod ad ipsum munus et potestatem attinet, hi a IIviris solo numero differunt. Quod hic in aliis coloniis auctior fuerit, variae esse causae poterant, sive primum earum institutum, sive ut negotiorum moles in plures divisa levaretur praecipue in coloniis hominum frequentia magis conspicuis. Addit Florezius verisimilem causam aliam, ut ad plures hujus honor magistratus pervenire possit, qui quidem honor sterilis non fuit, nam ii, qui eo functi sunt, jus civitatis R. obtinuere, ut dicetur infra §. VII. Nonnunquam coloniis variasse institutum suum, sic ut, quae antea IIIIviros habuere, serius IIviris essent contentae, Norisius ex marmoribus probat [f]), non majore istud levitate, quam qua colonias in municipia, haec in colonias migrasse novimus. Vt IIviros vidimus quinquennales, sic ex numo postremo coloniae incertae etiam de IIIIviris quinquennalibus constat. De binis IIviris et totidem praefectis IIviris, ut et de quatuor IIviris, quos Vaillantius in unis iisdemque Corinthi numis cum capite Augusti vidit, vide, quae paragrapho proxime praecedente diximus.

---

a) pag. 746. 8. b) p. 479. 6. c) in colon. sub I. Caes. loco ult. d) Mel. I. p. 247. e) Cen. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 45. f) l. c.

Digitized by Google

§. V. *Aediles.*

Acinipo Baeticae: L. FOLCE. AEDILE. Florez.

Calagurris Tarraconensis: C. VAL. C. SEX. AEDILES. etc. Vide alios apud Florez tab. XIII. n. 5. 10. 11.

Carteia Baeticae: C. VIB. AID. — CN. MAI. L. ARG. AED. Florez.

Celsa Tarraconensis: L. AVFID. PANSA. SEX. POMP. NIGRO. AED. Florez.

Clunia Tarraconensis: L. DOMI. ROBV. T. OCTA. MELA. AED. etc. Florez tab. XX. 4. et tab. LII. 15.

Leptis Syrticae: L. SEMP. MAX. M. CAEC. AED. etc. Florez tab. LVIII.

Obulco Baeticae: L. AIMIL. M. IVNI. AID. Florez.

Parium Mysiae: C. MATVINO. T. ANICIO. AED. Sestini.

Saguntum Tarraconensis: M. BAEB. SOBRINO. L. AEM. MAX. AED. etc. Florez.

Turiaso Tarraconensis: RECTO. ET. MACRINO. AED. Florez.

* * *

Vt Romae in majoris ordinis magistratibus numerabantur aediles, quorum erat, res urbis, annonam, ludosque procurare, sic et coloniae, quae erant velut parvae urbis imagines, suos habebant aediles principi magistratui subjectos. Testibus numis, Calagurris, Celsa, Leptis, Parium, Saguntum, Turiaso suos habuere IIviros, Carteia et Clunia IIIIviros, singulae tamen suos quoque habuere aediles. Alia praeter numos exempla recenset Norisius [a]). Interim certum est etiam, fuisse colonias et municipia, quorum summus magistratus fuere aediles. Argumento esto locus Spartiani semel iterumque citatus, quo perhibente Hadrianus *per Latina oppida dictator, et AEDILIS, et IIvir fuit.* Atqui credibile nullo pacto est, delatum a coloniis summo imperanti honorem, qui apud se summus non fuisset. Aliud de Arpino luculentum habemus Ciceronis testimonium. *Nam*, inquit [b]), *constituendi municipii causa hoc anno AEDILEM filium meum fieri volui, et fratris filium, et M. Caesium; is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus, creari solet.* Qua ex oratione discimus etiam, fuisse colonias ac municipia, quae a tribus aedilibus regerentur. Numi plures duobus non memorant. Aedilium municipalium frequens est in marmoribus mentio.

At, inquies, Calagurris, Celsa, aliaeque suos habuere IIviros, cur non hi semper monetae illati fuere, sed nonnunquam etiam aediles inferioris subsellii magistratus? Ajo, aediles coloniarum numis ex eadem aut simili causa fuisse inscriptos, ex qua aediles curules vel plebejos Romanorum denariis fuisse inscriptos in horum tractatu docebimus. Vt enim in urbe interdum ex certis causis datum praetoribus, quaestoribus, aedilibus feriundae monetae negotium, eorumque tum illi inserta fuere nomina, sic et in coloniis

a) Cen. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 56. b) ad famil. L. XIII. ep. 11.

Digitized by Google

sive causa parandae annonae, sive ludorum datum aedilibus aes rude, quod deinde ad praesentem usum flarent ferirent, additis ex simili causa nominibus suis.

§. VI. *Decuriones.*

De his jam principio aliqua delibata, neque multo plura dicenda restant. Nimirum quod Romae fuere senatores, istud in coloniis decuriones. His necesse fuit esse censum centum millium, et ex eorum numero capti magistratus, quemadmodum et horum suffragiis creati fuere IIviri, praefecti jure dicundo etc. Decuriones conscripti dicti fuere *ordo*, addito honoris causa *splendidissimus*, *amplissimus*, etc. dicti etiam interdum urbis exemplo *senatores*, *patres*, praecipue inclinante imperio, reliqui *plebs*, *populus*, *cives*, *coloni*. Vide de universa hac ratione plura opportune collecta a Norisio [a]), et serius a Florezio [b]).

Decurionum nomina coloniarum numis inscripta nunquam leguntur, sed pro his frequenter non in Europae modo coloniis, sed et Asiae et Africae leguntur siglae DD. vel EX. D. D. id est: EX. *Decreto Decurionum*, quod aequivalet Romanorum EX. S. C. In numo Corinthi, quem citat Morellius [c]), legitur scriptum literis Graecis Δ. Δ. Siglas D. D. vel EX. D. D. offerunt Abdera, Apamea, Babba, Buthrotum, Carteia, Carthago Nova forte, Parium, Sinope. Singularia sunt in numis Babbae Mauretaniae: D. D. PVBL. id est: *Decreto Decurionum* PVBL*ico*, et: EX. CONSENSV. DD. In numis Vticae: DD. PP.

In municipiis quoque fuisse decuriones, certum est cum ex numis Oscae apud Florezium, et Vticae, in quibus D D expressum legitur, tum ex auctoribus, quos inter Suetonius [d]): *Corpus decuriones municipiorum et coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt.* Eaedem literae occurrunt etiam in numis municipiorum Calagurris, Emporiarum, Ercavicae, et Sagunti, sed sic, ut non matrici fuerint insculptae, sed instar signorum incusorum adhibitae, quod in coloniarum numis nondum observatum. Ex quo colligo etiam, Traductam Baeticae, in cujus numo eadem comparet nota, municipii tantum jura habuisse.

Verisimile est, notatos fuisse in numis decuriones, quia ad hos rei monetariae negotium, post impetratum sive ab Augustis, sive senata R. permissum, spectato pondere, typis, numero etc. videtur pertinuisse. Vt ergo senatus R. monetae aeneae, cujus feriundae cura ad se pertinuit, incidi curavit suum S. C., sic et decuriones, qui in coloniis senatorum imago fuere, monetae domesticae suum *Decretum Decurionum* imprimendum curaverunt.

§. VII. *De conditione magistratuum municipalium.*

Fulvius Vrsinius, qui post Goltzium

a) Cen. Pis. diss. I. c. 3. p. m. 63. b) T. I. p. 64. c) in fam. Aemil. d) in Aug. c. 100.

Digitized by Google

primus familiarum R. numos collegit vulgavitque, in horum catalogum non recepit numos peregrinos, qui magistratus municipales inscriptos offerunt. Indulgentior Carolus Patinus aucto suo Vrsino non paucos inseruit numos ejus generis magistratuum, quando communia cum gentibus R. nomina se obtulere, ejusque vestigiis institere, qui secuti sunt, Vaillantius, et Morellius. Generatim Patinus, Vaillantius, et qui in Morellii numos commentatus est, Havercampus censuere, hos IIviros, aediles etc. qui Aebutii, Aemilii, Iunii etc. vocantur, aut vere ex horum esse sanguine prognatos, et ex urbe in colonias traductos, aut horum esse libertos. Romani omnes fuisse sanguinis, docet Florezius [a]) Libertos adseruit Gallandus, qui in epistola, quae exstat in Memoriis Trevoltiensibus [b]), et restituta est in Electis Woltereckii [c]), amice objurgat Morellium, quod et ipse videatur velle miscere cum nobilibus Romanorum gentibus homines municipales, libertos patribus servis prognatos, qui adeo praeter nomen, quod, quia horum liberti fuere, ab his ex more acceperunt, nihil cum iis habuere commune. Operae igitur pretium videatur inquirere, primum, fuerintne IIviri gentibus R. cognomines ex his etiam oriundi, deinde, an harum liberti, an denique indigenae ad magistratus domesticos evecti. Lubet argumentum istud, hactenus, quod norim, fere neglectum, adcuratius tractare.

Qui municipales hos praefectos ex gentibus R. prognatos existimant, uno nituntur fundamento, nominis concordia. Sin istud, necesse erit, fateantur etiam, paene omnes imperii R., qua patuit, incolas ab his genus duxisse, quia sensim omnes huic imperio subjecti abjectis nominibus patriis Romana respexerunt. Apollonius Tyanensis graviter Ionas increpat [d]), quod cum Graeci esse et existimari vellent, haberentque prius nomina heroum et virorum illustrium, nunc essent Luculli, Fabricii, Lucii; et mox infra [e]): *tu*, inquit ad Hestiaeum, *repente vis vocari Lucretius, vel Lupercus. A quonam vero horum genus ducis?* Vide et consona in vita Apollonii Tyanensis [f]). Hi ergo Iones, verique Graeci, an a Lucullis, Fabriciis etc. sati? Taceo tot archontes, strategos, scribas, aliosque omnis fortunae viros, quos nobis suppeditant marmora ac numi, Romanis plane nominibus praeditos. Cornelii Balbi Gadibus orti fuere, et a scriptoribus passim dicti homines externi, ut diximus in moneta Gadium, non igitur a Romanis Corneliis, ut neque Agrippae Iudaeae reges a Romano Agrippa oriundi. An denique verisimile, Aemiliae, Iuliae, Iuniae, patriciarum gentium surculos, ab ipsa prosapia ad amplissima imperii munera destinatos, Acinipone, Ilici, Obulcone, aliisve oppidis ignobilibus IIviratum vel aedilatum obeundo maximas suas spes voluisse retardare? nisi quis forte possit comprobare, illustres hos viros honoris tantum causa municipalem hunc ma-

a) T. I. p. 16. b) Majo 1792. c) pag. 67. d) Epist. 71. e) Epist. 72. f) L. IV. c. 5.

Digitized by Google

gistratum suscepisse, quod non raro factum dicetur articulo sequente. Sed cesso res suapte claras amplius illustrare.

At fuere, ut adfirmant alii, magistratus municipales earum gentium, quarum praeferunt nomina, liberti vel libertini. Quod etiam si interim permittamus, eorum numi inique cum numis gentium R. miscentur. Teste enim Cicerone [a]) *gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit etc.* Idem docet Festus [b]). Ergo liberti huc vocari non possunt, quia neque ab ingenuis oriundi sunt, et ipsi pistrinum, stigmata, et herorum lora olim expaverunt. At vero viri eruditi, qui honores municipales libertis libertinisve indulserunt, non videntur meminisse, lege lata his curiam fuisse interdictam. Legis Viselliae ex Diocletiani constitutione cognitae [c]) sententia haec est: *Lex Visellia libertinae conditionis homines persequitur, si ea, quae ingenuorum sunt, circa honores et dignitates ausi fuerint, attentare, vel decurionatum appetere, nisi jure aureorum annullorum impetrato a principe sustineantur. Tunc enim, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis obtinent, et sine periculo ingenuorum etiam officia peragunt publica.* Vide constitutionem similem aliam [d]). Si ergo ex lege ordinaria libertis decurionatum appetere vetitum fuit, quo ii modo IIviri esse poterant, cum juxta Paulum ICtum [e]) is, qui non sit decurio, IIviratu vel aliis honoribus fungi non possit? Accedit, si coloniarum magistratus libertis conferri essent soliti, an viri principes, ut dicetur articulo proximo, salva majestate fungi potuissent IIviratu, ad quem aditus patuit libertis, qui, etsi manumissi, despectae tamen vulgo conditionis fuere, et ex lege variis in causis suis adhuc patronis obnoxii? Quod si lubet magistratus municipales statuere libertos propterea, quod gentium R. jactent nomina, nihil obest, quo minus libertos dicamus etiam copiosos Graecorum archontes, praetores, Asiarchas etc. et quod magis mirum videatur, Ti. Iuliam Sauromaten, Ti. Iulium Rhescuporiden reges Bosporanos, L. Antonium Tarcondimotum Ciliciae regem, Iuliam Berenicen regio Iudaeorum sanguine prognatam, aliosque complures. Sed haec sententia magis refutabitur ab iis, quae sequentur.

Statuendum igitur, magistratus municipales lege ordinaria captos fuisse aut ex ingenuis Romanis, aut ingenuis indigenis. Illos regendis coloniis fuisse admotos, nemo poterit in dubium vocare, nisi qui una contenderit, emissos ex urbe colonos nonnisi ex libertis, servis, et ultima hominum faece constitisse. Vtar argumento unico, eoque in utramque partem valituro. Strabo haec de Corduba [f]): *ὠκησαντο ἐξαρχης Ρωμαιων τε και ἐπιχωριων ἐπιλεκτοι ἀνδρες, και δη και πρωτην ἀποικιαν εις τησδε της τοπους ἐξειλαν Ρωμαιοι, habitarunt eam primum Romanorum et indigenarum viri illustres, eamque primam coloniam in*

a) Topic. c. 6. b) sub Gentilis. c) Cod. L. IX. tit. 21. d) Ibid. L. X. tit. 32.
e) D. de decur. f) p. m. 207.

Digitized by Google

hanc oram miserunt Romani. Sane vulgo creditur, propterea eam dictam coloniam *Patriciam*, quod non pauci patriciorum filii ibi consederint. Ergo tot deductis ex urbe in provincias coloniis dubitari nequit, magnam IIvirorum partem sanguinis fuisse vere Romani. Ad indigenas quod attinet, mox ex Strabone vidimus, Cordubam non modo claris Romanis, sed et illustribus indigenis fuisse frequentatam. Neque vero deductis in aliquam urbem novis colonis exclusos a publicis muneribus indigenas veteres, certi sumus ex Scipionis legibus in constituenda colonia Agrigento latis, quibus cautum est, *ne plures essent in senatu ex colonorum* (recens deductorum) *numero, quam ex vetere Agrigentinorum* [a]). In iis vero urbibus, quae coloniae jura obtinuerunt, quin exteri illuc coloni mitterentur, cujus facti initio hujus tractatus exempla dedi, suapte patet, indigenas fere solos remp. moderatos. Quid quod constat etiam, barbaros a coloniis in civitatis et munerum communionem adscitos. In praeclaro marmore panegyrico coloniae Tergestinae apud Gruterum [b]) laudant Tergestini Fabium Severum, quod ab Antonino Pio impetravit, *uti Carni Catalique attributi a D. Augusto Pio reip. nostrae, prout qui meruissent talia, absque censu per aedilitatis gradum in curiam nostram admitterentur, ac per hoc civitatem R. adipiscerentur - - - admittendo ad honorum communionem et usurpationem R. civitatis ut optimum et locupletissimum quemque - - - ut et ipsi sint, cum quibus munera decurionatus ut paucis jam onerosa honeste de plano compartiamur.* Atqui hi Carni Catalique decurionatus honore donati ad IIviratum etiam eniti poterant, et ubi tum, quod semper fieri consuevit, Romanarum se gentium nominibus ornaverunt, an dici poterant vel ab iis oriundi, vel earum liberti? Enimvero si Iulius Caesar quosdam e semibarbaris Gallorum in curiam R. recepit [c]), multo deinde plures Claudius [d]), quo pacto indigenas ab obeundis domi suae muneribus publicis, iisque multo levioris momenti, arcebimus.

Qui inscriptos numis IIviros, aediles etc. esse Romanorum libertos opinati sunt propterea, quod horum essent nominibus insignes, animum non adverterunt, praeter beneficium herile manumissione impetratum alias adhuc fuisse causas adoptandi nominis Romani. Qui, peregrinus cum esset, civitate R. donatus fuit, ejus, a quo beneficium istud impetravit, plerumque nomina sibi imposuit. Cicero [e]): *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est. - - - Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Caesare impetravit. Itaque nunc P. Cornelius vocatur*, nempe ex gentilitio Dolabellae nomine. Idem alibi [f]) *a Q. Lutatio Diodoro, qui Q.* (Lutatii) *Catuli beneficio a L. Sulla civis R. factus est.* Vide exempla alia apud Sigonium opere de nominib. Rom. §. de praenominib. imponend. Atqui certum est etiam, peregrinos ante acceptam civitatem, et sola ejus adipiscendae spe no-

a) Cic. in Verr. L. II. c. 50. b) pag. 408. c) Sueton. c. 76. d) Tacit. Ann. XI. c. 23. seq. e) ad Famil. L. XIII. ep. 36. f) in Verr. L. IV. c. 17.

Digitized by Google

mina sibi Romana imposuisse. Etenim videmus, omnes fere omnium coloniarum IIviros, aediles etc. id genus nominibus esse praeditos. At vero non semper, cum IIviratum, aedilatum etc. adirent, vel eo fungerentur, jam habebant jus civitatis, sed illud sibi obeundis his per colonias Latinas magistratibus demum sunt emeriti. En hujus testem Appianum [a]: *Vrbem Novocomum Caesar in Alpibus addito Latii jure condidit, quo continebatur hoc, ut qui annuum ibi magistratum gessisset, civis R. fieret.* Vide de hoc plura in nota Bimardi [b]). Reliquae adjecti nominis R. causae peregrinis fuere clientela, hospitium, adfectus, adulatio, quorsum pertinet adductum supra regum exemplum, ac denique una libido. Neque enim morem hunc exprobrare Ionibus potuisset Apollonius, de quo egimus supra, si veram eo utilitatem percepissent. Alioqui vetus erat inter Graeculos consuetudo, adsentandi studio potentioris cujuspiam nomen captare. Teste Polybio [c]) Aristomenes quispiam, Agathoclis, qui magnum in Ptolemaeorum aula nomen habuit, fortunam sectatus, natae sibi filiae Agathocleae nomen dedit. Ineptus Demeas rhetor apud Lucianum Timoni misanthropo blanditus narrat, se filio Timonis nomen imposuisse. Enimvero an non credibile, hunc morem in ipsa hominis natura esse positum, cum nuper ipsi insularum maris Pacifici incolae, omnium, quae extra coelum suum agerentur, rudes, testandae benevolentiae causa Anglorum hospitum nomina sumpserint? ut perhibent Cookianorum itinerum enarratores. Haec ergo causae plane persuadent, sub nominis R. velamine non semper aut hominem gentis R. aut ejus libertum, sed frequentissime peregrinum latere, et quod colligi potest, notatos in numis coloniarum magistratus plerumque fuisse homines conditionis peregrinae.

Interea nolim quis existimet, a me gentium R. viros, aut libertos etiam ab obeundis muneribus municipalibus penitus excludi. De IIviris vere Romanis jam aliqua praecepi, et Cicero, ut supra in Aedilibus dixi, suum et fratris filium aediles Arpini fieri voluit, quibus adde ex illustribus gentibus IIviros honorarios, de quibus proxime. Enimvero facile adducor ut credam, quando in numis coloniarum, praecipue illustriorum, cum nomine gentis R. jungitur cognomen, quod illi genti proprium fuit, tum hominem R. haud dubie indicari. Moris enim fuit, ut sive manumissus, sive civitate donatus, sive quocunque modo cliens praenomen tantum, et nomen ejus adsumeret, qui vel manumisit, vel civitate donavit, vel patroni loco esse voluit, iisque vetus suum cognominis loco adderet. Sic ut exemplis tantum inhaeream a Sigonio adductis [d]), Tiro et Laurea a M. Tullio Cicerone manumissi deinceps dicti fuerunt, ille M. Tullius Tiro, hic M. Tullius Laurea. Diodorus a Q. Lutatio Catulo civitate donatus nomina subinde habuit Q. Lutatii Diodori, quibus adde illustres clientes reges jam supra laudatos Ti. Iulium Sauro-

a) Bell. civ. L. II. c. 26. b) ad Iobert. T. II. p. 79. c) Hist. L. XV. c. 29. d) l. c.

Digitized by Google

maten, L. Antonium Tarcondimotum, M. Antonium Polemona etc. Addo luculentum exemplum aliud. Narrat Artemidorus [a]), servo cuipiam secundum quietem visum, tria se habere δίδοια. Significavit imago, eum paullo post manumissum iri. Nam impetrato hoc beneficio, ut ait ineptus hic somniorum interpres, ἀνθ' ἑνὸς ὀνόματος τρία ἴσχε, δύο τὰ ἀπελευθερώσαντος προσλαβὼν ὀνόματα, *pro uno nomine tria habuit, duobus a manumittente adsumptis.* Contra cum in numis Carthaginis Novae, coloniae in paucis illustris, lego IIvirum M. Postumium Albinum, cum Albinus vulgatum fuerit cognomen gentis Postumiae, nequaquam dubitavero, eum cum clara gente Postumia connectendum. Libertos vero, praeterquam quod, ut supra dixi, impetrato aureorum annulorum jure ad dignitates municipales pervenire poterant, quis inficiabitur, in ea, qua olim saepe fuerunt, potentia, extra ordinem potuisse arripere IIviratum? Sane non dubito, M. Antonium Hipparchum, quem Corinthi numi IIvirum sistunt, fuisse M. Antonii IIIIviri libertum ex Plutarcho cognitum, ut dixi in ejus coloniae moneta. Neque etiam dubitari potest, ad municipales honores pervenisse eos, qui ex S. C. manumissi, et in libertinorum coloniam transcripti fuere, cujus generis fuisse Carteiam docet Livius [b]). Enimvero omnis haec disputatio eos solum ferit, quibus hi magistratus aliud visi non sunt, quam vel gentium R. surculi, vel liberti aut libertini.

§. VIII. *Caesares et Reges IIviri.*

Horum quoque adornare catalogum, et referre, quae huc pertineant, non inutile videatur.

* * *

Augustus Quinquennalis Celsae.

M. Agrippa Quinquennalis Celsae.

Ti. Caesar Quinquennalis Celsae et IIvir Corinthi.

Germanicus et Drusus Ti. F. IIviri Acci, IIIIviri Carteiae.

Nero et Drusus Germanici filii IIviri Caesaraugustae et Carthaginis Novae.

C. Caesar Caligula IIvir Caesaraugustae et Carthaginis Novae.

* * * *

Iuba II. et Ptolemaeus Mauretaniae reges IIviri forte Carthaginis Novae.

* * *

Caesares et Augustos nonnunquam per imperii urbes magistratu honorario functos, docet cumprimis citatum saepius Spartiani testimonium, in causa praesente classicum, et quod hoc loco plenius recito. Haec enim ille de Hadriano: *In Hetruria praeturam imperator egit, per Latina oppida dictator et aedilis et IIvir fuit, apud Neapolin demarchus, in patria sua quinquennalis, et item Adriae quinquennalis, quasi in alia patria, et Athenis archon fuit.* Idem ergo factum in coloniis, quod nonnunquam in urbibus liberis. Hadrianum Athenis archontem, mox ex Spartiano vidimus. Testibus

a) Oneirocrit. L. I. c. 47. b) L. XLIII. c. 3.

Digitized by Google

numis Trajanus Byzantii, urbe libera, summum magistratum gessit. Cum numis et scriptoribus conspirant marmora. In lapide municipii Consaburensis Hispaniae Tarraconensis apud Gruterum [a]) legitur: EO. ANNO. QVO. ET. OPTIMVS. IMP. HADRIANVS. ETIAM. DVVMVIRATVS. HONOREM. SVSCEPIT. In tabula Praenestina, quam edidit Petrus Fogginius [b]), leguntur GERMANICVS. CAESAR. DRVSVS. CAESAR. QVINQ*uennales* Praeneste. Exempla alia ex marmoribus vide apud Florezium [c]). At tum pro Caesaribus magistratum in coloniis obivisse praefectos IIvi̇ros, docuimus supra §. III. Eodem modo stante adhuc rep. illustres Romae viros in vicinis coloniis IIviratum gessisse, ut Pisonem, et Pompejum M. Capuae, ex Cicerone docet Norisius [d]).

De Iuba II. et Ptolemaeo IIviris vide, quae in eorum moneta notavimus.

SECTIO VI.

DE TYPIS IN NVMIS COLONIARVM ET MVNICIPIORVM.

Habent numi coloniarum aut certos suos typos, a quibus non facile discessum, aut variantes nulla certa lege. Prioris generis sunt v. g. mulier stans cum signis militaribus Viminacii, caput Ammonis Cassandriae, mulier rupi insidens emergente subtus fluvio Antiochiae Syriae etc. Alterius generis numi aut typos habent vagos, obvios, suique temporis testes, aut magis eruditos, nimirum argumentis a fabulis domesticis apud se natis, et remotissima urbis antiquitate petitis, etsi horum nihil ad earum urbium colonos adventitios, et foris natos nunc, amplius pertineret. Paucis exemplis ut utar, obvia res in moneta coloniae Corinthi fabula Melicertae, ejusque mirum variae peristases, Bellerophon ejusque mancipium Pegasus etc. in moneta Tyriorum deductae ab his Thebe et Carthago, institutae in ipsum Oceanum navigationes, petrae ambrosiae, murex lanae in purpuram tingendae materia etc. Iam vero de privatis his typis hoc loco non agimus, quia opportunius in singularum urbium moneta erant commemorandi. At agendum hic jure de typis iis, quos

a) pag. 421. b) Fasti Verrii in praef. p. XIV. c) Tom. I. p. 143. d) Cen. Pis. diss. I. c. 3. sub. init.

Digitized by Google

nonnisi coloniae R. sibi proprios habuere, quin eos sibi urbes liberae adrogarent. Eccos:

I. *Vir togatus velatus par boum aratro junctum scutica impellit.*

Typum hunc reperi in numis

Aeliae Capitolinae.
Antiochiae Pisidiae.
Apameae Bithyniae.
Beryti Phoenices.
Bostrae Arabiae.
Caesaraugustae Tarraconensis.
Caesareae Samaritidos.
Corinthi Achaiae.
Dertosae Tarraconensis.
Emeritae Lusitaniae.
Heliopolis Coelesyriae.
Neapolis Samariae.
Parii Mysiae.
Patrarum Achaiae.
Ptolemaidis Galilaeae.
Rhesaenae Mesopotamiae.
Romae Latii, ex numis Romanis Commodi.
Sidonis Phoenices.
Sinopes Paphlagoniae.
Tyanorum Cappadociae.
Tyri Phoenices.

* * *

Hunc typum soli offerunt coloniarum numi, quia sacer ritus illo propositus nonnisi in condendis Romanorum coloniis observatus fuit. Eum passim a philologis descriptum reperias, et hos inter paucis ac nitide ab Heineccio [a]): Quoties aut urbs nova exstruenda, aut colonia condenda erat, toties conditor vel IIIvir coloniae deducendae cinctu Gabino ornatus aratro aptabat aeneum vomerem, junctisque bobus mare et femina ipse circum lineamenta profundum ducebat sulcum. Sequebantur coloni, et excisas aratro glebas intro vertebant. Vbi portam esse volebant, vomere exempto atque aratro sublato relinquebant spatium. Ducto sulco cum boves illi, tum aliae victimae immolabantur diis medioxumis, et tum demum exstruendis muris admovebantur manus. Adhibebantur et alia quaedam boni ominis causa, ut Festus docet voce *Quadrata*, quae tamen qualia fuerint, hodie ignoramus. Iam vero ex his facile reddideris rationem, cur moenia, non autem portae, sancta visa sint. Eae enim auspicato non signabantur aratro, quia per illas cadavera aliaque impura evehenda erant. Hucusque Heineccius citatis orationis suae vadibus, et confer Florezium [b]). Addo locum Catonis in Originibus citatum a Servio [c]), quo numorum similium typus ad amussim exprimitur: *Conditores enim civitatis taurum in dexteram, vaccam intrinsecus jungebant, et incincti ritu Gabino, id est: togae parte caput velati, parte succincti, tenebant stivam incurvam etc.* quo loco et ritum Gabinum explicatum habes, de quo plura erudite collegit Norisius [d]). Eodem pertinet, quod refert Dio [e]), Commodo, quippe

a) Ant. Rom. L. II. tit. I. §. 9. b) Med. de Esp. p. 87. c) ad Aen. VII. 755. d) Cen. Pis. diss. III. c. 7. init. e) L. LXXII. §. 15.

Digitized by Google

coloniae Romae conditori, statuam aream mille librarum cum tauro, et vacca fuisse positam. Vide ad hanc causam etiam numos Commodi ad annum V. C. 943.

Sacra haec caerimonia circumducendi aratri non in coloniis modo e fundamento exstructis observata fuit, sed etiam in iis, quae, cum urbis jam formam haberent, per colonos adventitios, aut etiam tantum Romanorum beneficio coloniae jura obtinuerunt. Enimvero fuit Casilinum originis vetustae, et jam olim colonia auspicato constituta, et tamen cum M. Antonius novissime coloniam eo mitteret, aratri religionem non neglexit, docente istud Cicerone his in eum verbis invecto a): *Casilinum coloniam deduxisti--- ut vexillum tolleres et aratrum circumduceres.* Quare nequaquam mirum, in numis earum coloniarum, quae antiquissimae fuerunt prosapiae, ut Beryti, Sidonis, Tyri, Patrarum, ipsius quin etiam Romae secundum Commodi numos, signari aratrum. Quanquam ex Cicerone recte intelligimus, non urbis modo, sed et territorii coloniae adsignati ambitum aratro definitum. Sic enim citatam mox orationem prosequitur: *cujus quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur.*

Observandum praeterea, in nullo municipiorum numo aratri typum conspici, ac jure istud; neque enim, ut initio hujus tractatus diximus, illa eadem fuerunt conditione, qua coloniae, quae ex civitate propagatae jura institutaque omnia populi R., non sui arbitrii habuerunt, et urbis R. quasi effigies parvae sunt visae. Quapropter quemadmodum Romulus, cum Romam conderet,

Inde premens stivam designat moenia sulco,
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

ut ait Ovidius b), sic et ejusdem modi ritus in propagandis coloniis fuit adhibitus. Vnde et certa ratio petitur, cur in numis Graecarum coloniarum, quae variis typis suum cum metropoli nexum profiteri sunt solitae, nunquam sacerdos arans compareat, quia hic ritus Romanis tantum fuit proprius, non vero etiam Graecis.

II. *Signa militaria et legiones.*

Persaepe haec in coloniarum numis occurrunt, non tamen solis, ut dicetur. Modi, quibus illa in his proponi consueverunt, variant, quos enumero:

Signa militaria sola, qualia videre est in numis Acci, Caesaraugustae, Emeritae, Beryti etc.

Signa militaria adscriptis legionum nominibus. Vide numos Acci, Caesaraugustae, Patrarum, Beryti etc.

Signa militaria una cum sacerdote arante. Vide numos Ptolemaidis. In nonnullis Antiochiae Pisidiae, et Patrarum *ipse sacerdos arans pro solita scutica vexillum tenet.*

In numo Caesaraugustae anticam oc-

a) Phil. II. 40. b) Fast. IV. 825.

Digitized by Google

cupant *signa militaria*, aversam *sacerdos arans*.

In numis Viminacii obvium est videre mulierem stantem, et singulis manibus singula signa tenentem.

* * *

Signa militaria in coloniarum numis plerumque indicare colonias militares, dubitari nequit. Milites enim in colonias mittebantur, partim quod emeriti essent et stipendiis confectis, partim maturius in navatae operae praemium, quod sub IIIviris perfrequens, partim ut imperii fines tuerentur. Multo autem certius colonia militaris putanda, quando vexillis legiones, earumque numeri sunt adscripti, ut LEG. XL, sed qui non raro supprimuntur. Iam vero constat, milites in colonias transcriptos eo cum vexillis et in turmas divisos profectos. Tacitus jam supra citatus [a]): *Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur, cum tribunis et centurionibus, et sui cujusque ordinis militibus.* Et Hyginus [b]): *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, et ad laboriosam agriculturae requiem primo tyrocinii gradu pervenire. Nam cum signis et aquila et primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* Coloniarum militarium auctor Sulla dictator vulgo fertur, quod Caesares subinde sunt imitati.

Ope typorum hactenus descriptorum, videlicet sacerdotis arantis et vexillorum, conjecit Fabrettus, erui posse discrimen inter colonias plebejas et militares [c]): Nam, inquit, plebejas aratro, militares aquilis et signis discretas fuisse, at eas, quae aratrum et signa promiscue in variis numis adsumunt, vel in eodem jungunt, primam deductionem e civibus, supplementum e veteranis indicare. Fabrettum passim sequitur Vaillantius. Sed enim hanc sententiam cum scriptores, tum numi evertunt. En orationem Velleii [d]): *Neque facile memoriae mandaverim, quae, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.* Tempus istud signat consulatu Marii VI., qui sextum processit V. C. 653. Ergo si hoc standum est testimonio, militares etiam fuerunt Berytus, Caesaraugusta, Corinthus, Emerita, Patrae, Sinope, omnes a I. Caesare, vel Augusto, et quod sequitur, post dictatum a Velleio tempus deductae, et tamen omnes hae virum arantem offerunt. Neque poterit Fabrettus aratorem suum tueri dicendo, hoc typo primam deductionem e civibus notari; nam certum est, omnes modo memoratas urbes ante constitutam ab utroque Caesare deductionem colonias non fuisse, ergo simul colonias, simul secundum Velleium militares, quod ipsum arguit vel nomen Emeritae, testibus scriptoribus coloniae Lusitaniae ab emeritis militibus inditum. Invehitur in M. Antonium Tullius [e]): *Casilinum coloniam deduxisti, ut vexillum tolleres, et aratrum circumduceres.* Militarem fuisse, patet ex Velleii verbis, et tamen in ea deducenda aratri usus valuit. Eodem modo vexillum sic fuit coloniarum militarium symbolum, ut tamen etiam plebejis non adversaretur. Nam etiam cum coloniae

a) Ann. XIV. 27. b) de limitib. c) de column. Traj. p. 11. d) L. I. c. 15.
e) Phil. II. c. 40.

Digitized by Google

plebejae deducerentur, coloni sub vexillis profecti sunt. Docet istud Plutarchus, cum narrat, vexillum princeps, cum Carthaginem a C. Graccho colonia deduceretur, vento fuisse diffractum a). Fuit tamen haec colonia non militum, sed egenorum civium. Ex hactenus ergo dictis istud certum, aratri typum coloniis aeque plebejis ac militaribus convenire, atque istud etiam de vexillis posse adfirmari; tametsi quod ad nostrum institutum attinet, otiosum videtur inquirere, utrum signa militaria coloniam militarem arguant. Etenim coloniae, quarum habemus superstites numos, dempta una alterave, omnes fuere militares, nimirum a Caesaribus deductae, ut adeo absque errandi periculo liceat statuere, signata in coloniarum numis vexilla milites in his constitutos respicere, eodem sane modo, quo vexilla in numis urbium non coloniarum conspicua excubantes apud se cohortes respiciunt. Sic in numis Italicae, quae municipium fuit, comparent vexilla, item in numis Nicaeae et Iuliopolis Bithyniae, Hieropolis Cyrhesticae, quae omnes coloniae non fuere, et cum omnis Aegyptus colonias non haberet, numi Alexandrini imperantibus Numeriano et Carino signati legionem II. Trajanam typo aquilae legionariae exhibent. Vide de hoc argumento etiam Bimardum ad Iobertum T. II. p. 68.

III. *Lupa gemellos lactans.*

Offerunt hunc typum in numis suis

Alexandria Troas.
Antiochia Pisidiae.
Apamea Bithyniae.
Coela munic. Thraciae.
Damascus Coelesyriae.
Deultum Thraciae.
Germe Galatiae.
Iconium Lycaoniae.
Italica munic. Baeticae.
Laodicea Syriae.
Neapolis Samariae.
Parium Mysiae.
Patrae Achaiae.
Philippi Macedoniae.

Romulum et Remum a lupa nutritos perpetuum fuisse originis rei R. symbolum, ex innumeris monumentis constat. Quapropter eundem typum sibi legerunt potissimum coloniae, ut se velut a communi matre propagatas profiterentur. Quo modo etiam Probus Augustus, haud dubie ut se genere Romanum profiteretur, numos edidit inscriptos: ORIGINI. AVG. typo gemellorum lactentium. Eodem typo, sed rarius, usa sunt etiam municipia, quia poterant, velut adoptionis quadam specie, urbis Romae filiae putari. Videtur etiam eum typum peregrinis urbibus suasisse adfectus, aut adulatio, nam illum sistit numus Thyatirae Lydiae apud Spanium b).

Praecipiente Harduino c) urbes, quarum numi proponunt geminos a lupa lactatos, ipsa hac imagine profitentur, se esse colonias vel municipia civium R., at illae, quae hoc typo usae non sunt, jure tantum Latii gavisae

a) In Graccho p. m. 839. b) Voyage T. III. p. 183. c) in Antirrhet. p. 136.

Digitized by Google

sunt. Praestare puto, opinionem tam singularem ne velle quidem refutare, cum aliquando desinere oporteat, sententias quascunque falsi convictas, ac propterea jam palam fastiditas, novis commentariis inferre, et charta et tempore melioris sibi notae argumentum petentibus. Qui disputatam hanc litem volet, praeter auctores antiquiores alios adeat Bimardum [a]), et Florezium [b]).

Ad eandem ab urbe Roma ductam originem pertinet etiam typus, quo fingitur Aeneas Anchisen gestans comite Ascanio, et quo usae sunt coloniae Apamea Bithyniae [c]), et Berytus [d]).

IV. Silenus stans d. elata, s. utrem humero injectum.

Occurrit haec imago in numis coloniarum

Alexandriae Troadis.
Beryti Phoeniciae.
Bostrae Arabiae.
Coelae munic. Thraciae.
Damasci Coelesyriae.
Deulti Thraciae.
Laodiceae Syriae.
Neapolis Samariae.
Parii Mysiae.
Patrarum Achaiae.
Sidonis Phoeniciae.
Tyri Phoeniciae.

* * *

Typum hunc esse numorum hujus classis proprium, non modo eo verisimile fit, quod in tot coloniarum numis reperitur, sed etiam, quod in unis. Neque enim in ullo urbium non coloniarum numo Silenum hoc modo, quo diximus, expressum videmus. Vt adeo non dubitaverim, quod ab alio antea factum non observavi, hunc typum aequo jure atque illos, de quibus hactenus egi, in coloniarum typis putare. Addo, Silenum simili gestu exstare in denariis gentis Marciae Censorinorum, causa incerta. Sed jam quam ob causam hic noster Silenus solos coloniarum numos occupaverit, conjectura adsequi satagamus. Vaillantius variis locis, quibus typi hujus causam dare conatur in suo de coloniis opere insigni, eo uberes vini proventus, quod Sileno in deliciis fuisse constat, indicari existimat, Vaillantium secutus est Bellèyus in dissertatione de numis Bostrae [e]). At enim cur Silenum non aeque habemus in numis urbium Graecarum, quae tot, variisque modis vini sui praestantiam amabant praedicare?

Videor mihi aliquid, quod aenigmati huic possit lucem adfundere, reperisse in Servii commentariis. Ait primum [f]): *Quod autem de Libero patre diximus, haec causa est, ut signum sit liberae civitatis; nam apud majores aut stipendiariae erant, aut foederatae, aut liberae. Sed in liberis civitatibus simulâcrum Marsyae erat, qui in tutela Liberi patris est.* Illustrior oratio altera [g]), qua ad verba Maronis: *patriique Lyaeo*, continuo subjicit: *qui apte urbibus libertatis est deus; unde etiam*

a) ad Iobert T. II. p. 92. b) T. II. p. 480. c) Pellerin Mel. I. p. 290. d) Mus. Theup. sub Elag. e) B. L. T. XXX. f) ad Aen. III. 20. g) Aen. IV. 58.

Digitized by Google

Marsyas, minister ejus, civitatibus in foro positus libertatis indicium est, qui erecta manu testatur, nihil urbi deesse. Lege Servium istud ipsum inculcantem apud Macrobium a). Quod posterius testimonium tanto magis causae servit, quod ipsum simulacri gestum, qualis in his numis est, indigitat. Animadvertendum, antequam ad rem propius accedo, nequaquam mihi adversari, quod numi Silenum offerant, Servius autem utroque loco in Marsya sibi constet. Sciendum enim, utrumque deastrum sic a veteribus confusum, ut, qui Marsyas esset, etiam Silenus diceretur. Iam ab Herodoto memoratur ὁ τῦ Σιληνῦ Μαρσυεω ἀσκος, *Sileni Marsyae uter* Celaenis Phrygiae suspensus, monstratusque b). Sic et Pausanias memorat Palladis signum τον Σιληνον Μαρσυαν ferientis c), mox infra unum eundemque jam Marsyam vocat, jam Silenum d), atque iterum infra e), quo loco perperam Amasaeus interpres Marsyam a Sileno distinguit, qui unus idemque erant, cum nimirum essent inter veteres, qui Marsyan in Silenorum numero putarent. Quo circa nequaquam miremur, si interdum a veteribus unum pro alio captum legimus. A Servio vero nomine Marsyae intellectum Silenum, inde colligimus, quod hunc suum Marsyan in tutela Liberi patris esse, hujusque ministrum diserte adserit, quod quidem jure praedicari de Sileno posse in vulgus notum, minus vero, saltem ex obvia tritaque mythologia, de Marsya Phrygio. Non advertit ad haec Gronovius, citata haec Servii testimonia sugillans, tanquam is parum scite Marsyan libertatis indicem adseruisset f).

Habemus igitur Silenum urbium quidem liberarum testem, at necdum coloniarum, in quarum tamen aolarum numis, ut professus sum, hujus formae Silenus visitur. Enimvero si religiose velimus in haec Servii dictata jurare, necesse erit, Silenum, quatenus libertatis est index, a coloniis procul habere. Tantum enim abest, ut coloniae in urbium liberarum numero haberentur, ut etiam iis quodammodo opponerentur. Plinius, ubi Baeticae oppida enumerat g), *in iis*, inquit, *coloniae IX., municipia XVIII., Latio antiquitus donata XXIX., libertate VI., foedere III., stipendiaria CXX.* Sane cum coloniae non minus atque aliae urbes Graecae titulorum libidine laborarent, ut supra vidimus, vix tamen exstat numus, qui sive coloniam, sive municipium *liberum* appellaret, etsi hic titulus in Graecarum urbium numis non sit infrequens. Et vero urbes, quae tam arcte a Romanorum seu legibus, seu juribus pendebant, quo illae pacto liberae dici potuissent? Interim verum est, varias colonias, sive quod immunitate gauderent, sive a praetoris R. jurisdictione essent eximiae, liberas tamen, etsi laxius, appellari potuisse, et revera etiam a scriptoribus appellatas. De Patris Achaiae colonia Pausanias h): καὶ ἐδωκε μεν ἐλευθερους Αχαιων μονοις τοις Πατρευσιν εἰναι, *et solos ex Achaeis Patrenses liberos esse*

a) Sat. L. IV. c. 12. b) L. VII. c. 26. c) L. I. c. 24. d) L. II. c. 7. e) L. II. c. 22. f) Thes. ant. Graec. T. I. lit. X. g) L. III. §. 3. h) L. VII. c. 18.

Digitized by Google

jussit Augustus ejus coloniae conditor. Vide coloniarum quodam sensu liberarum exempla alia supra in tractatu de urbibus autonomis et liberis, tum et nūmos Hipponis Zeugitanae, quae in numis dicitur LIBERA, et colonia a Plinio juniore, quo loco et egimus de municipio *libero* Thibursicensium.

At enim, si haec Sileni imago urbis est liberae indicium, cur ea non etiam in numis urbium Graecarum, quae et vere erant liberae, et liberae auctoritate publica dicebantur, comparet, sed in unis coloniarum aut municipiorum numis, et quidem sic, ut et harum aliquae hoc typo constanter abstinerent? Difficilis hercle quaestio, cui si respondere jubear, praeter conjecturas, et has, ut multis videbitur, infirmas fateor me in promptu non habere, quod adferam. Tentabimus tamen, ut cunque res cadet. Nam et nos, non minus ac Musae Hesiodeae [a])

Ιδμεν ψευδεα πολλα λεγειν ἐτυμοισιν ὁμοια.

Videntur hoc typo aliae coloniae non usae, quam quae jure Italico ab imperatoribus sunt donatae. Invexit jus istud, amplissimum sane ex iis, quae Romani in urbes conferre sunt soliti, immunitatem a tributo capitis et soli, dictumque fuit Italicum, quod Augustus beneficium istud toti Italiae esse proprium voluit, de quo, ne longior hic sim, consule juris R. interpretes, ac praecipue Bimardum paucis ac dilucide hanc materiam complexum [b]). Nemo non videt, urbes praeclaro hoc beneficio ornatas non abs re, etsi in Romanorum sensu minus proprie, dici potuisse liberas, et de se praedicare, quod teste Servio Silenus gesticulatione indicare voluit, nihil post haec sibi deesse. Si ergo, quod fingere absurdum non est, ad jactandam hanc suam libertatem Italicae urbes passim Silenum tanquam libertatis indicem proposuere, jure Servius homo Romanus, et qui hunc urbium Italicarum morem coram vidit, dicere potuit, deastrum hunc urbium libertatem significare, etsi verbis in oratione sua minus propriis uteretur, cum pro Sileno Marsyan, pro immunitate ex jure Italico libertatem obtrusit, quo vitio inferioris aevi grammaticos passim laborare, non est quod moneam. Si Italiae urbes erecto in foris Sileno libertatem sunt testatae, non mirum, colonias quoque externas jus idem sibi concessum eodem modo voluisse indicare. Et vero ex numero XII. urbium, quae Sileni typo usae sunt, et quarum catalogum supra dedimus, quinque sunt, quas certa fide constat Italico jure gavisas, diserte istud testantibus Vlpiano, Celso, Gaio, Paulo ICtis [c]), nimirum, Alexandria Troas, Berytus, Laodicea, Parium, Tyrus. Addere tuto possumus Sidonem, in quam cum Elagabali jussu, ut in ejus moneta diximus, translata essent omnia Tyri jura, dubium non est, translatum quoque jus Italicum, quo Tyrus ornata fuit. Quo loco in conjecturae meae subsidium juvat animadvertere, ex tanto monetae Tyriae numero in iis tan-

a) Theogon. v. 27. b) ad Iobert. T. II. p. 85. c) Dig. L. L. tit. 15. de Censib.

Digitized by Google

tum numis apparere Silenum, in quibus Tyrus coloniam se profitetur. Ademptis ab Elagabalo coloniae juribus, cum miserabilem suum statum inscripto solo TYRIORVM manifestaret, Silenum etiam ex eorum moneta extorrem factum. Addere liceat et Patras Achaiae, in quas Pausanias collata ab Augusto refert beneficia, quaecunque (ὁποσα) in colonos conferri consuevere [a]). Si quaecunque, certe etiam jus Italicum. Ergo ex urbibus XII. habemus VII., quae jus istud habuerunt, et Silenum signaverunt. Et forte adhuc in lucem proferentur eodem typo insignes numi coloniarum Heliopolis, Emisae, Philippensis, Cassandreae, Diensis, Antiochiae Pisidiae, municipii Stobensis, quae oppida omnia citati jurisconsulti juris Italici appellant. Egregie causam meam juvat, quod in numis earum coloniarum, quibus iidem jus istud disertis verbis detrahunt, intelligo Ptolemaiden, Caesaream Samariae, Aeliam Capitolinam, Antiochiam Syriae, ne vestigium quidem Sileni reperio, etsi earum moneta magno numero supersit. De Ptolemaide Vlpianus: *nihil praeter nomen coloniae habet.* Idem de Caesarea et Aelia: *neutra jus Italicum habet.* Antiochiam Syriae non modo praeterit Vlpianus, sed et haec tantum de ea notavit Paulus: *Divus Antoninus Antiochenses colonos fecit salvis tributis.* Ex eo vero, quod laudati auctores inter urbes Italicas non recensent Bostram, Coelam, Damascum, Deultum, Neapolin, Patras, Sidonem, quae omnes quoque Silenum jactant, nolim quis sequi existimet, eas jure Italico caruisse. Quae enim in Digestis memorantur, excerpta tantum sunt ex eorum libris de censibus et coloniis, et haud dubie nonnullae coloniae serius hoc jure donatae fuerint.

Atque haec, quando veri habere speciem visa sunt, non dubitavi, ut in mentem venerant, in hos commentarios referre. Sintne commodo fundamento nixa, eruditorum arbitrii esto.

V. Taurus stans.

In numis Calagurris, Celsae, aliarumque. Adludit hic typus ad agriculturam, cujus etiam causa deducti ex urbe coloni, et cujus symbolum habitus taurus. Tacitus [b]): *Igitur a foro boario, ubi aereum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur etc.*

a) L. VII. c. 18. b) Ann. XII. c. 24.

Digitized by Google

SECTIO VII.

DE PERMISSV SIGNANDAE IN COLONIIS MONETAE.

Hunc enunciant sequentes formulae coloniarum numis inscriptae:

PERM. AVG. vel AVGVSTI. vel: PERM. CAES. AVG. vel: PER. IMP. CAESARIS. AVGVSTI. vel: PERMISSV. CAESARIS. AVG. in numis Caesaraugustae, Eborae, Emeritae, Italicae, Patriciae, Romulae, Traductae, qui omnes habent caput Augusti.

PERM. DIVI. AVG. in numis Romulae et Italicae, cum capite Tiberii.

INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. in numo Patrarum cum epigraphe Augusti.

PERM. IMP. in numo Corinthi cum capite Domitiani.

PERM. SILANI. in numis Berytí sub Augusto et Tiberio.

PERMISSV. P. DOLABELLAE. PROCOS. vel: L. APRONI. PROCOS. in numis Carthaginis Africae sub Tiberio.

* * *

Edictum in tot numis *permissum* eloqui jus monetae in coloniis feriundae, inter omnes convenit. Magis istud elucescit ex citato Patrarum numo, in quo Patrenses impetratam monetam indulgentiae Augusti, id est: permissui, acceptum referunt. Sui ergo arbitrii Augustus esse voluit, in quam sive coloniam sive municipium istud vellet jus conferre. Sed et in coloniarum arbitrio haud dubie positum fuerit, sive collatum istud jus palam in moneta jactarent, sive dissimularent. Certe multo plures fuere coloniae, quae reticuerunt. Impensius illud elocutae sunt urbes Baeticae, quae tamen, quod observari meretur, senatus populique provincia fuit, non Augusti, cum interim ex urbibus Tarraconensis provinciae, quae Augusto paruit, unicum tantum numum, eumque Caesaraugustae, atque hunc nonnisi sero, reperisset Florezius, qui Augusti permissum enunciat [a]).

Videtur Augustus impertiendi hujus juris potestatem permisisse denique provinciarum rectoribus. Sic in citato Berytiorum numo non amplius legitur

a) Tom. III. p. 18.

Digitized by Google

PERM. AVG. sed PERM. SILANI., qui Creticus Silanus sub Augusti exitum et initium Tiberii Syriam pro praetore rexit, ut dictum in numis Antiochiae. Atque idem deinceps videtur placuisse successoribus; neque enim amplius legitur v. g. PERM. TI. AVG., quamvis in numis citatis Carthaginis veteris eodem imperante Tiberio cusis legatur permissus Dolabellae et Aproniі proconsulum. Quod in numo Corinthi imperante Domitiano signato legatur PERM. IMP., in causa est, quia hic imperator jus monetarium urbi restituit ademptum a Vespasiano, ut in ejus numis diximus. Ceterum cur jus istud coloniis aliis concessum fuerit, aliis perpetuo negatum, reperire hactenus non potui. Sane Dyrrhachium Illyrici, urbs olim, si qua alia numismatica, eadem, ex quo deducta est colonia, juris etiam Italici particeps, nullos amplius numos dedit. An sponte hoc juris non appetierint, forte quod apud eas abundavit moneta Romana, ignoramus. Sed potest haec quaestio ad multas urbes Graecas liberas, magnique eas nominis extendi.

* * *

In compluribus coloniarum numis senatus R. auctoritas notatur his modis;

S. C. in numis Antiochiae Syriae, Damasci Coelesyriae, Philippopolis Thraciae.

M. FALCIDIVS. IIIIVIR. EX. S. C. in numo Carteiae. (Florez Tom. III. p. 36.)

CELTAMB. EX. S. C. in numo Toleti. (Florez.)

EX. SC. in numo Beryti cum capite I. Caesaris. (Patin Impp. sed quae literae apud Vaillantium absunt, etsi captum ex Patino ipse profiteatur.)

S. R. in numis Antiochiae Pisidiae, et Iconii Lycaoniae.

Florezius suos Carteiae et Toleti numos explicans adserere non dubitat, ut colonias alias ab Augustis, sic alias a senatu R. feriundae monetae jus impetrasse, atque istud indicari adposita formula EX. S. C. Nimirum, inquit, si aetate imperatorum coloniis opus fuit permissu Augustorum, necesse est, stante rep. jus idem senatus consulto concessum fuisse a). Verum ut dubium non est, literis EX. S. C. in numis Florezianis notari senatusconsultum, ita certum non est, eas referendas ad numos senatusconsulto in colonia feriri permissos. Sic in aureis argenteisque Vespasiani consecrati denariis verba EX. S. C. non significant, eos S. C. signatos, cum in aurum argentumque signandum senatui jus non esset, sed consecrationem Vespasiano S. C. decretam. In eodem sensu capienda vocabula EX. S. C. vel POPVL*i* IVSSV., vel COMM*uni* CONS*ensu* in denariis Augusti. Nulla vero ratione mihi persuasero, *το* EX. S. C. in citato Carteiae numo ad monetae signandae permissum, quod existimat Florezius, referendum, nam hae siglae cum nominibus M. FALCIDIVS. IIIIVIR. nulla interruptione connectuntur, et quod sequitur, significant verius, M. Falcidium ex S. C. dictum Carteiae IIIIvi-

a) ll. cc. et Tom. I. p. 70.

Digitized by Google

rum. Magistratus municipales nonnunquam ex S. C. lectos, sive cum coloni dissentirent, cujus exemplum praebet cenotaphium Pisanum, sive ex aliis causis, et verisimile est, et confirmatur marmore Gruteri, in quo Octavius dicitur BIS. DVOMVIR. QVINQ. EX. SC. ET. D. D. [a]) quod adeo M. Falcidio, forte ostentationis causa, addendum visum. Idem dubium urget siglas S. C., quas legere est in numis coloniarum aliis, quos supra descripsi, etsi plerique antiquarii existiment, iis jus monetarium ex S. C. impetratum notari.

S. R. Has siglas legendas *Senatus Romanus*, plerique consentiunt, at in earum explicatione differunt. Vaillantius conjicit, videri appositas ad arguendam numorum cudendorum facultatem a senatu concessam [b]). Frölichius censet, his notis profiteri colonias Pisidiae et Lycaoniae, sitas esse in provincia, senatui, non Augustis obnoxia [c]). Vtrumque incertum. Harduinus, ne non et hoc loco suus sit, legit: *Spes Reipublicae*. Legi etiam posse *Senatus Rescripto*, conjecit Vaillantius, sed quod jure refutat Bimardus [d]).

SECTIO VIII.

DE METALLO IN COLONIARVM NVMIS.

Aureus coloniae numus res hactenus ignota. Argenteos addito COL. Nemausus complures dedit, singulos tantum Carthaginis Novae, et Ilici vidit Florezius, et inter res insolentissimas praedicavit [e]). Omisso vocabulo COL. habemus rarissimos argenteos Agrigenti Siciliae scripto solo AGRIGENTVM., sed quos esse Agrigenti deducta demum colonia cusos dubitari nequit. His demptis totum agmen aeneum est. Videtur, coloniis stante adhuc rep. deductis monetae argenteae usu, si modo facultates istud ferrent, interdictum non fuisse, subinde solius aeris arbitrio iis permisso, ex quo Augustus, et successores jus in auream et argenteam monetam sibi seposuerunt.

---

a) pag. 444. 8. Iobert. T. II. p. 74. b) ad num. Antioch. Pis. sub Carac. c) 4 Tent. p. 144. d) ad e) Tom. III. p. 116.

Digitized by Google

SECTIO IX.

QVANDO NVMI IN COLONIIS SIGNARI DESIERINT.

Possumus quaestionem hanc, quando hoc loco attingenda tamen fuit, paucis finire, quia magnam partem tractata jam fuit in prolegomenis ad regionum in occasum positarum numos, additis etiam, si praesto fuere, causis, cur citius in illis feriri desiverint. Diximus ergo, postremos in Hispaniis signatos numos non excedere Caligulae imperium, in Galliis jam sub Augusto feriri desitos, maturius in Italia continente nam nullum habemus coloniae Italicae numum Caesaris vel Augusti capite insignem. Vnius Augusti vultum offerunt numi coloniarum Sicularum Agrigenti et Panormi. Africae veteris coloniae sub Tiberio malleum abjecerunt, una Babba Africae novae in Galbae imperium duravit. Hos tamen fines in dictis modo provinciis non sola coloniarum municipiorumque res numaria habuit, sed urbium quoque liberarum. Ad provincias inde a mari Adriatico deinceps in orientem positas quod attinet, earum coloniae in feriundis numis eadem nobis praebent exempla, quae urbes liberae. Vtraeque enim imperante Gallieno ab hoc instituto discessere paucissimis cum nonnullorum proxime succedentium imagine residuis, sive quod communi tum rerum omnium taedio victae essent, sive abundante jam tum in provinciis moneta Romana, sive quod circum haec tempora in illis officinae constitui sunt coeptae, in quibus feriretur moneta, quae esset omnium imperii provinciarum communis, de quo instituto agetur alibi.

SECTIO X.

DE NVMIS HETEROGENEIS IN MONETA COLONIARVM.

Legis instar tenendum, a qua raro discessum, urbes, posteaquam coloniae jura accepere, deinceps non alios numos, nisi coloniae nomine signasse, ne-

Digitized by Google

que adeo amplius numos ejus generis, quales signaverunt, cum liberae adhuc essent conditionis, quos in praesente disputatione *heterogeneos* appellare placuit. Ad hunc modum, ut uno exemplo utar, Laodicea Syriae inde ab Augusto usque ad Severum, quo temporis intervallo sui juris fuit, constanter in numis scripsit ΙΟΤΛΙΕΩΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, aut similiter. A Severo deducta colonia constanter deinceps COL. LAODICEA, aut similiter, neque amplius priorem scribendi modum appetiit.

At vero Vaillantius in eo opere, quo numos Graecos urbium liberarum complexus est, tum et nonnulli alii numos aliquot urbium ediderant omnibus prioris libertatis indiciis notatos, ex quo illas constat fuisse deductas colonias. Sunt vero Carrhae et Edessa Mesopotamiae, Iconium Lycaoniae, Laodicea Syriae, Patrae Achaiae, Tyrus Phoeniciae. Verum jam olim late docui, legem, quam modo praefixi, ab his exemplis non infringi, quia satis jam constat, numos citatos aut male lectos plerosque, aut a falsariis depravatos, quae omnia ibi exposita vide [a]), tum et per hoc opus in singularum numis memorata. Vnicum, quem heterogeneum vere dicere possis, reperio inter numos Patrensium Achaiae, qui cum inde ab Augusto coloni essent, numosque signarent Latine inscriptos, sub Nerone numum vulgaverunt cum epigraphe Graeca ΝΕΡΩΝΙ. ΠΑΤΡΕΩΝ. nullo coloniae indicio, sed cujus *νεωτερισμου* causam in eorum numis dedimus. Tam parum ergo ex singulari hoc numo probari potest, Patrenses ad veterem suum modum redivisse, quam parum istud de Corinthiis colonis propter numos maximi moduli, quos cum epigraphe Graeca unice in Antinoi honorem signandos curaverunt, potest adfirmari.

Vnicam reperio Syriae Antiochiam, quae, posteaquam a Caracalla deducta est colonia, cum novam tum inchoasset monetae formam cum manifesta coloniae mentione, numos veteris formae inde ab Augustorum exordio cudi coeptae signare perrexit, quorum illi servirent usui colonorum adscitiorum, hi solita essent civium veterum moneta, de quo duplice foro monetario vide, quae in ejus urbis numis copiosius dixi. Suspicabar olim, etiam Neapoli Samariae eodem tempore utriusque generis numos signatos [b]), sed adverti serius, hos quoque statutae a me legi sese non gravate adcommodare, ut in ejus urbis moneta dixi.

FINIS PARTIS I.

TOTIVS OPERIS VOLVMINIS IV.

---

a) Num. vett. p. 283. b) l. c. p. 287.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDICES IV.

IN VNIVERSAM PARTEM I.

HVIVS OPERIS

IV. PRIORA VOLVMINA COMPLEXAM,

QVORVM

I. est: Regionum, populorum, urbium.

II. Regum, ac principum.

III. Inscriptionum singularium.

IV. Rerum.

Numeri Romani indicant Volumen, Arabici paginam.

P. indicat Prolegomena generalia, quae sunt initio Voluminis I., additus numerus Romanus paginam.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX I.

REGIONVM, POPVLORVM, VRBIVM.

Aba Cariae. II. 571.
Abacaenum Siciliae. I. 189.
Aballo Galliae. I. 72.
Abbaeti Mysi. II. 448.
Abbassus Phrygiae. III. 128.
Abdera Baeticae. I. 13.
Abdera Thraciae. II. 21.
Abila Leucas Decapoleos. III. 345.
Abolla Siciliae. I. 189.
Aboni tichos Paphlagoniae. II. 383.
Abudiacum Vindelicorum. I. 81.
Abydus Troadis. II. 478.
Acanthus Macedoniae. II. 64.
Acarnania. II. 83.
Acci Tarraconensis. I. 34.
Ace Galilaeae. III. 423.
Acerrae Campaniae. I. 109.
Acerrae Galliae Transpadanae I. 83.
Achaia Peloponnesi. II. 229.
Acherontia Apuliae. I. 140.
Achulla Byzacenes. IV. 133.
Acilium Venetorum I. 83.
Acinipo Baeticae. I. 14.
Acmonia Phrygiae. III. 128.
Acrae Siciliae. I. 190.
Acrasus Lydiae. III. 91.
Actium Acarnaniae. II. 184.
Adada Pisidiae. III. 18.
Adana Ciliciae. III. 35.
Addaea Mesopotamiae. III. 505.
Adraa Arabiae. III. 499.
Adrama Coelesyriae. III. 328.
Adramytium Mysiae. II. 448.
Adranus Siciliae. I. 190.
Aedepsus Euboeae. II. 322.
Aegae Aeolidis. II. 491.
Aegae Ciliciae. III. 35.
Aegae Macedoniae. II. 65.
Aegialus Achaiae. II. 234.
Aegina insula. II. 225.
Aegira Achaiae. II. 234.
Aegitium Aetoliae. II. 189.
Aegium Achaiae. II. 235.
Aegos potamus Chersonnesi Thraciae. II. 49.
Aegyptus. IV. 1.
Aela Arabiae. III. 500.
Aelia Capitolina. III. 441.
Aenianes Thessaliae. II. 135.
Aenus Thraciae. II. 22.
Aeolis. II. 491.
Aepea Messeniae. II. 276.

Digitized by Google

Aesernia Samnii. I. 101.
Aetnaei Siciliae. I. 190.
Aetolia. II. 188.
Aezanis Phrygiae. III. 128.
Agessus Thraciae. II. 23.
Agrigentum Siciliae. I. 191.
Agrippias Iudaeae. III. 443.
Agrippina Belgicae. I. 74.
Agyrium Siciliae. I. 194.
Alabanda Cariae. II. 571.
Alae Ciliciae. III. 40.
Alaesa Siciliae. I. 195.
Alba Latii. I. 100.
Alea Arcadiae. II. 294.
Alesii Elidis. II. 268.
Alexandria Aegypti. IV. 41. 98. 101.
Alexandria Ciliciae. III. 40.
Alexandria Troas. II. 479.
Alia Phrygiae. III. 129.
Allaria Cretae. II. 303.
Allifae Samnii. I. 102. 196.
Alinda Cariae. II. 573.
Almum Moesiae sup. II. 7.
Alopeconnesus Chersonnesi Thraciae. II. 49.
Aluntium Siciliae. I. 197.
Alvona Liburniae. II. 151.
Alyatta Bithyniae. II. 405.
Alyzia Acarnaniae. II. 185.
Amanienses Ciliciae. III. 41.
Amantia Illyrici. II. 152.
Amasia Ponti. II. 343.
Amastris Paphlagoniae. II. 384.
Amathus Cypri. III. 85.
Amba Hispaniae. I. 60.
Ambracia Epiri. II. 161.
Amestratus Siciliae. I. 197.
Amida Mesopotamiae. III. 505.
Amisus Ponti. II. 346.
Ammonia Marmaricae. IV. 116.
Amorgus insula Sporadum. II. 325.
Amorium Phrygiae. III. 130.
Amphaxus Macedoniae. II. 65.
Amphea Messeniae. II. 276.
Amphicaea Phocidis. II. 193.
Amphilochium Acarnaniae. II. 185.
Amphipolis Macedoniae. II. 66.
Amphipolis Palmyrenes. III. 265.
Amphissa in Locris Ozolis. II. 191.
Anactorium Acarnaniae. II. 185.
Anaphlystus Atticae. II. 222.
Anazarbus Ciliciae. III. 41.
Anchiale Ciliciae. III. 46.
Anchialus Thraciae. II. 24.
Ancona Piceni. I. 98.
Ancyra Galatiae. III. 177.
Ancyra Phrygiae. III. 130.
Andania Messeniae. II. 276.
Andegavi Galliae. I. 72.
Andera Mysiae. II. 449.
Andrus insula Cycladum. II. 326.
Anemurium Ciliciae. III. 46.
Aninesum Lydiae. III. 91.
Anolus Lydiae III. 92.
Antaeopolites nomus. IV. 101.
Antandrus Mysiae. II. 449.
Anthedon Boeotiae. II. 198.
Anthedon Iudaeae. III. 443.
Anthemusia Mesopotamiae. III. 506.
Anticaria Baeticae. I. 14.
Antigonia Arcadiae. II. 294.
Antigonia Macedoniae. II. 68.
Antiocheni ad Callirhoen. III. 305.
Antiocheni ad Daphnen. III. 365.
Antiocheni Ptolemaidis. III. 305.
Antiochia Cariae. II. 574.
Antiochia ad Euphratem Commagenes. III. 250.
Antiochia ad Hippum Decapoleos. III. 346.
Antiochia Pisidiae. III. 18.
Antiochia ad Sarum Ciliciae. III. 46.

Digitized by Google

Antiochia Syriae. III. 267.
Antiochia incerta. III. 48.
Antiphellus Lyciae. III. 2.
Antipolis Galliae. I. 66.
Antissa Lesbi. II. 501.
Antium Volscorum. I. 100.
Anxur Volscorum. I. 100.
Aornus Epiri. II. 162.
Apamea Bithyniae. II. 405.
Apamea Phrygiae. III. 132.
Apamea Syriae. III. 307.
Aperrae, Apyre Lyciae. III. 2.
Aphrodisias Cariae. II. 575.
Aphroditopolites nomus. IV. 102.
Aphytis Macedoniae. II. 68.
Apis Marmaricae. IV. 116.
Apollonia Aetoliae. II. 189.
Apollonia Cariae. II. 577.
Apollonia Cretae. II. 303.
Apollonia Illyrici. II. 152.
Apollonia Ioniae. II. 509.
Apollonia Lyciae. III. 2.
Apollonia Lydiae. III. 92.
Apollonia Mysiae. II. 449.
Apollonia Siciliae. I. 198.
Apollonia Thraciae. I. 24.
Apollonis, Apollonidea Lydiae. III. 92.
Apollonopolites nomus. IV. 102.
Apollonosieron Lydiae. III. 93.
Aptera Cretae. II. 304.
Apulia. I. 140.
Aquinum Volscorum. I. 100.
Arabia. III. 499.
Arabia nomus. IV. 102.
Aradus insula ad Phoenicen. III. 393.
Arca Phoenices. III. 354.
Arcadia regio. II. 292.
Arcadia Cretae. II. 304.
Arconnesus insula ad Cariam. II. 598.
Arecomici Galliae. I. 66.
Arethusa Syriae. III. 309.
Argennos insula ad Ioniam. II. 564.
Argolis regio. II. 286.
Argos Amphilochium Acarnaniae. II. 185.
Argos Argolidis. II. 286.
Argos Ciliciae. III. 49.
Aria Baeticae. I. 14.
Ariassus Phamphyliae. III. 8.
Ariminum Vmbriae. I. 95.
Arisba Troadis. II. 482.
Aristaeum Thraciae. II. 25.
Armenia. III. 202.
Arna Thessaliae. II. 135.
Arpi Apuliae. I. 140.
Arsamosata Armeniae. III. 202.
Arsinoe Cretae. II. 304.
Arsinoe Cyrenaicae. IV. 127.
Arsinoites nomus. IV. 103.
Arva Baeticae. I. 14.
Arxata Armeniae. III. 202.
Arycanda Lyciae. III. 2.
Ascalon Iudaeae. III. 444.
Asea Arcadiae. II. 294.
Asia Lydiae. III. 93.
Asiba Ponti. II. 350.
Asido Baeticae. I. 15.
Asine Laconiae. II. 284.
Asopus Laconiae. II. 284.
Aspendus Pamphyliae. III. 9.
Assorus Siciliae. I. 198.
Assus Mysiae. II. 450.
Asta Baeticae. I. 15.
Astapa Baeticae. I. 15.
Asteria insula ad Elidem. II. 275.
Asturica Tarraconensis. I. 35.
Astypalaea insula ad Cariam. II. 598.
Astyra Mysiae. II. 450.
Astyra Rhodi. II. 606.

Digitized by Google

Atabyrium Phoenices. III. 354.
Atabyrium Siciliae. I. 198.
Atarnea Mysiae. II. 450.
Atella Campaniae. I. 109.
Athamanes Aetoliae. II. 189.
Athenae Atticae. II. 205.
Athoitae Macedoniae. II. 68.
Athribites nomus. IV. 104.
Atina Volscorum. I. 100.
Atinum Lucaniae. I. 151.
Atrax Thessaliae. II. 135.
Attaea Phrygiae. III. 141.
Attalia Lydiae. III. 9.
Attalia Pamphyliae. III. 9.
Attica. II. 205.
Attuda Phrygiae. III. 142.
Avaricum Galliae. I. 66.
Avenio Galliae. I. 66.
Augusta Ciliciae. III. 50.
Augusta Siciliae. I. 198.
Augusta Trajana Thraciae. II. 47.
Augusta Vindelicorum. I. 81.
Aulerci Galliae. I. 72.
Aureliopolis Lydiae. III. 94.
Aurunci Latii. I. 101.
Ausa Tarraconensis. I. 35.
Automala Cyrenaicae. IV. 127.
Axia in Locris Ozolis. II. 191.
Axus Cretae. II. 305.
Azetini Atticae. II. 222.
Azotus Iudaeae. III. 448.

Babba Mauretaniae. IV. 153.
Bactriana. III. 556.
Baetica. I. 13.
Bagae Lydiae. III. 94.
Bailo Baeticae. I. 15.
Balanea Syriae. III. 310.
Baree Cyrenaicae. IV. 128.
Bargasa Cariae. II. 578.
Bargylia Cariae. II. 578.
Barium Apuliae. I. 141.
Batrachus Marmaricae. IV. 116.
Beneventum Samnii. I. 102.
Berhaea Macedoniae. II. 69.
Beroea Cyrrhesticae. III. 259.
Berytus Phoenices. III. 354.
Beterra Galliae. I. 67.
Bilbilis Tarraconensis. I. 35.
Bisaltae Macedoniae. II. 69.
Bisanthe Thraciae. II. 25.
Bithynia. II. 396.
Bithynium Bithyniae. II. 406.
Blaundus Lydiae. III. 95.
Boea Laconiae. II. 284.
Boeotia. II. 195.
Bora Hispaniae. I. 60.
Bosporus Cimmerius. II. 339.
Bostra Arabiae. III. 500.
Botrys Phoenices. III. 359.
Bottiaea Macedoniae. II. 70.
Britannia. I. 80.
Briula Lydiae. III. 96.
Brundusium Calabriae. I. 143.
Bruttii. I. 166.
Bruzus Phrygiae. III. 142.
Bubastites nomus. IV. 104.
Bura Achaiae. II. 236.
Busirites nomus. IV. 104.
Buthrotum Epiri. II. 162.
Butrotum Bruttiorum. I. 167.
Butuntum Calabriae. I. 144.
Buxentum Lucaniae. I. 151.
Byblus Phoenices. III. 359.
Byllis Illyrici. II. 155.
Byzacene. IV. 133.
Byzantium Thraciae. II. 26.

Caballodunum Galliae. I. 72.
Cabasites nomus. IV. 104.
Cabellio Galliae. I. 67.
Cabira Ponti. II. 350.

Digitized by Google

Cadi Phrygiae. III. 142.
Caelina Venetorum. I. 83.
Caelium Apuliae. I. 141.
Caene insula ad Siciliam. I. 269.
Caesaraugusta Tarraconensis. I. 36.
Caesarea ad Anazarbum Ciliciae. III. 41.
Caesarea Bithyniae. II. 408.
Caesarea Cappadociae. III. 186.
Caesarea Germanicia Commagenes. III. 250.
Caesarea Iol Mauretaniae. IV. 253.
Caesarea ad Libanum Phoeniciae. III. 360.
Caesarea Palaestinae. III. 428.
Caesarea Panias. III. 339.
Calabria. I. 143.
Calacte Siciliae, I. 199.
Calagurris Tarraconensis. I. 39.
Calaris Sardiniae. I. 271.
Calatia Campaniae. I. 109.
Cales Campaniae. I. 110.
Callatia Moesiae infer. II. 13.
Callet Baeticae. I. 16.
Callipolis Chersonnesi Thrac. II. 49.
Calpe Baeticae. I. 16.
Calydon Aetoliae. II. 189.
Calynda Cariae. II. 579.
Camara Cretae. II. 306.
Camarina Siciliae. I. 199.
Camars Etruriae. I. 90.
Campani Campaniae. I. 108.
Campania. I. 108.
Canaca Baeticae. I. 16.
Canatha Decapoleos. III. 347.
Canopus Aegypti. IV. 104.
Canusium Apuliae. I. 141.
Caphya Arcadiae. II. 294.
Capitolias Coelesyriae. III. 328.
Cappadocia. III. 186.
Capua Campaniae. I. 110.
Carallia Isauriae. III. 28.
Carbula Baeticae. I. 16.
Carcinum Bruttiorum. I. 167.
Cardia Chersonnesi Thrac. II. 50.
Caria. II. 571.
Carisa Baeticae. I. 16.
Caristum Liguriae. I. 83.
Carmo Baeticae. I. 17.
Carpasia Cypri. III. 85.
Carpathus insula ad Cariam. II. 598.
Carrhae Mesopotamiae. III. 506.
Carteia Baeticae. I. 17.
Carthaea Ceae insulae. II. 327.
Carthago nova Tarraconensis. I. 41.
Carthago vetus Zeugitanae. IV. 136.
Carystus Euboeae. II. 322.
Casa Pamphyliae. III. 11.
Cascantum Tarraconensis. I. 44.
Casilinum Campaniae. I. 111.
Cassandrea Macedoniae. II. 70.
Cassope Epiri. II. 163.
Castabala Cappadociae. III. 192.
Castabala Ciliciae. III. 51.
Castulo Tarraconensis. I. 44.
Catalaunum Galliae. I. 72.
Catana Siciliae. I. 202.
Caulonia Bruttiorum. I. 167.
Caura Baeticae. I. 18.
Caystriani Lydiae. III. 96.
Cea, Ceos insula ad Atticam. II. 326.
Cebessus Lyciae. III. 2.
Celenderis Ciliciae. III. 51.
Celsa Tarraconensis. I. 44.
Celti Baeticae. I. 18.
Cenchreae Corinthi portus. II. 239.
Cennati Ciliciae. III. 62. 63.
Centuripae Siciliae. I. 205.
Cephallenia insula ad Elidem. II. 270.
Cephaloedium Siciliae. I. 206.
Ceraitae Cretae. II. 306.
Ceramus Cariae. II. 579.

Digitized by Google

Cerasus Ponti II. 350.
Ceraunia Achaiae. II. 237.
Ceraunienses Cypri. III. 85.
Ceret Hispaniae. I. 60.
Ceretape Phrygiae. III. 143.
Cerinthus Euboeae. II. 323.
Chabacta Ponti. II. 350.
Chalcedon Bithyniae. II. 411.
Chalcidene. III. 263.
Chalcis Chalcidenes. III. 264.
Chalcis Euboeae. II. 323.
Chaonia Epiri. II. 164.
Chelidonia insula ad Lyciam. III. 7.
Chelonates promontoriam Elidis. II. 269.
Chersonnesus Cretae. II. 307.
Chersonnesus Taurica. II. 1.
Chersonnesus Thracia. II. 49.
Chios insula. II. 564.
Cibyra Phrygiae. III. 143.
Cidra Phrygiae. III. 145.
Cidyessus Phrygiae. III. 146.
Cieros Bithyniae. II. 412.
Cilbiani Lydiae. III. 97.
Cili Mauretaniae. IV. 153.
Cilicia. III. 35.
Cimolis insula Cycladum. II. 328.
Cithaeron Boeotiae. II. 198.
Cius Bithyniae. II. 433.
Clarus Ioniae. II. 509.
Claudiopolis Bithyniae. II. 406.
Claudiopolis Isauriae. III. 28.
Claudiopolis Lycaoniae. III. 30.
Clazomenae Ioniae. II. 510.
Cleone Argolidis. II. 289.
Clides insulae ad Cyprum. III. 88.
Cliternum Aequorum. I. 101.
Clunia Tarraconensis. I. 46.
Cnidus Cariae. II. 579.
Cnossus Cretae. II. 307.
Codrigae Ciliciae. III. 52.
Coela Chersonnesi Thrac. II. 50.
Coelesyria. III. 328.
Colchis. II. 339.
Colone Messeniae. II. 276.
Colophon Ioniae. II. 511.
Colossae Phrygiae. III. 147.
Colybrassus Ciliciae. III. 52.
Comana Pisidiae. III. 19.
Comana Ponti. II. 351.
Commagene. III. 249.
Conium Phrygiae. III. 148.
Conovium Britanniae. I. 80.
Copae Boeotiae. II. 198.
Copia Lucaniae. I. 160. 164.
Copia Lugdunum Galliae. I. 73.
Coptites nomus. IV. 105.
Coracesium Ciliciae. III. 52.
Corcyra magna insula. II. 177.
Corcyra parva insula Illyrici. II. 158.
Corduba Baeticae. I. 18.
Corinthus Achaiae. II. 237.
Corone Messeniae. II. 276.
Coropissus Lycaoniae. III. 30.
Corycus Ciliciae. III. 53.
Corydalia Lyciae. III. 2.
Cos insula ad Cariam. II. 598.
Cosae Etruriae. I. 90.
Cossetania Tarraconensis. I. 47.
Cossura insula. I. 267.
Cotiaeum Phrygiae. III. 148.
Cragus Lyciae. III. 3.
Cranae insula ad Atticam. II. 226.
Cranium Cephalleniae. II. 271.
Crannon Thessaliae. II. 135.
Cratia Bithyniae. II. 412.
Cremna Pisidiae. III. 20.
Creta insula. II. 300.
Cromna Paphlagoniae. II. 386.
Croton Bruttiorum. I. 170.
Ctemenae Thessaliae. II. 136.
Cumae Campaniae. I. 121.

Digitized by Google

Curium Cypri. III. 85.
Cybistra Cappadociae. III. 193.
Cydna Lyciae. III. 3.
Cydonia Cretae. II. 309.
Cyme Aeolidis. II. 492.
Cynopolites nomus. IV. 105.
Cyon Cariae. II. 581.
Cyparissia Messeniae. II. 276.
Cyparissus Phocidis. II. 193.
Cyprus insula. III. 84.
Cyrenaica. IV. 117.
Cyrene Cyrenaicae. IV. 117.
Cyrrhestica. III. 259.
Cyrrhus Cyrrhesticae. III. 260.
Cythera insula ad Laconiam. II. 286.
Cythnus insula Cycladum. II. 328.
Cytorus Paphlagoniae. II. 386.
Cyzicus Mysiae. II. 451.

Dacia. II. 4.
Dalasis Ciliciae. III. 54.
Daldis Lydiae. III. 99.
Dalmatia. II. 152.
Damascus Coelesyriae. III. 329.
Damastium Epiri. II. 164.
Daorsi Illyrici. II. 155.
Daranissa Armeniae. III. 202.
Dardania Moesiae sup. II. 7.
Dardanus Troadis. II. 482.
Decapolis. III. 345.
Decelia Atticae. II. 222.
Delium Boeotiae. II. 198.
Delphi Phocidis. II. 193.
Delus insula. II. 328.
Demetrias sacra. II. 136.
Demetrias Thessaliae. II. 136.
Derbe Lycaoniae. III. 30.
Dertona Liguriae. I. 83.
Dertosa Tarraconensis. I. 47.
Deultum Thraciae. II. 32.
Didymae Ciliciae. III. 54.
Diocaesarea Cappadociae. III. 193.
Diocaesarea Ciliciae. III. 54.
Diocaesarea Galilaeae. III. 425.
Diocaesarea Phrygiae. III. 149.
Dionysopolis Moesiae inf. II. 14.
Dionysopolis Phrygiae. III. 150.
Dioscurias Colchidis. II. 340.
Dioshieron Lydiae. III. 100.
Diospolis magna Aegypti. IV. 105.
Diospolis parva Aegypti. IV. 106.
Diospolis Samaritidos. III. 432.
Dium Decapoleos. III. 347.
Dium Macedoniae. II. 70.
Domenopolis Thraciae. II. 32.
Dora Phoeniciae. III. 362.
Doron Ciliciae. III. 54.
Dorylaeum Phrygiae. III. 152.
Drepanum Siciliae. I. 206.
Dyrrhachium Illyrici. II. 155.
Dyrrhachium Laconiae. II. 284.
Dysceladus insula Illyrici. II. 159.

Ebora Lusitanicae. I. 11.
Eburones Galliae. I. 74.
Eburovices Galliae. I. 72.
Edessa Macedoniae. II. 71.
Edessa Mesopotamiae. III. 510.
Elaea Aeolidis. II. 494.
Elaeusa insula ad Ciliciam. III. 81.
Elatea Phocidis. II. 195.
Eleusis Atticae. II. 222.
Eleuthernae Cretae. II. 311.
Eleutherocilices Ciliciae. III. 55. 243.
Eleutheropolis Iudaeae. III. 448.
Elyrus Cretae. II. 312.
Elis regio. II. 263.
Emerita Lusitaniae. I. 12.
Emisa Syriae. III. 311.
Emporiae Siciliae. I. 206.
Emporiae Tarraconensis. I. 47.
Enna Siciliae. I. 206.

Digitized by Google

Entella Siciliae. I. 207.
Ephesus Ioniae. II. 512.
Epictetus Phrygiae. III. 152.
Epidaurus Argolidis. II. 289.
Epiphanea Ciliciae. III. 55.
Epiphanea Syriae. III. 312.
Epirus. II. 160.
Erada Atticae. II. 223.
Ercavica Tarraconensis. I. 50.
Ereboea Bithyniae. II. 412.
Eresus Lesbi. II. 501.
Eretria Euboeae. II. 324.
Eriza Cariae. II. 581.
Erythrae Boeotiae. II. 199.
Erythrae Ioniae. II. 522.
Eryx Siciliae. I. 207.
Esbus Arabiae. III. 503.
Etenna Pamphyliae. III. 11.
Ethnestae Thessaliae. II. 138.
Eva Arcadiae. II. 294.
Euboea insula. II. 322.
Eucarpia Phrygiae. III. 152.
Eumenia Phrygiae. III. 153.
Euromus Cariae. II. 581.
Eusebia Cappadociae. III. 186.
Eurydicium Elidis. II. 269.

Faesulae Etruriae. I. 90.
Faleria Etruriae. I. 90.
Fanum Vmbriae. I. 96.
Feltria Rhaetiae. I. 81.
Flaviopolis Bithyniae. II. 412.
Flaviopolis Ciliciae. III. 56.
Frentani. I. 107.

Gaba Trachonitidos. III. 344.
Gabala Lydiae. III. 101.
Gabala Syriae. III. 313.
Gadara Decapoleos. III. 348.
Gades Baeticae. I. 19.
Galatia. III. 176.
Galilaea. III. 422.
Gallia. I. 62.
Gargara Mysiae. II. 455.
Gaulos insula ad Siciliam. I. 267. III. 418.
Gaza Iudaeae. III. 448.
Gaziura Ponti. II. 354.
Gelas Siciliae. I. 209.
Gerasa Decapoleos. III. 350.
Germania. I. 81.
Germanicia Caesarea Commagenes. III. 250.
Germanicopolis Paphlagoniae. II. 386.
Germe Galatiae. III. 178.
Germe Mysiae. II. 455.
Gili Hispaniae. I. 61.
Gomphi Thessaliae. II. 138.
Gordus Iulia Lydiae. III. 101.
Gorgippia Bospori. II. 339.
Gortyna Cretae. II. 312.
Graccurris Tarraconensis. I. 50.
Graviscae Etruriae. I. 92.
Grumentum Lucaniae. I. 152.
Gynaecopolites nomus. IV. 106.
Gyrton Thessaliae. II. 38.
Gythium Laconiae. II. 285.

Hadria Galliae transpadanae. I. 83.
Hadria Piceni. I. 98.
Hadriani Bithyniae. II. 413.
Hadrianopolis Bithyniae. II. 414.
Hadrianopolis Thraciae. II. 33.
Hadrianotherae Bithyniae. II. 415.
Hadrumetum Byzacenes. IV. 134.
Halicarnassus Cariae. II. 581.
Halonesus insula ad Macedoniam. II. 150.
Hamaxia Ciliciae. III. 56.
Harma Boeotiae. II. 199.
Harpasa Cariae. II. 583.
Helena insula ad Atticam. II. 226.
Heliopolis Coelesyriae. III. 334.
Heliopolites nomus. IV. 106.

Digitized by Google

Hephaestia Lemni. II. 51.
Heptanomis Aegypti. IV. 106.
Heraclea Acarnaniae. II. 186.
Heraclea Bithyniae. II. 416.
Heraclea Cariae. II. 583.
Heraclea Cyrenaicae. IV. 129.
Heraclea Ioniae. II. 524.
Heraclea Lucaniae. I. 152.
Heraclea Lydiae. III. 101.
Heraclea Siciliae. I. 210.
Heraclea Sintica Macedoniae. II. 71.
Heraclea Syriae. III. 315.
Heraclea Thraciae. II. 33.
Heraclea Trachin Thessaliae. II. 138.
Heracleopolites nomus. IV. 107.
Heracleum Tauricae. II. 2.
Heraea Arcadiae. II. 295.
Herculaneum Campaniae. I. 112.
Hermione Argolidis. II. 290.
Hermocapelia Lydiae. III. 101.
Hermonthites nomus. IV. 107.
Hermopolites nomus. IV. 107.
Hermupolis Lydiae. III. 102.
Heroopolites nomus. IV. 107.
Hierapolis Phrygiae. III 154.
Hierapytna Cretae. II. 313.
Hierocaesarea Lydiae. III. 103.
Hieropolis Ciliciae. III. 57.
Hieropolis Cyrrhesticae. III. 261.
Hileia Mesopotamiae. III. 516.
Hilesium Boeotiae. II. 199.
Himera Siciliae I. 211.
Hippias Thessaliae. II. 139.
Hippo libera Zeugitanae. IV. 145.
Hippo regius Numidiae. IV. 152.
Hipponium Bruttiorum. I. 173.
Hispania. I. 1.
Histiaea Euboeae. II. 325.
Holmoe Ciliciae. III. 54. 55.
Homolium Thessaliae. II. 139.
Horreum Epiri. II. 165.
Hybla magna Siciliae. I. 216.
Hyccara Siciliae. I. 216.
Hydrela Cariae. II. 583.
Hydruntum Calabriae. I. 144.
Hypaepa Lydiae. III. 103.
Hypseliotes nomus. IV. 108.
Hyrcania Lydiae. III. 104.
Hyrgalea Phrygiae. III. 157.
Hyrium Apuliae. I. 141.

Iadera Liburniae. II. 152.
Iaeta Siciliae. I. 216.
Ialysus Rhodi. II. 606.
Iasus Cariae. II. 583.
Icaria insula ad Ioniam. II. 567.
Iconium Lycaoniae. III. 30.
Idalium Cypri. III. 86.
Iguvium Vmbriae. I. 96.
Ilercavonia Tarraconensis. I. 50.
Ilerda Tarraconensis. I. 51.
Iliberis Baeticae. I. 22.
Ilici Tarraconensis. I. 51.
Ilipa Baeticae. I. 22.
Ilipla Baeticae. I. 22.
Iliturgi Baeticae. I. 23.
Ilium Troadis. II. 483.
Illyricum. II. 152.
Ilva Etruriae. I. 92.
Ilurco Baeticae. I. 23.
Imbrus Cariae. II. 584.
Imbrus insula ad Thraciam. II. 52.
Ionia. II. 507.
Ionopolis Paphlagoniae. II. 383.
Ioppe Samariae. III. 433.
Ios insula Sporadum. II. 329.
Iotape Ciliciae. III. 57.
Ipagro Baeticae. I. 23.
Irene insula ad Argolidem. II. 292.
Irenopolis Ciliciae. III. 57.

Digitized by Google

Irippo Hispaniae. I. 61.
Irrhesia insula ad Macedoniam. II 151.
Isauria. III. 28.
Isaurus Isauriae. III. 29.
Isindus Pamphyliae. III. 12.
Ismene Boeotiae. II. 199.
Issa insula Illyrici. II. 159.
Issa Lesbi. II. 502.
Istrus Moesiae inf. II. 14.
Italia. I. 82.
Italica Baeticae. I. 23.
Itanus Cretae. II. 314.
Ithaca insula. II. 274.
Ituci Baeticae. I. 24.
Ituraea. III. 339.
Iudaea. III. 441.
Iulia Baeticae. I. 24.
Iulia Phrygiae. III. 158.
Iulias Galilaeae. III. 422.
Iuliopolis Bithyniae. II. 421.
Iulis Ceae insulae. II. 327.

Lacanatis Ciliciae. III. 58.
Laconia. II. 278.
Lacydon Galliae. I. 67.
Laelia Baeticae. I. 25.
Laerte Ciliciae. III. 58.
Lalassis Isauriae. III. 29.
Lamia Thessaliae. II. 139.
Lampa Cretae. II. 314.
Lampsacus Mysiae. II. 456.
Laodicea Libani Coelesyriae. III. 336.
Laodicea Phrygiae. III. 158.
Laodicea Ponti. II. 354.
Laodicea Syriae. III. 315.
Lapethus Cypri. III. 86.
Lapithae Thessaliae. II. 139.
Lappa Cretae. II. 314.
Laranda Lycaoniae. III. 33.
Larinum Frentanorum. I. 107.
Larissa Syriae. III. 321.
Larissa Thessaliae. II. 140.
Larymna Boeotiae. II. 199.
Las Laconiae. II. 285.
Lasos Cretae. II. 315.
Lastigi Baeticae. I. 25.
Latium. I. 100.
Latopolites nomus. IV. 108.
Laudunum Galliae. I. 72.
Laurium Atticae. II. 223.
Laus Lucaniae. I. 153.
Lebedus Ioniae. II. 524.
Lemnus insula. II. 51.
Leontini Siciliae. I. 216.
Leontopolites nomus. IV. 108.
Leptis magna, et parva Syrticae. IV. 130.
Lesbus insula. II. 500.
Letopolites nomus. IV. 108.
Leuca Calabriae. I. 144.
Leucas Abila Decapoleos. III. 345.
Leucas Acarnaniae. II. 186.
Leucas Coelesyriae. III. 337.
Liburnia. II. 151.
Libya nomus. IV. 108.
Lilybaeum Siciliae. I. 217.
Limyra Lyciae. III. 4.
Lipara insula. I. 270.
Lissus Cretae. II. 316.
Liternum Campaniae. I. 112.
Liviopolis Ponti. II. 354.
Locri Epizephyrii Bruttiorum. I. 174.
Locri Epicnemidii. II. 191.
Locri Opuntii. II. 192.
Locri Ozolae. II. 190.
Longone Siciliae. I. 218.
Longostaletes Laconiae. II. 285.
Lont Hispaniae. I. 61.
Lopadusa insula ad Siciliam. I. 269.
Lucania. I. 149.
Luceria Apuliae. I. 142.
Lugdunum Galliae. I. 73.

Digitized by Google

Luna Etruriae. I. 92.
Lupia Calabriae. I. 145.
Lusitania. I. 11.
Lycaonia. III. 30.
Lycia. III. 1.
Lyciani Bruttiorum. I. 177.
Lycopolites nomus. IV. 109.
Lydia. III. 90.
Lyrbe Pisidiae. III. 20.
Lysias Phrygiae. III. 167.
Lysimachia Chersonnesi Thrac. II. 50.
Lyttus Cretae. II. 316.

Macedonia. II. 61.
Macella Siciliae. I. 218.
Macrocephali Ponti. II. 355.
Maeonia Lydiae. III. 105.
Mageddo Galilaeae. III. 423.
Magnesia Ioniae. II. 524.
Magnesia Lydiae. III. 106.
Magnesia Thessaliae. II. 141.
Magydus Pamphyliae. III. 12.
Malea Laconiae. II. 285.
Malienses Thessaliae. II. 141.
Mallus Ciliciae. III. 59.
Mamertini Siciliae. I. 222.
Mamertium Bruttiorum. I. 177.
Mantalus Phrygiae. III. 167.
Mantinea Arcadiae. II. 295.
Marathon Atticae. II. 223.
Marathus Phoenices. III. 363.
Marcianopolis Moesiae inf. II. 15.
Mareotes nomus. IV. 109.
Marium Cypri. III. 86.
Marmarica. IV. 116.
Maronea Thraciae. II. 33.
Marrucini. I. 99.
Massicytes Lyciae. III. 4.
Massilia Galliae. I. 67.
Mastaura Lydiae. III 108.
Mastia Paphlagoniae. II. 388.
Mauretania. IV. 153.
Mazara Siciliae. I. 218.
Mediomatrici Galliae. I. 74.
Medion Aetoliae. II. 190.
Megalopolis Arcadiae. II. 295.
Megara Atticae. II. 223.
Megara Siciliae. I. 218.
Megarsus Ciliciae. III. 59.
Megia Mesopotamiae. III. 516.
Megiste insula ad Lyciam. III. 7.
Melita insula. I. 268.
Melos insula Cycladum. II. 330.
Memphites nomus. IV. 109.
Menaenum Siciliae. I. 219.
Mende Macedoniae. II. 72.
Mendesius nomus. IV. 109.
Menelaites nomus. IV. 110.
Mesembria Thraciae. II. 35.
Mesopotamia. III. 505.
Messana Siciliae. I. 219.
Messenia regio Peloponnesi. II. 275.
Metapontum Lucaniae. I. 154.
Metelites nomus. IV. 110.
Methana Argolidis. II. 290.
Methymna Lesbi. II. 502.
Metropolis Ioniae. II. 529.
Metropolis Phrygiae. III. 167.
Metropolis Thessaliae. II. 143.
Metroum Bithyniae. II. 422.
Midaeum Phrygiae. III. 168.
Miletopolis Mysiae. II. 458.
Miletus Ioniae. II. 530.
Minturnae Volscorum. I. 101.
Minyae Thessaliae. II. 143.
Mirobriga Baeticae. I. 25.
Moca Arabiae. III. 503.
Mococlia Phrygiae. III. 168.
Modaei populus incertus. II. 464.
Moesia inferior. II. 13.

Digitized by Google

Moesia superior. II. 6.
Molossi Epiri. II. 165.
Mopsium Thessaliae. II. 144.
Mopsus Ciliciae. III. 60.
Morgantia Siciliae. I. 225.
Mostene Lydiae. III. 109.
Mothone Messeniae. II. 277.
Motya Siciliae. I. 225.
Munda Baeticae. I. 25.
Murgantia Samnii. I. 102.
Murgi Baeticae. I. 25.
Mycalessus Boeotiae. II. 200.
Mycenae Argolidis. II. 291.
Myconus insula Cycladum. II. 332.
Mylasa Cariae. II. 584.
Myndus Cariae. II. 585.
Myra Lyciae. III. 5.
Myrhina Aeolidis. II. 495.
Myriandrus Syriae. III. 322.
Myrlea Bithyniae. II. 405.
Mysia. II. 448.
Mytilene Lesbi. II. 503.

Nacolea Phrygiae. III. 169.
Nacrasa Lydiae. III. 509.
Nagidus Ciliciae. III. 61.
Naucratis Aegypti. IV. 110.
Naupactus Aetoliae. II. 190.
Naxus insula Cycladum. II. 333.
Naxus Siciliae. I. 225.
Nea insula versus Thraciam. II. 52.
Neapolis Campaniae. I. 112.
Neapolis Macedoniae. II. 72.
Neapolis Palaestinae. III. 433.
Nebrisa Baeticae. I. 26.
Neetum Siciliae. I. 227.
Nema Baeticae. I. 26.
Nemausus Galliae. I. 69.
Neocaesarea Ponti. II. 355.
Neoclaudiopolis Paphlagoniae. II. 388.
Neronias Trachonitidos. III. 343.
Nicaea Bithyniae. II. 423.
Nicaea Thraciae. II. 36.
Nicephorium Mesopotamiae. III. 516.
Nicomedia Bithyniae. II. 429.
Nicopolis Epiri. II. 165.
Nicopolis Iudaeae. III. 454.
Nicopolis Moesiae inf. II. 16.
Nicopolis Seleucidis Syriae. III. 322.
Nicopolis Thraciae. II. 36.
Nicopolites nomus. IV. 111.
Nilopolis Aegypti. IV. 111.
Nisa Siciliae. I. 227.
Nisaea Atticae. II. 224.
Nisibi Mesopotamiae. III. 517.
Nisyros insula ad Cariam. II. 601.
Nola Campaniae. I. 114.
Nonacris Arcadiae. II. 296.
Norba Lusitaniae. I. 13.
Noricum Germaniae. I. 81.
Nuceria Campaniae. I. 114.
Numidia. IV. 152.
Nysa Cariae. II. 586.
Nysa Scythopolis Samaritidos. III. 438.
Nysa Thraciae. II. 36.

Oasites nomus. IV. 111.
Oaxus Cretae. II. 316.
Obulco Baeticae. I. 26.
Ocea Syrticae. IV. 131.
Odessus Thraciae. II. 36.
Oeniadae Acarnaniae. II. 187.
Oetaei Thessaliae. II. 144.
Olba Ciliciae. III. 62.
Olbasa Pisidiae. III. 20.
Olbia, Olbiopolis Sarmatiae Europaeae. II. 3.
Olont Hispaniae. I. 61.
Olus Cretae. II. 316.
Olympia Elidis. II. 269.
Olympus Lyciae. III. 5.

Digitized by Google

Olynthus Macedoniae. II. 72.
Omphale Epiri. II. 167.
Onuba Baeticae. I. 27.
Onuphites nomus. IV. 112.
Ophrynium Troadis. II. 486.
Orchomenus Arcadiae. II. 296.
Orchomenus Boeotiae. II. 201.
Oricus Epiri. II. 167.
Orippo Baeticae. I. 27.
Oroanda Pisidiae. III. 20.
Orra Italiae. I. 182.
Orthagoria Macedoniae. II. 73.
Orthosia Cariae. II. 589.
Orthosia Phoeniciae. III. 363.
Osca Baeticae. I. 27.
Osca Tarraconensis. I. 53.
Oset Baeticae. I. 27.
Osicerda Tarraconensis. I. 54.
Osonoba Lusitaniae. I. 13.
Ossa Macedoniae. II. 73.
Ostur Tarraconensis. I. 54.
Othrytae Thessaliae. II. 145.
Otrus Phrygiae. III. 169.
Oxyrinchites nomus. IV. 112.

Paeonia. II. 60.
Paestum Lucaniae. I. 156.
Paesus Mysiae. II. 458.
Pagae Atticae. II. 224.
Pagasae Thessaliae. II. 146.
Pallensea Cephaleniae. II. 272.
Palmyra Palmyrenes. III. 265.
Paltos Syriae. III. 323.
Pamphium Aetoliae. II. 190.
Pamphylia. III. 7.
Pandosia Bruttiorum. I. 177.
Panemotichos Pamphyliae. III. 12.
Panias (Caesarea) III. 339.
Pannonia. II. 6.
Panopolites nomus. IV. 112.
Panormus Siciliae. I. 228.
Panticapaeum Tauricae. II. 3.
Paphlagonia. II. 383.
Paphus Cypri. III. 86.
Parada Zeugitanae. IV. 147.
Parium Mysiae. II. 458.
Parlais Lycaoniae. III. 33.
Paropus Siciliae. I. 234.
Parthia. III. 522.
Parus insula Cycladum. II. 333.
Patara Lyciae. III. 5.
Patavium Venetorum. I. 83.
Patmos insula ad Ioniam. II. 567.
Patrae Achaiae. II. 255.
Patricia Baeticae. I. 19.
Pautalia Thraciae. II. 37.
Pax Julia Lusitaniae. I. 13.
Pednelissus Pisidiae. III. 20.
Peira Achaiae. II. 258.
Peithesa Etruriae. I. 93.
Pelecania Boeotiae. II. 201.
Pelinna Thessaliae. II. 146.
Pella Decapoleos. III. 350.
Pella Macedoniae. II. 73.
Pellene Achaiae. II. 258.
Peloponnesus. II. 228.
Peltae Phrygiae. III. 169.
Pelusium Aegypti. IV. 112.
Pentri Samnii. I. 102.
Peparethus insula ad Macedoniam. II. 151.
Perga Pamphyliae. III. 12.
Pergamus Mysiae. II. 462.
Perinthus Thraciae. II. 39.
Perperene Mysiae. II. 474.
Perrhaebia Thessaliae. II. 146.
Perusia Etruriae. I. 93.
Pessinus Galatiae. III. 179.
Petelia Bruttiorum. I. 177.
Petra Arabiae. III. 503.
Petra Marmaricae. IV. 116.
Petrocorii Galliae. I. 66.

Digitized by Google

Phacium Thessaliae. II. 146.
Phaestus Cretae. II. 316.
Phalanna Cretae. II. 318.
Phalanna Thessaliae. II. 147.
Phanagoria Bospori. II. 339.
Pharbaethites nomus. IV. 113.
Pharcadon Thessaliae. II. 147.
Pharnacia Ponti. II. 357.
Pharsalus Thessaliae. II. 147.
Pharus insula Illyrici. II. 160.
Phaselis Lyciae. III. 5.
Phea Elidis. II. 269.
Pheneus Arcadiae. II. 296.
Pherae Thessaliae. II. 147.
Phialea Arcadiae. II. 297.
Philadelphia Decapoleos. III. 351.
Philadelphia Lydiae. III. 109.
Philippi Macedoniae. II. 75.
Philippopolis Arabiae. III. 504.
Philippopolis Thraciae. II. 42.
Philomelium Phrygiae. III. 170.
Phineum Ponti. II. 357.
Phlius Achaiae. II. 259.
Phocaea Ioniae. II. 533.
Phocis. II. 193.
Phoenice regio. III. 353.
Phoenice, Phoenicape Epiri. II. 167.
Phrygia. III. 127.
Phtheneotes nomus. IV. 113.
Phycus Cyrenaicae. IV. 129.
Picentini. I. 140.
Picenum. I. 98.
Pimolisa Ponti. II. 357.
Pinamys Aegypti. IV. 113.
Pincum Moesiae sup. II. 8.
Pionia Mysiae. II. 475.
Pisaurum Vmbriae. I. 96.
Pisidia. III. 18.
Pitane Mysiae. II. 475.
Plarasa Cariae. II. 589.
Plataeae Boeotiae. II. 201.
Plotinopolis Thraciae. II. 45.
Plusia, vel Plutia Siciliae. I. 234.
Podalia Lyciae. III. 7.
Poemaneni Mysiae. II. 476.
Polyrhenium Cretae. II. 318.
Pompejopolis Ciliciae. III. 67.
Pompejopolis Paphlagoniae. II. 389.
Pontus regio. II. 340.
Populonia Etruriae. I. 93.
Posidonia Lucaniae. I. 156.
Praesus Cretae. II. 319.
Prasia Laconiae. II. 285.
Priansus Cretae. II. 319.
Priapus Mysiae. II. 477.
Priene Ioniae. II. 534.
Proconnesus Mysiae. II. 477.
Proerna Thessaliae. II. 149.
Pronaei Cephalleniae. II. 272.
Prosopites nomus. IV. 113.
Prostanna Pisidiae. III. 21.
Prusa ad Olympum Bithyniae. II. 432.
Prusias ad Hypium Bithyniae. II. 433.
Prusias ad mare Bithyniae. II. 433.
Prymnessus Phrygiae. III. 170.
Psamathus Laconiae. II. 285.
Psophis Arcadiae. II. 297.
Ptolemais Cyrenaicae. IV. 129.
Ptolemais Galilaeae. III. 423.
Puteoli Campaniae. I. 115.
Pydna Macedoniae. II. 76.
Pylus Elidis. II. 269.
Pylus Messeniae. II. 277.
Pyrnus Cariae. II. 590.
Pythium Thessaliae. II. 149.
Pythopolis Bithyniae. II. 437.
Pyxus Lucaniae. I. 151.

Rabathmoma Arabiae. III. 504.
Ramatha Samaritidos. III. 438.
Raphanea Syriae. III. 323.
Raphia Iudaeae. III. 454.

Digitized by Google

Ravenna Galliae Cisalpinae. I. 84.
Remi Galliae. I. 73.
Rhaucus Cretae. II. 320.
Rhegium Bruttiorum. I. 177.
Rhene insula Cycladum. II. 334.
Rhesaena Mesopotamiae. III. 518.
Rhithymna Cretae. II. 320.
Rhoda Tarraconensis. I. 55.
Rhoda, Rhodanusia Galliae. I. 70.
Rhodus insula. II. 602.
Rhosus Syriae. III. 323.
Rhypae Achaiae. II. 269.
Romula Baeticae. I. 28.
Rotomagus Galliae. I. 73.
Ruscino Galliae. I. 70.
Rybastini Apuliae. I. 142.

Sacili Baeticae. I. 28.
Saetabis Tarraconensis. I. 55.
Saetteni Lydiae. III. 111.
Sagalassus Pisidiae. III. 21.
Saguntum Tarraconensis. I. 55.
Saites nomus. IV. 113.
Sala Phrygiae. III. 171.
Salacia Lusitaniae. I. 13.
Salamis Cypri. III. 87.
Salamis insula. II. 228.
Salapia Apuliae. I. 142.
Salentini Calabriae. I. 145.
Salpesa Baeticae. I. 29.
Samaritis. III. 428.
Same Cephalleniae. II. 273.
Samnium. I. 101.
Samosata Commagenes. III. 251.
Samothrace insula. II. 52.
Samus insula. II. 568.
Sandalium Pisidiae. III. 23.
Santones Galliae. I. 66.
Sardes Lydiae. III. 112.
Sardinia insula. I. 270.
Sarmatia Europaea. II. 3.
Savatra Lycaoniae. III. 35.
Saxus Cretae. II. 320.
Scepsis Troadis. II. 486.
Sciathus insula ad Thessaliam. II. 151.
Scodra Illyrici. II. 158.
Scotussa Thessaliae. II. 150.
Scyllaceum Bruttiorum. I. 182.
Scyrus insula. II. 334.
Scythopolis Samaritidos. III. 438.
Searo Baeticae. I. 29.
Sebaste Galatiae. III. 179.
Sebaste Phrygiae. III. 172.
Sebaste Samaritidos. III. 440.
Sebaste insula ad Ciliciam. III. 81.
Sebastopolis Ponti. II. 357.
Sebennytes nomus. IV. 114.
Segesta Siciliae. I. 234.
Segobriga Tarraconensis. I. 56.
Segovia Tarraconensis. I. 57.
Segusia Galliae. I. 70.
Seleucia ad Calycadnum Ciliciae. III. 65.
Seleucia Pamphyliae. III. 14.
Seleucia Pisidiae. III. 23.
Seleucia Syriae. III. 324.
Seleucia ad Tigrim Mesopotamiae. III. 519.
Seleucis regio Syriae. III. 266.
Selge Pisidiae. III. 25.
Selinus Ciliciae. III. 66.
Selinus Siciliae. I. 237.
Sepphoris Galilaeae. III. 425.
Sequani Galliae. I. 74.
Serdica Thraciae. II. 46.
Seriphus insula Cycladum. II. 334.
Sesamus Paphlagoniae. II. 389.
Sestus Chersonnesi Thraciae. II. 51.
Sethroites nomus. IV. 114.
Siberene Bruttiorum. I. 182.
Sicilia. I. 184.
Sicinus insula Cycladum. II. 335.

Digitized by Google

Sicyon Achaiae. II. 260.
Side Pamphyliae. III. 14.
Sidon Phoenices. III. 364.
Sigeum Troadis. II. 488.
Silandus Lydiae. III. 118.
Sillyum Pamphyliae. III. 17.
Singara Mesopotamiae. III. 519.
Sinope Paphlagoniae. II. 389.
Sinuessa Volscorum. I. 101.
Siphnus insula Cycladum. II. 335.
Sipontum Apuliae. I. 143.
Siris Lucaniae. I. 160.
Sisapo Baeticae. I. 29.
Smaeta Ponti. II. 358.
Smyrna Ioniae. II. 537.
Soli Ciliciae. III. 67.
Soli Cypri. III. 88.
Solus Siciliae. I. 241.
Stabiae Campaniae. I. 116.
Stectorium Phrygiae. III. 172.
Stobi Macedoniae. II. 77.
Stratonicea Cariae. II. 590.
Stratos Acarnaniae. II. 187.
Stymphalus Arcadiae. II. 297.
Styra Euboeae. II. 325.
Suessa Campaniae. I. 116.
Sybaris Lucaniae. I. 160.
Sybritia Cretae. II. 320.
Syedra Ciliciae. III. 70.
Syme insula ad Cariam. II. 606.
Synaos Phrygiae. III. 172.
Synnada Phrygiae. III. 172.
Syracusae Siciliae. I. 241.
Syria in genere. III. 209. 249.
Syrtica. IV. 130.
Syrus insula Cycladum. II. 337.

Taba Cariae. II. 591.
Tabae Decapoleos. III. 352.
Tabala Lydiae. III. 119.
Talaria Siciliae. I. 247.
Taletum Laconiae. II. 285.
Tamassus Cypri. III. 88.
Tanagra Boeotiae. II. 201.
Tanites nomus. IV. 115.
Tanos Cretae. II. 321.
Taphias Acarnaniae. II. 188.
Tarentum Calabriae. I. 145.
Tarraco Hispaniae. I. 57.
Tarraconensis. I. 34.
Tarsus Ciliciae. III. 70.
Tartessus Baeticae. I. 29.
Tavium Galatiae. III. 182.
Tauromenium Siciliae. I. 247.
Teanum Campaniae. I. 117.
Teate Marrucinorum. I. 99.
Tectosages Galatiae. III. 181.
Tegea Arcadiae. II. 297.
Tegea Cretae. II. 321.
Telamon Etruriae. I. 93.
Telos insula ad Cariam. II. 606.
Temenothyrae Lydiae. III. 119.
Temesa Bruttiorum. I. 182.
Temnus Aeolidis. II. 496.
Tenedus insula ad Troadem. II. 488.
Tentyrites nomus. IV. 115.
Tenus insula Cycladum. II. 337.
Teos Ioniae. II. 562.
Terina Bruttiorum. I. 182.
Termessus Pisidiae. III. 27.
Thasus insula. II. 52.
Thebae Boeotiae. II. 202.
Thelpusa Arcadiae. II. 299.
Themisonium Phrygiae. III. 174.
Thenae Cretae. II. 321.
Theodosia Tauricae. II. 3.
Thera insula ad Cretam. II. 338.
Thermae Siciliae. I. 211.
Therne Thraciae. II. 47.
Thespiae Boeotiae. II. 204.
Thesprotia Epiri. II. 168.
Thessalia. II. 132.

Digitized by Google

Thessalonica Macedoniae. II. 77.
Thibros Thessaliae. II. 150.
Thinites nomus. IV. 115.
Thissoa Arcadiae. II. 300.
Thracia II. 19.
Thuria Messeniae. II. 277.
Thurium Lucaniae. I. 160.
Thyatira Lydiae. III. 121.
Thyessus Lydiae. III. 123.
Thyrea Argolidis. II. 291.
Thyrreum Acarnaniae. II. 187.
Tiberias Galilaeae. III. 426.
Tiberiopolis Phrygiae. III. 175.
Ticinum Insubrum. I. 84.
Tirida Thraciae. II. 47.
Tium Bithyniae. II. 438.
Tmolus Lydiae. III. 123.
Toletum Tarraconensis. I. 58.
Telistobogi Galatiae. III. 179.
Tomi Moesiae inf. II. 18.
Topirus Thraciae. II. 47.
Tornacum Galliae. I. 74.
Torone Macedoniae. II. 80.
Trachonitis. III. 339.
Traducta Baeticae. I. 29.
Traelium Macedoniae. II. 81.
Trajanopolis Phrygiae. III. 175.
Trajanopolis, Trajana Augusta Thraciae. II 47.
Tralles Lydiae. III. 124.
Trapezopolis Cariae. II. 592.
Trapezus Ponti. II. 358.
Tremithus Cypri. III. 88.
Triaditza Thraciae. II. 46.
Tricala Siciliae. I 249.
Tricca Thessaliae. II. 150.
Trimenothyrae Phrygiae. III. 176.
Tripolis Cariae. II. 593.
Tripolis Phoeniciae. III. 372.
Tripolis Ponti. II. 359.
Tròas regio. II. 478.
Troas Alexandria. II. 479.
Trocmi Galatiae. III. 182.
Troezen Argolidis. II. 291.
Tucci Baeticae. I. 31.
Tuder Vmbriae. I. 97.
Turiaso Tarraconensis. I. 59.
Turones Galliae. I. 66.
Tyana Cappadociae. III. 194.
Tylis Thraciae. II. 49.
Tylissus Cretae. II. 321.
Tyndaris Siciliae. I. 249.
Tyra Sarmatiae Europaeae. II. 4.
Tyracina Siciliae. I. 249.
Tyrus Phoeniciae. III. 379.

Vaga Numidiae. IV. 152.
Valentia Bruttiorum. I. 173.
Valentia Tarraconensis. I. 59.
Velia Lucaniae. I. 165.
Venafrum Campaniae. I. 118.
Ventippo Baeticae. I. 31.
Verulamium Britanniae. I. 80.
Vestini. I. 99.
Vetulonia Etruriae. I. 94.
Vgia Baeticae. I. 32.
Vienna Galliae. I. 71.
Viminacium Moesiae sup. II. 8.
Virodunum Galliae. I. 75.
Visontium Tarraconensis. I. 60.
Vlia Baeticae. I. 32.
Vmbria. I. 95.
Volaterrae Etruriae. I. 94.
Volcae Galliae. I. 71.
Vranopolis Macedoniae. II. 81.
Vrsentum Lucaniae. I. 166.
Vrso Baeticae. I. 33.
Vtica Zeugitanae. IV. 147.
Vxentum Calabriae. I. 149.

Digitized by Google

Xanthus Lyciae. III. 7.
Xoites nomus. IV. 115.

Zacynthus insula ad Elidem. II. 273.
Zancle Siciliae. I. 219.
Zaytha Mesopotamiae. III. 520.
Zela Ponti. II. 359.
Zephyrium Brattiorum. I. 182.
Zephyrium Ciliciae. III. 80.
Zeugitana. IV. 136.
Zeugma Commagenes. III. 253.

INDEX II.

REGVM AC PRINCIPVM.

Abgari varii Edessae reges. III. 512. seq.
Achaemenidae Persiae reges. III. 551.
Achaeus contra Antiochum III. partis Asiae rex. III. 221.
Adinigaus Bactrianae rex. III. 559.
Agathocles Syracusarum rex. I. 260.
Agrippa I. Iudaeae rex. III. 491.
Agrippa II. Iudaeae rex. III. 493.
Ajax sacerdos Olbae Ciliciae. III. 64.
Alexander I. Epiri rex. II. 169.
Alexander II. Epiri rex. II. 174.
Alexander Iannaeus Iudaeae rex. III. 477.
Alexander I. Macedoniae rex. II. 83.
Alexander II. Macedoniae rex. II. 87.
Alexander III. Magnus Macedoniae rex. II. 95.
Alexander IV. Macedoniae rex. II. 117.
Alexander I. Bala Syriae rex. III. 227.
Alexander II. Zebina Syriae rex. III. 237.
Aleus Tegeae Arcadiae rex. II. 299.
Amastris Heracleae Ponti regina. II. 421.
Ambactus Gallus. I. 75.
Ambiorix Gallus. I. 75.
Amyntas Galatiae rex. III. 183.
Amyntas I. Macedoniae rex. II. 82.
Amyntas II. Macedoniae rex. II. 87.
Antigonus Asiae rex. II. 117.
Antigonus Iudaeae rex. III. 480.
Antigonus I. Gonatas Macedoniae rex. II. 123.
Antigonus II. Doson Macedoniae rex. II. 127.
Antiochus IV. Commagenes rex. III. 255.
Antiochus I. Soter Syriae rex. III. 213.
Antiochus II. Deus Syriae rex. III. 217.
Antiochus III. Magnus Syriae rex. III. 219.
Antiochus IV. Deus Epiphanes Syriae rex. III. 222.

Digitized by Google

Antiochus V. Eupator Syriae rex. III. 225.
Antiochus VI. Dionysus Syriae rex. III. 231.
Antiochus VII. Evergetes Syriae rex. III. 235.
Antiochus VIII. Epiphanes Grypus Syriae rex. III. 238.
Antiochus IX. Philopator Syriae rex. III. 241.
Antiochus X. Eusebes Syriae rex. III. 244.
Antiochus XI. Philadelphus Syriae rex. III. 244.
Antiochus XII. Syriae rex. III. 246.
Antiochus XIII. Syriae rex. III. 248.
Antiochus Hierax Syrus. III. 219.
Antiochi incerti. III. 248.
Antipater I. Macedoniae rex. II. 116.
Antipater II. Macedoniae rex. II. 123.
Archelaus Cappadociae rex. III. 201.
Archelaus Macedoniae rex. II. 84.
Aretas Damasci rex. III. 330.
Areus Spartae rex. II. 281.
Argaeus Macedoniae rex. II. 82.
Ariarathes I. — IX. Cappadociae reges. III. 196. seq.
Ariarathes X. Cappadociae rex. III. 200.
Ariobarzanes I. et II. Cappadociae reges. III. 199.
Ariobarzanes III. Cappadociae rex. III. 200.
Arisbas Epiri rex. II. 168.
Aristion Athenarum tyrannus. II. 219.

Arsaces Parthiae reges.

Arsaces I. III. 524.
Arsaces II. Tiridates. III. 525.
Arsaces III. Artabanus I. III. 525.
Arsaces IV. Priapatius. III. 525.
Arsaces V. Phraates I. III. 525.
Arsaces VI. Mithridates I. III. 526.
Arsaces VII. Phraates II. III. 526.
Arsaces VIII. Artabanus II. III. 527.
Arsaces IX. Mithridates II. III. 527.
Arsaces X. Mnascires. III. 528.
Arsaces XI. Sanatroeces. III. 528.
Arsaces XII. Phraates III. III. 528.
Arsaces XIII. Mithridates III. III. 529.
Arsaces XIV. Orodes. III. 529.
Arsaces XV. Phraates IV. III. 529.
Arsaces XVI. Phraataces. III. 533.
Arsaces XVII. Orodes II. III. 533.
Arsaces XVIII. Vonones I. III. 533.
Arsaces XIX. Artabanus III. III. 533.
Arsaces XX. Gotarzes. III. 534.
Arsaces XXI. Bardanes. III. 535.
Arsaces XXII. Vonones II. III. 536.
Arsaces XXIII. Volagases I. III. 536.
Arsaces XXIV. Pacorus. III. 537.
Arsaces XXV. Chosroes. III. 537.
Arsaces XXVI. Volagases II. III. 537.
Arsaces XXVII. Volagases III. III. 538.
Arsaces XXVIII. Volagases IV. III. 540.
Arsaces XXIX. Artabanus IV. III. 540.
Arsaces incerti. III. 539 — 542.

* * *

Arsames Armeniae rex. III. 204.
Arsinoe Ptolemaei II. Philadelphi IV. 12.
Arsinoe Ptolemaei IV. Philopatoris. IV. 15.
Artavasdes Armeniae rex. III. 207.
Asander Bospori rex. II. 367.
Atepilos Gallus. I. 76.
Ateula Gallus. I. 77.
Audoleon Paeoniae rex. II. 60.

Digitized by Google

Ballaeus fors Illyrici rex. IV. 167.
Berenice Ptolemaei I. Soteris. IV. 7.
Berenice Ptolemaei X. IV. 20.
Bitovius, Bituccus Galatiae reges. III. 183.

Caeantolus Galatiae rex. III. 183.
Callinicus Antiochi IV. Commageni F. III. 258.
Canog - - rex ignotus. IV. 168.
Caractacus Britannus. I. 80.
Carmanos Gallus. I. 77.
Cassander Macedoniae rex. II. 115.
Cleopatra Antiochi VIII. mater. III. 238.
Cleopatra mater Ptolemaeorum VIII. et IX. IV. 19.
Cleopatra Selene Antiochi VIII. uxor. III. 241. IV. 20.
Cleopatra M. Antonii. IV. 22.
Cleopatra Iubae II. IV. 158. 159.
Commios Gallus. I. 77.
Comosicus Geta. II. 4.
Cotys I. Bospori rex. II. 376.
Cotys II. Bospori rex. II. 378.
Cotys III. Bospori rex. II. 380.
Cotys III. Thraciae rex. II. 58.
Cotys V. Thraciae rex. II. 58.

Daletuonus rex Gallicus. I. 77.
Dejotarus Galatiae rex. III. 183.
Demetrius I. Macedoniae rex. II. 119.
Demetrius II. Macedoniae rex. II. 127.
Demetrius I. Syriae rex. III. 225.
Demetrius II. Syriae rex. III. 228.
Demetrius III. Syriae rex. III. 245.
Dinocrates Siculus. I. 262.
Dionysius Heracleae rex. II. 420.
Dionysius I. Syracusarum tyrannus. I. 257.
Dionysius II. Syracusarum tyrannus. I. 258.
Dionysius Tripolis Phoenices rex. III. 373.
Donnus Gallus. I. 74.
Dubnorex Gallus. I. 74.

Epenos Gallus. I. 78.
Epiphanes Antiochi IV. Commageni F. III. 258.
Evagoras Cypri rex. III. 89.
Eucratides Bactrianae rex. III. 558.
Eupator Bospori rex. II. 378.
Euthydemus Bactrianae rex. III. 557.

Gallici reguli, vel magistratus. Eorum ex numis catalogum vide Vol. I. p. 75. seq.
Gelo Syracusarum rex. I. 249.
Gentius Illyrici rex. II. 158.
Germanus Gallus. I. 78.

Hecatomnus Cariae rex. II. 596.
Heliocles rex ignotus. IV. 168.
Herodes Chalcidis rex. III. 492.
Herodes M. Iudaeae rex. III. 483.
Herodes Antipas tetrárcha Galilaeae. III. 486.
Hicetas Syracusanus. I. 262.
Hidrieus Cariae rex. II. 597.
Hiero I. Syracusarum rex. I. 256.
Hiero II. Syracusarum rex. I. 263.
Hieronymus Syracusarum rex. I. 264.
Hildericus Vandalorum rex. IV. 138.

Indutiomarus Gallus. I. 78.
Ininthimeus Bospori rex. II. 380.
Iotape Commagenes regina. III. 257.
Iuba I. Mauretaniae rex. IV. 154.
Iuba II. Mauretaniae rex. IV. 155.

Digitized by Google

Lycceus incertus. IV. 168.
Lycomedes rex incertus. II. 445.
Lysimachus Thraciae rex. II. 55.

Magas Cyrenaicae rex. IV. 11. 124.
Manisarus Armeniae rex. III. 208.
Manni varii, Edessae reges. III. 513. seq.
Maussollus Cariae rex. II. 596.
Meleager Macedoniae rex. II. 123.
Midas Phrygiae rex. III. 143. 168. 170.
Minnisares creditus Armeniae rex. III. 559.
Mithridates Armeniae rex. III. 206.
Mithridates Pergamenus Bospori rex. II. 368.
Mithridates ex stirpe Mithridatis VI. Pontici, Bospori rex. II. 376.
Mithridates II. Ponti rex. II. 362.
Mithridates V. Ponti rex. II. 364.
Mithridates VI. Eupator Ponti rex. II. 364.
Moagetes Cibyrae rex. III. 145.
Monneses Bactrianae rex. III. 559.
Monunius Dyrrhachii rex. II. 157.
Mostis Epiri rex. II. 177.
Musa Bithyniae regina. II. 445.

Nicocles Paphius. III. 87.
Nicomedes I. Bithyniae rex. II. 439.
Nicomedes II. Bithyniae rex. II. 444.
Nicomedes III. Bithyniae rex. II. 444.
Nicomedes IV. Bithyniae rex. II. 445.
Nicomedes incertus, Bithyniae rex. II. 440.

Olympias Macedoniae regina. II. 89.
Orcitirix Gallus. I. 78.
Oradaltis Bithyniae regina. II. 445.
Orsobaris reginae Musae pater. II. 446.
Othontopates Cariae rex. II. 597.

Paerisades I. Bospori rex II. 361.
Patraus incertus. IV. 168.
Pausanias Macedoniae rex. II. 86.
Pepaepiris Bospori regina. II. 375.
Perdiccas II. Macedoniae rex. II. 84.
Perdiccas III. Macedoniae rex. II. 87.
Perseus Macedoniae rex. II. 131.
Pharnaces I. Ponti rex. II. 363.
Pharnaces II. Bospori et Ponti rex. II. 366.
Philetaerus Pergami rex. II. 473.
Philippus I. Macedoniae rex. II. 82.
Philippus II. Macedoniae rex. II. 88.
Philippus III. Aridaeus. II. 91. 113.
Philippus IV. Macedoniae rex. II. 116.
Philippus V. Macedoniae rex. II. 128.
Philippus Syriae rex. III. 244.
Philippus tetrarcha Iudaeae. III. 490.
Philistis Syracusarum regina. I. 264.
Philopator Ciliciae rex. III. 83.
Phintias Agrigenti rex. I. 266.
Phthia Epiri regina. II. 170.
Pixodarus Cariae rex. II. 597.
Polemon I. rex Ponti et Bospori. II. 368.
Polemon II. rex Ponti et Bospori. II. 372.
Polemon sacerdos Olbae Ciliciae. III. 62.
Prusias I. Bithyniae rex. II. 440.
Prusias II. Bithyniae rex. II. 441.
Psamytus Galatiae rex. III. 183.

Ptolemaei Aegypti reges.

Ptolemaeus I. Soter. IV. 5.
Ptolemaeus II. Philadelphus. IV. 8.
Ptolemaeus III. Evergetes. IV. 13.
Ptolemaeus IV. Philopator. IV. 14.
Ptolemaeus V. Epiphanes. IV. 15.
Ptolemaeus VI. Philometor. IV. 16.

Digitized by Google

Ptolemaeus VII. Physcon. IV. 17.
Ptolemaeus VIII. Lathurus. IV. 17.
Ptolemaeus IX. Alexander I IV. 18.
Ptolemaeus X. Alexander II. IV. 20.
Ptolemaeus XI. Auletes. IV. 21.
Ptolemaeus XII. Dionysius. IV. 22.
Ptolemaeus XIII. IV. 22.

* * *

Ptolemaeus Apion Cyrenaicae rex. IV. 125.
Ptolemaeus Epiri rex. II. 176.
Ptolemaeus Alorites Macedoniae rex. II. 88.
Ptolemaeus Mauretaniae rex. IV. 159.
Ptolemaeus Ceraunus Thraciae rex. II. 58. 122.
Ptolemaeus tetrarcha Chalcidenes. III. 263.
Pylaemenes Paphlagoniae rex. II. 394.
Pyrrhus Epiri rex. II. 170.
Pythodoris Ponti regina. II. 370.

Rhascuporis Thraciae rex. II. 58.
Rhescuporis I. Bospori rex. II. 375.
Rhescuporis II. Bospori rex. II. 377.
Rhescuporis III. Bospori rex. II. 380.
Rhescuporis IV. Bospori rex. II. 380.
Rhescuporis V. Bospori rex. II. 381.
Rhoemetalces Bospori rex. II. 378.
Rhoemetalces I. Thraciae rex. II. 58.
Rhoemetalces II. Thraciae rex. II. 59.

Sadales II. Thraciae rex. II. 58.
Sames Armeniae rex. III. 205.
Sarias rex ignotus. IV. 168.
Sasanidae Persiae reges. III. 554.
Sauromates I. Bospori rex. II. 373.
Sauromates II. Bospori rex. II. 377.
Sauromates III. Bospori rex. II. 379.
Sauromates IV. V. VI. Bospori reges. II. 381.
Seleucus I. Nicator Syriae rex. III. 210.
Seleucus II. Callinicus Syriae rex. III. 218.
Seleucus III. Ceraunus Syriae rex. III. 219.
Seleucus IV. Philopator Syriae rex. III. 221.
Seleucus V. Syriae rex. III. 237.
Seleucus VI. Epiphanes Syriae rex. III. 242.
Seuthes III. Thraciae rex. II. 55.
Simeon Iudaeorum dux. III. 465.
Sosthenes Macedonum dux. II. 123.
Sotioga Gallus. I. 77.

Tarcondimotus Ciliciae rex. III. 82.
Teiranes Bospori rex. II. 381.
Thero Agrigentinus. I. 266.
Thothorses Bospori rex. II. 381.
Tigranes Armeniae et Syriae rex. III. 207. 247.
Timotheus Heracleae Ponti rex. II. 420.
Toutobogio Gallus. I. 79.
Tryphon Syriae rex. III. 233.

Vlatos Gallus. I. 77.

Xerxes Armeniae rex. III. 204.

Zenodorus tetrarcha. III. 496.

* * *

Omisi ex hoc catalogo nomina varia inscripta numis Gallicis, ut: ATISIO, AVSCRO, et complures alios, quos collegi in Vol. I. p. 77, neque enim satis constat, utrum regulorum illa sint nomina, an magistratuum, an populorum.

Nomina peregrina ADNA, BIATEC, SVICCA, etc., quae leguntur in numis barbaris, peti possunt ex indice III.

Digitized by Google

INDEX III.

INSCRIPTIONVM SINGVLARIVM.

Alphabeti Graeci.

ΑΓΑΘΗ. ΤΥΧΗ. II. 426.
ΑΓΑΘΟΝ. (ΤΟ.) ΕΦΕCΙΩΝ. II. 516.
ΑΓΡΕΤC. II. 179.
ΑΓΩΝ. ΑΓΩΝΕC. IV. 426.
ΑΓΩΝΕC. ΙΕΡΟΙ. II. 428.
ΑΓΩΝΟΘΕCΙΑ. II. 79. IV. 433.
ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. III. 266.
ΑΔΡΑΝΟΥ. I. 224.
ΑΔΡΙΑΝΟΝ. inscriptum templo Hadriani. IV. 64.
ΑΘΗ. ΧΑΛΚ. I. 153.
ΑΘΗΝΑΣ. ΑΡΕΙΑΣ. II. 215.
ΑΘΗΝΑΣ. ΙΛΙΑΔΟΣ. II. 484.
ΑΘΗΝΑΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. II. 214.
ΑΘΗΝΑ. ΣΕΒΑΣΤ. IV. 60.
ΑΘΛΑ. I. 243.
ΑΘΥΜΒΡΟC. II. 587.
ΑΙΘΩΝ. II. 310.
ΑΙΩΝ. IV. 69.
ΑΚΡΑΙΟΙ. (ΘΕΟΙ.) II. 504.
ΑΛΕΔΗ. III. 242.
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ. Maced. regem. II. 425.
ΑΛΚΑΙΟC. II. 504.
ΑΛΟCΤΑC. I. 116.
A. M. B. in numo Nicaeae. II. 427.
ΑΜΒΡΟCΙΕ. ΠΕΤΡΕ. III. 389.
A. M. K. in numis Tarsi et Anazarbi. III. 76.
ΑΜΜΩΝ. (ΘΕΟC.) II. 503. IV. 116.
ΑΜΦΙΚΤΙΟ. II. 194.
ΑΝΑΚΡΕΩΝ. II. 563.
ΑΝΕΘΗΚΕ. IV. 368.
ΑΝΝΑ. III. 313.
ΑΝΤΗCΑΜΕΝΟΥ. ΦΡΟΥΓΙ. III. 129.
ΑΝΤΟΝΙΝΟΝ. ΒΑCΙ. II. 294.
ΑΝΧΕΙCΗC. ΑΦΡΟΔΕΙΤΗ. II. 486.
ΑΠΗΝΗ. ΙΕΡΑ. II. 517.
ΑΠΟΙΚΙΑ. I. 232.
ΑΠΟΛΛΑC. ΦΑΙΝΙΟΥ. II. 497. 498.
ΑΠΟΛΛΩ. III. 124.
ΑΠΟΛΛΩΝ. I. 203.
ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. I. 248.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΑΚΤΙΟΣ. IV. 53.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΕΜΒΑCΙΟC. II. 516.
ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΖΜΙΘΕΩΣ. II. 480.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΚΑΛΛΙΠ. II. 50.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΠΥΘΙΟΣ. IV. 53.
ΑΠΟΛΛΩΝ. ΣΩΤΗΡ. II. 139.
ΑΡΓΥΡΟC. II. 38.
ΑΡΓΩ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. II. 528.
ΑΡΕΘΟΣΑ. I. 246.
ΑΡΕΩΣ. I. 224.
ΑΡΙΣΤΙΩΝ magistratus. II. 219. 308.
ΑΡΚΑΣ. II. 296.

Digitized by Google

ΑΡΜΕΝΙΑ. IV. 76.
ΑΡΠΩΚΡΑΤΗC. IV. 33.
ΑΡΤΑΚΛΙΩΝ in numo urbis incertae. IV. 163.
ΑΡΤΕΜΕΝ. in numo urbis incertae. IV. 164.
ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. III. 169.
ΑΡΤΕΜΙC. ΕΦΕCΙΑ. II. 514.
ΑΡΤΕΜΙC. ΚΛΑΡΙΑ. II. 512.
ΑΡΤΕΜΙC. ΚΟΛΟΦΩΝΙΑ. II. 512.
ΑΡΤΕΜΙC. ΠΕΡΓΑΙΑ. II. 505.
ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΠΕΡΓΑΙΑΣ. III. 13.
ΑΡΤΕΜΙC. ΤΥΧΗ. III. 350.
ΑΡΧΑΓΕΤΑΣ. I. 206. 248.
ΑΡΧΗΓΕΤΗC. III. 154.
ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. III. 274.
ΑCΚΗΝΟC. (ΜΗΝ.) III. 112.
ΑΣΚΛΑΠΙΑ. I. 192.
ΑCΚΛΗΠΙΑ. IV. 435.
ΑCΚΛΗΠΙΟC. II. 385. 438.
ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. II. 600.
ΑΣΚΛΗΠΙΩ. CΩΤΗΡΙ. II. 425.
ΑCΠΟΥΡΓΟΥ. II. 374.
ACCAPION. — ΗΜΙCΥ. — ΔΥΩ — ΤΡΙΑ. II. 565.
ΑΤΕΛΕΙΑC. II. 571.
ΑΤΛΑΙΤΗΣ. II. 525.
ΑΥΤΟΚΡΑ. IV. 50.
ΑΦΙΕΡΩCΙC. IV. 95.
ΑΦΡΟΔΕΙΤΗ. II. 486.
ΑΧΙΛΛΕΥC. IV. 347.

ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC. Ο. ΚΟCΜΟC. ΕΥΤΥΧΕΙ. II. 426. 437. III. 189.
ΒΑCΙΛΕΩC. ΥΙΟΙ. III. 258 492.
ΒΕΛ. III. 141. 154.
ΒΗΡΙCCΙΜΟC. II. 4.
ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. II. 544. III. 121.
ΒΟΥΡΥ. II. 38.
ΒΟΥΛΑΙΟC. dictus Augustus. II. 465.
ΒΟΥΛΗ Senatus urbium Graecarum. IV. 190
ΒΥΖΑΣ. II. 27.
ΒΩΤΑ. II. 517.

Γ. Β. vel Γ. Γ. in numis Tarsi et Anazarbi. III. 78.
ΓΕΡΟΥCΙΑ. IV. 190.
ΓΛΥΚΩΝ serpens. II. 383.
ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ. III. 52. 70. IV. 442.
ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΗCΑΣ. II. 471.

ΔΑΜΑΤΗΡ. I. 206.
ΔΑΜΝΕΥC. II. 496.
ΔΑΡΔΑΝΟC. ΙΛΙΕΩΝ. II. 485.
Δ. Ε. in numis Antiochiae Syriae. III. 298.
ΔΕΙΔΩΝ. III. 388.
ΔΕΚΑΕΤΗΡΙC. ΚΤΙΟΥ. IV. 91.
ΔΗΜΗΤΗΡ. (ΘΕΑ.) II. 425. IV. 53.
ΔΗΜΟΣ, populus urbium Graecarum. IV. 190.
ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ. III. 188.
ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ. II. 603. 604. 605.
ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ. IV. 51.
ΔΙΚΥΝΝΑ. ΚΡΗΤ. II. 303.
ΔΙΟΣ. I. 175. II. 424.
ΔΙΟΣ. ΑΓΟΡΑΙΟΥ. II. 424.
ΔΙΟΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ. I. 243.
ΔΙΟΣ. ΕΛΛΑΝΙΟΥ. I. 244.
ΔΙΟΣ. ΙΔΑΙΟΥ. II. 303. ΔΙΑ. ΙΔΑΙΟΝ. II. 485. III. 158.
ΔΙΟΣ. ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ. III. 260.
ΔΙΟΣ. ΟΛΥΜΠΙΟΥ. IV. 53.
ΔΙΑ. ΠΑΝΔΗΜΟΝ. III. 173.
ΔΙΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. I. 193.
ΔΙΟC. ΤΑΡCΕΩΝ. III. 73.
ΔΙΔΥΜΕΥC. II. 531.
ΔΙΟΝΥCΟC. II. 587.
ΔΙΟΝΥCΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. II. 34.
ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΚΤΙΣΤΟΥ. II. 424.

Digitized by Google

ΔΙΧΑΛΚΟΝ. II. 565.
ΔΟΓΜΑΤΙ. CTNΚΛΗΤΟΥ. III. 165. addito: ΟΥΤΟΙ. ΝΑΟΙ. II. 517.
ΔΟΚΙΜΟC. III. 151.
ΔΟΜΝΑ. CΩΤΕΙΡΑ. II. 452.
ΔΟΥCΑΡΙΑ. III. 502.
ΔΡΑΧΜΑ. II. 27. ΔΡΑΧΜΗ. III. 188. addito ΕΦΕ. II. 514.
ΔΥΝΑΣΤΟΥ. III. 62.

ΕΒΔΟΜΗ. ΤΗC. ACIAC. II. 527.
ΕΔΩΚΕΝ. III. 425.
ΕΘΝΑΡΧΟC. IV. 160.
ΕΙΡΗΝΗ. I. 176. II. 400. 585. IV. 51.
ΕΙΧΑΡ. ΤΟ. Γ. III. 128.
ΕΙΩ. ΓΑΖΑ. III. 449.
Ε. ΚΟΡ. ΛΥ. II. 302.
ΕΚΤΩΡ. II. 486.
ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ. II. 2.
ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. IV. 55.
ΕΛΕΥΘΕΡΙΑC. II. 79.
ΕΛΠΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΗ. IV. 60.
ΕΜΒΑCΙΟC. (ΑΠΟΛΛΩΝ.) II. 516.
ΕΝΔΟΞΟΥ. III. 17. 42. ΕΝΔΟΞΟΤΕΡΑC. III. 70.
ΕΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙC. ΟΡΟΙC. ΚΙΛΙΚΩΝ. III. 79.
ΕΝΜΟΝΙΔΕΙΑ. III. 107.
ΕΝΤΙΜ. III. 29.
ΕΠΙΔΗΜΙΑ. II. 41. IV. 440.
ΕΠΙΚΝΑ. II. 191.
ΕΠΙΜΕΛΗCΑΝΤΟC. II. 575. 591.
ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙ. IV. 220.
ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ. IV. 441.
ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. III. 163. IV. 369 seq.
ΕΠΙCΤΑΤΑΙ. IV. 220.
ΕΠΙΤΡΟΠΟΥ. II. 404.

ΕΡΜΗC. ΚΤΙCAC. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ. II. 344.
ΕCΤΡΕΔΙΙΤΣ. III. 25.
ΕCΤΙΑ. ΘΕΩΝ. II. 387.
ΕΤΟΤΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. IV. 413.
ΕΤΑ. IV. 121.
ΕΤΓΑΜΙΑ. IV. 29. 442.
ΕΤΕΡΓΕΤΗΣ. IV. 461. addito: ΙΟΥΛΙΟΣ. ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ. III. 159.
ΕΤΘΗΝΙΑ. IV. 47.
ΕΤΡΤΠΤΛΟC. ΕΡΩC. II. 463.
ΕΤΡωΠΗ. III. 389.
ΕΤΤΤΧΕΙC. ΚΑΙΡΟΙ. III. 165.
ΕΤΤΤΧΕCΤΑΤΟΥ. II. 454.

ΖΕΤΣ. I. 176. II. 437. 601.
ΖΕΥC. ΑΚΡΑΙΟC. II. 497. 508. 543.
ΖΕΥC. ΒΟΥΛΑΙΟC. II. 504.
ΖΕΥΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. I. 243. III. 107.
ΖΕΥC. ΕΤΡΩΜΕΥC. II. 581.
ΖΕΥC. ΕΦΕCΙΟC. ΠΡΩΤΟC. ACIAC. II. 514.
ΖΕΥC. ΚΑΠΙΤΟΛΙΕΥC. vel ΚΑΠΕΤΟΛΙΕΥC. II. 574.
ΖΕΥC. ΚΑCΙΟC. II. 179. III. 326.
ΖΕΥC. ΚΕΡΑΤΝΙΟC. III. 326.
ΖΕΥC. ΚΟΡΥΦΑΙΟC. III. 116.
ΖΕΥC. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. II. 301.
ΖΕΥC. ΛΑΡΑCΙΟC. III. 124.
ΖΕΥC. ΛΥΔΙΟC. III. 112.
ΖΕΥΣ. ΜΗΛΙΟΣ. II. 424.
ΖΕΥΣ. ΝΕΜΕΙΟΣ. IV. 53.
ΖΕΥC. ΝΕΡΩΝ. III. 100.
ΖΕΥC. ΟΛΥΜΠΙΟC. III. 105.
ΖΕΥC. ΠΑΝΔΗΜΟC. III. 173.
ΖΕΥC. ΠΙΟC. II. 465.
ΖΕΥC. ΠΟΤΗΟC. III. 150.
ΖΕΥΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. IV. 29.
ΖΕΥC. CΤΡΑΤΗΓΟC. II. 386.

Digitized by Google

ΖΕΤC. CTPΓACTHC. II. 438.
ZETΣ perperam ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. III. 159.
ZEΤC. ΦΙΛΙΟC. II. 465. 466.

Vide etiam Iovem in ΔΙΟΣ, et ΤΑΝ.

ΗΓΕΜΟΝΙΑ. II. 474.
ΗΛΙΟΣ. III. 96. IV. 29.
ΗΛΙΟC. ΑΠΟλλων. III. 124.
ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. IV. 29.
ΗΛΙΟC. CΕΛΗΝΗ. III. 374.
ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. II. 235.
ΗΠΕΙΡΟ. II. 53.
ΗΡΑ. II. 324. 385. III. 100.
ΗΡΑ. ΑΡΓΕΙΑ. IV. 53.
ΗΡΑ. ΖΕΤC. CΤΡΑΤΗΓΟC. II. 385.
ΗΡΑC. (CΕΒΑCΤΗC.) Liviae. III. 107.
ΗΡΑΚΛΕΙΟΝ. III. 351.
ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. II. 54. 546.
ΗΡΩ. II. 479.
ΗΡΩΟC. II. 18.
ΗΩ. Aurora. IV. 76.

ΘΑΡΣΤΔΙΚΑΣ. II. 309.
ΘΕΑ. ΝΕΩΤΕΡΑ. IV. 23.
ΘΕΑC. CΤΡΙΑC. III. 262.
ΘΕΜΙΔΟC. ΤΟ. Ε. III. 9.
ΘΕΟΓΑΜΙΑ. IV. 454.
ΘΕΟΔΩΡΟC. ΕΧΑΡΑ. ΤΡΙΠΟΛΙΝ. II. 594.
ΘΕΟΙ. CΤΡΙΑC. III. 262.
ΘΕΟΞΙΟΣ. ΚΛΗΤΑΙΟΣ. II. 236.
ΘΕΟΤ. ΜΕΓΑΛΟΤ. ΚΤΡΣΑ. II. 36.
ΘΕΟΦΑΝΗC. (ΘΕΟC.) II. 504.
ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ. II. 44.
ΘΕΩΝ. ΑΔΕΔΦΩΝ. IV. 8.
ΘΕΩ. CΩΤΗΡΙ. ΚΑΙ. ΤΩ. ΘΕΩ. CΕΒΑCΤΩ. II. 466.
ΘΗΒΕ. III. 389.

ΘΗCΕΑ. II. 425.

ΙΑΣΩ. IV. 163.
ΙΔΗ. Mons. II. 487.
ΙΔΝΟ I. 118.
ΙΕΡΕΩC. ΔΙΑ. ΒΙΟΤ. II. 475.
ΙΕΡΟΜΝΑ. II. 31.
ΙΛΙΑC. II. 565.
ΙΛΙΟΝ. ΡΩΜΗ. II. 485.
ΙΜΑΚΓ. ΚΑΠΙΑΑ. III. 328.
ΙΝΔΕΙ. CΤΡΑΤΟΝΕΙ. II. 590.
ΙΟΤΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΤΙΑΣ. III. 441.
ΙΠΠΙΚΟC. IV. 226.
ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ. II. 599.
ΙΠΠΟΝ. ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ. II. 425.

ΚΑΒΕΙΡΟC. II. 77.
ΚΑΒΙΡΩΝ. CΤΡΙΩΝ. III. 374.
ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. II. 559.
ΚΑΛΛΗ. ΤΥΧΗ. ΑΙΓΗΠΤΟΤ. (sic.) IV. 3.
ΚΑΛΛΙΠ. (ΑΠΟΛΛΩΝ) II. 50.
ΚΑΜ. ΚΑΜΑΡΕΙΤΗC. II. 587. III. 131.
ΚΑΠΕ. II. 378. 379.
ΚΑΤΑΠΛΟΤC. II. 518.
ΚΑΤ. ICCON. III. 40. 41.
ΚΕΝΔΡΕΙCΕΙΑ. II. 44.
ΚΙΒΩΤΟC. III. 140.
Κ. Κ. II. 301.
ΚΟΔΡΙΓΑΙC. (ΕΝ.) III. 79.
ΚΟΙΝΟΒΟΤΛΙΟΝ. III. 42. 73.
ΚΟΙΝΟΝ. IV. 430.
ΚΟΛΠΟΙ. II. 528.
ΚΟΠ. ΚΟΠΡΑΛΕ. IV. 164.
ΚΟΡΑΣ. I. 261.
ΚΟΡΗ. III. 10. addito CΩΤΕΙΡΑ. II. 451. 453.
ΚΟΡΒΟΤΛΩΝΟC. III. 100.
ΚΟΡΟΙ CΕΒΑCΤΟΙ. III. 72.
ΚΟΡΩΝΙC. II. 465.

Digitized by Google

ΚΡΑΤΗΣΙΣ. IV. 55.
ΚΡΟΤΟΜΙΣ. I. 171.
ΚΤΔΑΣ. II. 308.
ΚΤΡιος Antoninus Pius. III. 347.
ΚΤΡΣΑ. (ΘΕΟΤ. ΜΕΓΑΛΟΤ.) II. 36.

ΛΑΙΡΒΗΝΟC. III. 154.
ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗC. III. 17.
ΛΑΝΔΙΝΑ. I. 174. IV. 164.
ΛΕΑΝΔΡΟC. II. 479.
ΛΕΓ. Β. ΤΡΑΙ. IV. 95.
ΛΕΤΚΑΣΠΙΣ. I. 246.
ΛΕΤΚΟΦΡΤC. II. 526.
ΛΗΤΩ. ΛΗΤΩΕΙΑ. II. 593. IV. 444.
ΛΤΚΑΒΑΝΤΟΣ. IV. 43.

ΜΑΡΛ. ΜΑΡΛΟ. I. 201.
ΜΑΡΝΑ. III. 450.
ΜΑΡΩΝΟΣ. II. 34.
ΜΑΣΑΝΙΣΣΟΤ. II. 279.
ΜΑΤΡΟC. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ. II. 418.
ΜΕΓΙCΤΗ. Ephesus. II. 521.
ΜΕΓΙCΤΩΝ. ΑΡΙCΤΩΝ. II. 428.
ΜΕΙΝΩ. III. 449.
ΜΕΝΕΔΗΜΟΣ. ΙΕΡΕΤΣ. II. 161.
ΜΕΝΕCΘΕΤ. ΚΤΙCΤΗ. II. 494.
ΜΕΡ. in numo urbis incertae. IV. 163.
ΜΕΤΑΒΟ. I. 156.
ΜΗΝ. III. 337. 428. addito ΑCΚΗΝΟC. III. 112.
ΜΗΝΗ. II. 569.
ΜΗΤΗΡ. ΘΕΩΝ. III. 96.
ΜΗΤΡΟC. II. 422.
ΜΟΝΗΤΑ. IV. 77.
ΜΤΣΙΑ. II. 6.
ΜΩΔΑΙΩΝ. II. 464.

ΝΑΤΜΑχια. III. 348.
ΝΕΑ. ΗΡΑ. — ΝΕΑ. ΘΕΑ. ΗΡΑ. II. 402. 573.
ΝΕΙΣΙ. III. 242.
ΝΕΜΕCΙC. II. 439.
ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. IV. 35.
ΝΕΟΙ. ΗΛΙΟΙ. II. 517. 520.
ΝΕΤΑΝΤΟΣ. ΕΠΟΕΙ. P. LXXX. II. 309.
ΝΙΚΑ. I. 155. 167. 213. II. 308.
ΝΙΚΗ. ΚΑΙC. III. 441. ΣΕΒΑΣΤΗ. IV. 60.

ΟΒΟΛΟΣ. I. 156. II. 565.
ΟΙΚΙΣΤΑΣ. I. 172.
ΟΛΤΜ. II. 292.
ΟΜΗΡΟC. II. 329. 385. 386. 425. 542. 565.
ΟΠΛΟΦΤΛΑΞ. II. 543.
ΟΡΕΟΙΣ. ΚΙΛΙΚΙΑΣ. — ΟΡΟΙC. ΚΙΛΙΚΩΝ. III. 79.
ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ. II. 445.
ΟΡΤΤΤΟΘΗΡΑ. III. 72.
ΟΤΙΑΡΟC. III. 21.
ΟΤΤΟΙ. ΝΑΟΙ. II. 517.

ΞΑΝΘΟC. II. 387.
ΞΕΝΟΦΩΝ. II. 599.

ΠΑΙC. pro ΤΙΟC. III. 515.
ΠΑΝΙΩΝΙΟC. II. 508.
ΠΑΝ. I. 222.
ΠΑΝΟC. (ΘΕΟΤ.) IV. 112.
ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟC. IV. 64.
ΠΑΤΡΩΝ. vel ΠΑΤΡΩΝΟΣ. II. 400. seq. IV. 252.
ΠΑΦΙΑ. ΠΑΦΙΗ. II. 463. III. 113.
ΠΕΙΩΝ. ΕΦΕCΙΩΝ. II. 514.
ΠΕΛΟΨ. I. 213.
ΠΕΛΩΡΙΑΣ. I. 222.

Digitized by Google

ΠΕΡΙΟΔΟC. ΔΕΚΑΤΗ. IV. 86. ΔΕΚΑΕΤ. IV. 80.
ΠΕΡCΙΚΗ. III. 103.
ΠΗΓΗ. III. 111. ΠΗΓΑΙ. III. 332.
ΠΙΚΕΟVΜ. I. 116.
ΠΙΣΤΙΣ. I. 176. III. 249.
ΠΛΟΤCΙΑC. ΤΠΑΤ. vel ΙΠΑΤ. II. 497. seq.
ΠΛΟΤΤΟΛΟΓΗΣ. II. 587.
ΠΟΙΗΤΟΤ ΚΑ ΧΟΡΤΩΝΟC. IV. 164.
ΠΟΣΕΙΔΩΝ. I. 222. ΑCΦΑΛΕΙΟC. II. 605. ΙΣΘΜΙΟΣ. IV. 53.
ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. IV. 77. 81.
ΠΡΟΝ. ΝΕΟΤ. ΣΕΒΑΣΤΟΤ. IV. 54.
ΠΡΟΡΟΜ. I. 102. 116.
ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΛΙΜΕΝΙ. III. 428. 492.
ΠΤΘΑΓΟΡΗ. III. 552.
ΠΤΘΑΓΟΡΗC. II. 426. 570.
ΠΤΘΙΟC. III. 126.

ΡΑΙΛΙΤΝΟ. II. 81.
ΡΗΓΜΑ. III. 4.
ΡΟΔΟΠΗ. II. 44.
ΡΩΜ. II. 134.
ΡΩΜΑΙΟΝ. ΗΡΑΚΛΕΑ. IV. 77.
ΡΩΜΑΙΩΝ. I. 108.
ΡΩΜΑΙΩΝ. ΝΙΚΗΝ. II. 425.
ΡΩΜΗ. I. 176. II. 66. 347. IV. 53.
ΡΩΜΗ. ΘΕΑ. II. 484. 485. 571. 590. III. 120. 128. 130.
ΡΩΜΗ. ΙΛΙΟΝ. II. 485.
ΡΩΜΗ. ΚΑΙ. CΕΒΑCΤΩ. II. 466.
ΡΩΜΗΝ. ΘΕΑΝ. II. 467. 476. 516. III. 97.
ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. II. 431.
ΡΩΜΗΣ. IV. 44. ΘΕΑC. II. 547.

ΣΑΡΑΠΙΣ. IV. 29.
ΣΑΡΑΠΙΣ. ΖΕΤΣ. IV. 29.
ΣΑΡΑΠΙΣ. ΗΛΙΟΣ. IV. 29.
CΕΒΑCΤΟΤ. ΚΤΙCΜΑ. II. 166.
ΣΕΒΣΤΟΦΟΡΟΣ. IV. 54.
CΕΙΤΟC. III. 73. 78.
CΕΜΝΗC. III. 70.
CΕΡΑΠΙC. II. 526.
CΗΜΑCΙΑ. IV. 74.
ΣΙΔΙΚΙΝ. I. 118.
ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. III. 370.
ΣΙΛΒΑΝΟΝ. II. 467.
CΙΠΤΛΗΝΗ. II. 543.
CΙΦΑΝΙΩΝ. II. 526.
CΚΩΠΙ. II. 513.
COΛΤΜΟC. III. 27.
COΛΩΝΟC. II. 529.
CΠΑΡΤΗ. II. 280.
ΣΤΑΟΨΙ. I. 116.
CΤΟΛΟC. II. 430.
ΣΤΜΜΑΧΟΣ. I 206.
ΣΤΝΑΡΧΙΑ. II. 574.
ΣΩ: frequens in area numorum Tarenti, I. 148, Syracusarum, I. 247, et Corcyrae. II. 181. seq.
ΣΩΣΙΠΟΛΙΣ. I. 209.
ΣΩΣΙΣ. I. 251.
ΣΩΤΕΙΡΑ. Diana. I. 243. 245. 262. Hecate. III. 132. Pallas. I. 173. Proserpina. II. 451.
CΩΤΗΡ. ΤΗC. ΠΟΛΕΩC. II. 16.
CΩΤΗΡΑ. (ΤΟΝ.) Aesculapium. II. 438.
ΣΩΤΗΡΙΑ. I. 155.

ΤΑΝ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. II. 301.
ΤΕΙΜΑΙ. Β. II. 374.
ΤΕΛΕCΦΟΡΩ. (ΘΕΩ.) II. 428.
ΤΕΡΣΙΚΟΝ. III. 70.
Τ. Κ. Τ. II. 580.
ΤΜΩΛΟC. III. 112.
ΤΟΠΑΡΧΟΤ. III. 62.
ΤΡΙΑ. II. 46.
ΤΡΙΟΒΟΛΟ. II. 52.

Digitized by Google

ΤΥΧΗ. II. 332. 413. 516. 545. III. 71. 73. 252. 314. 336. 501.
ΤΥΧΗ. ΙΟΥΛ. ΔΟΜΝΑ. III. 448.
ΤΥΧΗ. ΠΟΛΕΩϹ. II. 455. III. 141.
ΤΥΧΗ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. IV. 60.

ΤΓΕΙΑ. II. 385. 430. ΘΕΑ. II. 425.
ΤΓΕΙΑ. ΚΑΙ. ΑϹΚΛΗΠΙΩ. II. 425.
ΤΙΟϹ. ΑΦΡΟΔΙϹΙϾΩΝ. II. 577.
VM pro ΣΤ. I. 160.
VNVANIΩ. I. 148.
ΤΠΑΤΟΥ. ΤΡΙΤΟΥ. III. 1. ΤΕΤΑΡΤΟΥ. III. 188.
ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗϹ. II. 475.
ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗϹ. ΡΩΜΑΙΩΝ. Hoc modo inscripti numi varii urbis incertae Mesopotamiae. III. 520.

ΦΕΡΑΙΜΩΝ. I. 222.
ΦΟΡ. III. 159.

ΧΑΛΚΟΤΣ. III. 286.
ΧΑΡΑΚΤΗ. II. 59.
ΧΡΥϹΟϹ. II. 38.

ΩΚΕΑΝ. III. 390.
ΩΚΕΑΝΟϹ. IV. 36.
ΩΡΝΙΚΙΩΝ. II. 500.

Alphabeti Latini.

ADLO*cutio* AVG. II. 242.
ADNA. MATI. IV. 170.
ADVENTVS. AVG. II. 242. 256.
AEMILIA. (COLONIA.) III. 334.
AESC. (DEO.) II. 460.
AESC. (DEO.) SVB. II. 461.
AESILLAS. Q. II. 61.
AETERNITATI. AVGVSTAE. I. 12. 57.
AETERNVM. BENEFICIVM. III. 321. 371.
ALAFATERNVM. literis Oscis. I. 115.
AMAHVR. I. 35.
APOLLONI. SANCTO. III. 304.
ARBOVM. I. 116.
ARVS. I. 71.
ATTA. IV. 170.
BIATEC. IV. 170.
CAESARES. GEMINI. I. 58.
C. C. I. P. IV. 139.
C. I. P. IV. 139.
COBISOVOLLI. IV. 171.
COHOR. PRAE. PHIL. II. 75.
COISA. IV. 171.
COM*mune* ASIAE. II. 466.
CONGE. IV. 171.
COVNOS. IV. 171.
C. P. IV. 139.
CRYSAS. I. 198.
DD. PP. IV. 149.
DEA. BONA. I. 158.
DECENNALES. ANTONINI. III. 357.
DIANA. LAPHRIA. II. 257.
DIANAE. LVCIF. II. 406.
DIANA. PERGENSIS. vel: PERGAEA. III. 13.
ECCAIO. IV. 171.
ELVIONA. IV. 171.
EMBRATVR. literis Samniticis. I. 103.
ENTREI. literis Oscis. I. 102. 119.
EVOIVRIX. IV. 171.
FARIAIΩ. FARIEΩ. IV. 170.
FVNDATOR. II. 240.
GENETRIX. ORBIS. I. 28.
GENIO. ANTIOCHENI. III. 304.
GENIO. CIVITATIS. III. 304.
GENIO. POP. ROM. I. 23. II. 406.
GEN. IVL. II. 242.
HERCVLI AVGVSTO. II. 257.
HIBERA. ILERCAVONIA. I. 51.

Digitized by Google

INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. II. 257.
ISELA*sticum certamen*. IV. 443.
IVPPITER. LIBERATOR. II. 243. 256.
IVSSV. AVG. II. 76.
ITALIA. I. 106.
IVNCTIO. I. 52.
AENET. IV. 171.
LIBERALITAS. IVLIA. I. 11.
LIBERIS. AVG. II. 257.
LVCV. AVG. IV. 156.
MENSIS. III. 19.
MINEIA. M. F. IV. 141.
MON. VRB. III. 299.
MVTVMBAL. IV. 137.
NASSICA. I. 39.
NCAPR. P. CVIII.
NONNOS. IV. 171.
ODACIS. A. I. 20.
PAQVIVS. (Q.) RVF. LEG. I. 71.
PARIO. CONDIT. II. 460.
PENIC. III. 388.
PERM. AVG. — PERMISSV. CAESARIS. AVG. — PERM. SILANI. etc. IV. 497.
PIETATIS. AVGVSTAE. I. 37.
POPVL. COL. COR. II. 241.
PORTVS. FRVCTIF. II. 257.
PRINCIPI. LEG. IX. I. 25.
PVL. III. 438.
PVTI. III. 320.
ROMAE. FEL. III. 321.
ROM. ET. AVGVST. II. 466.
ROMSPAVG. II. 403.
SAFINIM. literis Samniticis. I. 103. 105.
SALVS. II. 462.
SARD. PATER. I. 270.
SEC. SAEC. III. 357.
SERG. III. 438.
SILBIS. I. 59.
S. R. III. 19.
S. T. III. 333.
SVICCA. IV. 171.
THEVPO. III. 304.
VANTIK. I. 14.
VII. VIR. EPVLO. IV. 134.
VISTLVS, aut similiter, literis Oscis. I. 159.
VOLKANOM. I. 101.

Digitized by Google

INDEX IV.

RERVM.

Abdera Teiorum colonia. II. 21.
Abundantia Graecis Εὐθηνία. IV. 47.
Accipiter a Tentyritis cultus. IV. 102.
Achaiam Nero libertate donat, II. 243, Vespasianus subinde privat. *ibid.* Eam restituit Domitianus. *ibid.*
Achaici foederis moneta. II. 231.
Achelous fl. in numis Acarnanum II. 183. Ambraciae, 162. Oeniadarum, 187. Thyrrei, *ibid.* Ejus forma et fortuna, 183.
Achilles in numis. II. 2. IV. 347.
Acilius praeses. II. 48.
Acisculum, instrumentum in metallis, in numo Damastii propositum. II. 164.
Acraei dei in numis Mytilenes. II. 504.
Acragas fl. Siciliae. I. 193.
Acrocorinthus Soli donum datur. II. 239.
Acropolis Athenarum in numo. II. 216.
Actaeonis in cervum mutati fabula in numo Daldis. III. 99.
Actia ludi. IV. 432.
Adlusio ad urbis nomen. IV. 341. Ejus exempla. *ibid.*
Adnavigatio, κατάπλους, in numo Ephesi. II. 518.
Adranus Siculorum deus. I. 190. 224.
Aediles in coloniis. IV. 481.
Aegestes Crimissi fl. filius. I. 208. Tres in Sicilia urbes condit. *ibid.*
Aegis Palladis frequens in numis Ponticis. II. 342.
Aegyptia numina in numis Catanae. I. 204. Perinthi. II. 39.
Aegyptus ante Persarum dominatum moneta propria caruit. IV. 1. Neque certam habemus, ex quo Persis paruit. *ibid.*
Aeneas Anchisen efferens. I. 236. II. 483. 484. III. 169. 359. IV. 348. Segestae conditor. I. 230.
Aeolus in numis Liparae. I. 270.
Aera, vide *Epocha.*
Aes, ex quo signati numi. P. XXVIII. Ab aere Romanis feriundae monetae exordium sumptum. P. XXXII. Aes grave urbium Italicarum. I. 85. Ejus pondus, nota, forma, locus natalis, typi, aetas, usus. I. 86. seq. Aes in numis, a nonnullis Corinthium creditum. P. XXIX.
Aesculapia ludi. IV. 435.
Aesculapius Triccae Thessaliae natus, et insigniter cultus. II. 150. Ejus insignis cultus apud Aegas Ciliciae, III.

Digitized by Google

37. Agrigentum, I. 192. Amastrin, II. 385. Coos, 599. Epidaurum, 289. Nicaeam, 425. Parium Mysiae, 460. Pergamum, 467. Poemanenos, 476. Tianos, 438.
Aesculapius imberbis. II. 259. Centauris daduchis vectus, 468. cum comite capro, 289. Ei bos adstans pedem porrigit. 461.
Aeternitas Graecis Αἰών. IV. 69.
Agathocles Lysimachi F. forte in numo. II. 57.
Agathodaemon in numis Alexandrinis serpentis specie, variisque attributis. IV. 35.
Agonothesia. Hujus vocabuli significatio. IV. 433.
Agonothetae qui? et quibus in numis? IV. 215.
Agreus, nomen Aristaei. II. 180.
Ajax Oilei in numis Locrorum. II. 192. A Locris Epizephyriis ob cognationem cultus. 252.
Ala regis capiti adstituta. II. 441. Ejus significatio. II. 442. Alae tributae Seleuco I. et cur? III. 213. Alae Nemesi additae. II. 549.
Alabandus heros. II. 573.
Alannus perperam lectum pro Mannus. III. 515.
Alcaeus poeta, et heros. II. 504.
Alcinoi horti in numis Corcyrae, et ejus coloniarum. II. 178.
Alexandrea ludi in honorem Alexandri M. IV. 433.
Alexander M. cum arietis cornu. II. 108. A Corinthiis civitate donatus. 246.
Alexandri pseudomantis praestigiae. II. 383. seq.
Alexandria urbs princeps Aegypti. IV. 41. Ejus effigies et attributa. *ibid.* Dicta Roma. IV. 44.
Alexandrini stateres sic dicti ab Alexandro M. II. 90. 96.
Alexandrini Augustorum numi. IV. 26. Eorum variae peristases, 44. Quando desiverint? 97.
Alphabeta Phoenicia a variis vulgata. III. 403.
Alphabetum Samaritanum. III. 404.
Alpheus fl. in numis Elidis. II. 268.
Amalthea cum puero Iove. III. 37.
Amazon eques. II. 593.
Ambrosiae petrae. Earum fabula. III. 389.
Amenanus fl. Siciliae. I. 204.
Amicae, et foederatae urbes, quae earum commoda? IV. 271.
Ammon, V. *Iuppiter.*
Ammon in numis Alexandrinis Aegypti, ejusque effigies, IV. 34. in numis Aphytis, II. 68. Cassandreae, 70. Catanae, I. 204. Metaponti, 155. Mytilenes, II. 503. Pitanes, 476. Tenedos. 337. Regum Mauretaniae. IV. 154. Ejus in Cyrenaica insignior cultus. IV. 118. in his jam barbatus, jam imberbis. *ibid.*
Amphictyones in numo. II. 194. Eorum hieromnemones. IV. 218.
Amphimachus dictus Arsaces XIX. III. 533.
Amphissus Apollinis F. Oetaeorum conditor. II. 145.
Amphitrite in numo Bruttiorum, I. 166. 167. Tarenti. 147.
Anacreon poeta in numo Teji patriae suae. II. 563.
Anaxilaus Rhegii, et Messanae tyrannus. I. 220. 221.
Anazarbus mons Ciliciae, a quo urbi adsitae nomen. III. 41. 42.

Digitized by Google

Anchises cum uxore Venere. II. 486.
Ancora in numis Ancyrae Galatiae, III. 177. Seleucidis addita, et cur? 212.
Andromache serva aquam a fonte petens. II. 148.
ANEΘHKE. De numis sic inscriptis diatribe. IV. 368.
Annus veteribus sacer habitus. IV. 417.
Annus novus sacer, in numis Graecorum: ETOTΣ. NEOT. IEPOT. IV. 413. Eorum catalogus, origo, causae. *ibid. seq.*
Anni apud veteres initium. IV. 404.
Anni imperii, regni, magistratus numis inscripti. IV. 411.
Annorum calculus in numis Alexandrinis Aegypti. IV. 41. seq.
Annona (CЄITOC) in numis Tarsi. III. 73. Vrbibus ab imperatoribus adsignata. 321.
Antoniniana ludi. IV. 434.
Antonius Naso procurator. II. 404.
Antonius Zeno legatus propr. II. 43.
Apellicon operum Aristotelis vindex. II. 219.
Aper Calydonius passim in numis Aetolorum. II. 188. seq. Arporum. I. 140. Oetaeorum. II. 145.
Aper in numo Methymnae. II. 502.
Aper alatus typus Clazomenarum, et cur? II. 510.
Aper aureus cum facie humana Dianae dedicatus. I. 136.
Apri caput in signis militaribus Hispanorum. I. 46. item Gallorum. 62.
Apis Aegyptiorum numen. Ejus forma. IV. 34. Ejus templum, et stabula apud Memphim. 109.
Apis volucris in numis Apterae. II. 304. Atheniensium, 218. Carthaeae, et Iulidos, 327. Ephesi, 512. 513. Smyrnae. 545.
Apis et cervus frequentes in numis Aradi. III. 393. et Ephesi. II. 512.
Apium in numis Selinuntis, et cur? I. 238.
Apollo Actius in numis Lampsaci, II. 457. Aegyptiis. IV. 53.
Apollo Sminthius in numis Tenedi, II. 489. Alexandriae Troadis. 480. Ejus sic vocati causa, *ibid.* Ejus elegans imago, *ibid.*
Apollo Didymeus. II. 531.
Apollo Milesius in numis Mileti. II. 530, et Alexandrinis. IV. 67. Cervum dextera tenet. II. 530.
Apollo Pythius in numo Trallium. III. 126. in Aegyptio. IV. 53.
Apollo Clarius. II. 511.
Apollo Εμβασιος in numo Ephesi. II. 516.
Apollo urbium condendarum auctor. IV. 344. dictus propterea Αρχαγετας, *ibid.*
Apollo conditor Hierapolis Phrygiae. III. 154. Megarorum Atticae. II. 223.
Apollo auctor generis Seleucidarum. III. 212.
Apollo vates cum ramo, tripode, serpente, corvo. III. 5.
Apollo cortinae insidens in numis Eleuthernarum. II. 312. Tarsi. III. 71. Nicoclis Paphii. 78. regum Syriae. 215.
Apollo cum lyra frequens in numis urbium Lyciae. III. 1.
Apollo cycno evectus. II. 412.
Apollo Sol in bigis gryphorum. III. 94.

Digitized by Google

Apollo grypho vectus. II. 482.
Apollo barbatus. I. 196, cum corona querna. I. 203.
Apollinis cultus eximius Antiochiae Syriae. III. 270. 284. Chalcedonis. II. 412. Cii. II. 434. Rhegii. I. 181. Zacynthi. II. 274
Apollinis celebre templum Delii Boeotiae. II. 199. 201.
Apollonies Tyanensis. IV. 348.
Apronianus proces. II. 558.
Apronius (L.) procos. IV. 139. 147.
Apuleius philosophus. IV. 348.
Aquila frequens in numis Cymes Aeolidis. II. 492. Agrigenti. I. 192. Ptolemaeorum. IV. 6.
Aquilae cum serpente conflictus. II 87. 323.
Aquila gubernaculo insistens obvia in numis Sidonis. III. 369, et Tyri. 385.
Aquila volans bovis caput unguibus stringit. II. 481.
Aquila quadrupedis coxae insistens. III. 294.
Ara mirabilis Hierocaesareae. III. 103. Pariana in numo Parii, et insignis ea magnitudinis. II. 459.
Arabes Mahumedani typos ex moneta Romana sunt mutuati. IV. 180.
Arator typus frequens in numis coloniarum, et cur? IV. 489.
Aratus philosophus. III. 69.
Arboris gestatio. II. 528.
Arca, serius Caesarea Libani. III. 360.
Arcas Iovis F. a Mercurio portatus. II. 296.
Archon quid? et quae ejus potestas? IV. 194. In quarum urbium numis memoretur? 192.
Archon in numis dictus Asander Bosporanus. IV. 368.
Archonides Alaesae conditor. I. 195.
Archytas Tarentinus. IV. 348.
Arethusa Syracusarum fons. I. 246.
Areus Spartanorum rex regios animos primus sumit. II. 282.
Argacus mons saepe in numis Caesareae Cappadociae. III. 189. Honores eidem habiti. *ibid.*
Argentum bigatum. I. 4. Oscense. *ibid.*
Argentum tantum, et aurum antiquissimo aevo in Graecis urbibus signatum. P. XXX.
Argentum, ejusque in numis vet. aut probitas, aut varia mixtio. P. XXV.
Αργυριον Graecis pecunia. P. I.
Argo navis. II. 528.
Argos Pelasgicum in Thessalia. II. 149.
Aries obvius in numis Clazomenarum. II. 510. Ammonis comes, et cur? IV. 34. Saliens et respiciens in numis Antiochiae Syriae, et cur? III. 284.
Arion in numis Brundusii. I. 143. Methymnae. II. 502.
Arista ludi. IV. 435.
Aristaeus in numis Ceae insulae. II. 326. mellificii auctor, 327, dictus Agreus, 180.
Aristion Athenarum tyrannus. II. 219.
Aristodemus Aegium per vim tenet. II. 235.
Aroe vetus Patrarum nomen. II. 256.
Artemisia Mausoli uxor Maussolleum condit. II. 596. Ejus numi spurii. 597.
Artis veteris in numis pro varia aetate varii characteres. P. CXXXI. seq.
Aryandici numi. III. 553. IV. 2.

Digitized by Google

Asiarchae qui? IV. 207. seq. Eorum ex numis catalogus. *ibid.*
Asines fl. Siciliae, in numis ΑΣΣΙΝΟ. I. 227.
Asinius Gallus procos. II. 498.
Asinius Pollio procos. III. 114.
Asphalius dictus Neptunus in numo Rhodi. II. 605.
Assarius, Graecis ἀσσάριον. P. XLIV.
Astarte Tyro concepta, Adonidi nupta. III. 391. Ejus antiquitas et natura. 369. 391. Ejus simulacrum in vehiculo. *ibid.*
Astarte in numis Aeliae Capitolinae. III. 442. Anthedonis, 443. Aradi, 394. Beryti, 357. Bostrae, 501. Bybli, 359. Caesareae Palaest. 431. Diospolis Samar. 432. Dorae, 363. Orthosiae Phoen. 364. Sidonis, 369. Tripolis Phoen. 372. Tyri 385.
Astrologici numi in moneta Aegyptia. IV. 70.
Asylum. Quae ejus significatio, et effectus? IV. 308. Catalogus urbium asylo gaudentium. 306.
Asylorum licentia a Tiberio refrenata. II. 517.
Atalanta aprum Calydonium feriens. II. 299.
Athenienses aurea moneta caruere. II. 206. Sola primum argentea usi, 207, aenea per vices, 213. Eorum moneta nunquam elegantis fabricae, et cur? 210. Eam urbes aliae imitantur. 221.
Athletae in numis Aspendi. III. 9.
Athymbrus Nysae Cariae conditor. II. 587.
Atius Balbus praetor. I. 271.
Attalea ludi. IV. 435.
Attalus (P. Claudius) vir illustris Laodicaeae Phrygiae. III. 163.
Attius Lacon procos. II 402.
Auctorum, qui de re numaria vetere scripserunt, catalogus. P. CXLI.
Aversa pars plerumque cum antica connectitur. P. CV.
Auge Alei Tegeae regis F., Telephi mater. II. 298.
Augurinus procos. II. 313. IV. 231.
Augustea ludi. IV. 435.
Aviola (Acilius) procos. II. 519. 555.
Aurelia ludi. IV. 436.
Aurora in numo Aegyptio. IV. 70.
Aurum, ejusque in nummis vet. aut probitas, aut varia mixtio. P. XXII. Ejus ad argentum ratio. P. XXXV. Obryzum quale veteribus? P. XXII.
Autocrator dictus Tryphon Syriae rex, III. 234, et Arsaces IX. 527.
Autonomae urbes. Earum catalogus. IV. 262. Quae hoc nomine earum privilegia. 263. seq.
Autonomi numi nomine quid intelligatur? P. XII.
Axius fluvius dubius Syriae. III. 309.

Baccha in numo Pari ins. II. 333.
Bacchus Pyrigenes. III. 114. Recens natus a Mercurio Nysam Cariae defertur. II. 587. a Ma Rheae comite nutritus, III. 108. infans in choro Nympharum, III. 126. vel Corybantum, III. 160. tauriformis, ac tum Iovis ex Proserpina filius. I. 136. 138. cum cornu jam arietis, jam tauri. II. 121. 122. barbatus et cornutus, I. 226. diadematus, I. 226. capite radiato, II. 602. Centauris vectus, II. 451. III. 94. tigride vec-

Digitized by Google

tus, II. 451. sagittas tenet, II. 34. Nicaeam nympham deperit, II. 424. cur Διονυσος vocatus? II. 587. Arabibus Dusares, III. 502. cum tripode, et cur? II. 42. aratri inventor, I. 139. Nicaeae conditor, II. 424, et Tii. II. 438.

Bacchus in jacentem Ariadnen incidens, typus elegans, et figuris locuples. II. 40. cum Ariadne in bigis pantherarum praecedente Satyro. III. 10.

Bacchus frequens in numis Andri, II. 326. Boeotorum, 197, Magnesiae Ioniae, 527, Maroneae, 34, Naxi Siciliae, I. 226, Naxi insulae, II. 333, Nysae Cariae, 587, Tei Ioniae, 563, Thasi, 53. 54.

Bacchus Indicus in numis Antigoni Asiae regis. II. 118. Demetrii II. Syriae regis. III. 230. Catanae, I. 203. Naxi Siciliae, 226. Beeotorum, II. 197. 202. Sybritiae, 320.

Balaustium in numis Rhodi. II. 602.

Balbus (Cornelius) in numis Gadium. I. 20.

Barbam an aluerint Macedones? II. 85.

Barba numorum fusorum. P. LV. LVIII.

Barbarorum numi, IV. 170. Eorum natura, et patria. 173. Perperam a nonnullis dicti Gothici. 174.

Barbarus praeses. II. 24.

Beauvais dissertatio de numis adulterinis. P. CXIX.

Bellerophon frequens in numis Stratoniceae. II. 590, in Pegaso eques, 186. Pegasum retinens, 238. cum Chimaera dimicans. I. 171. III. 40.

Beroe nympha a Neptuno rapta. III. 358.

Bias frequens nomen inter Prienenses Ioniae. II. 537.

Bigatum argentum. I. 4.

Billaeus fl. Bithyniae. II. 439.

Bipennis in numis Thyatirae. III. 122. Eam gestat Iuppiter Labrandensis. II. 585.

Bolanus procos. II. 557.

Bos Proserpinae victima. II. 452.

Bos incusus obvius in numis Pamphyliae, et vicini tractus. III. 15. 26.

Bos frequens in numis Carysti, et Eretriae. II. 322. 324.

Bos gradiens pedibus laxe colligatis. II. 317.

Bos respiciens in numis Sybaris. I. 160.

Bos cornupeta in numis Thurii. I. 163.

Boves gibbosi. III. 106.

Bovis caput obvium in numis Corcyrae, II. 180. seq. Phocidis, 193. Euboeae, 322.

Branchidarum oraculum Mileti. II. 532.

Britomartis templum in Creta. II. 307.

Bruttii unde nomen nacti? III. 419.

Bucephalus in numis. II. 112.

Byzas Byzantii conditor. II. 27.

Cabiria ludi. IV. 437.

Cabirus deus in numis Thessalonicae. II. 77. 78. Cabirorum origo, et natura. III. 374. Frequenter in numis Tripolis Phoenices. *ibid.* Iidem cum Dioscuris. *ibid.*

Cadius Rufus procos. II. 402.

Cadmus, moenia Thebarum, et bos procumbens in numis Tyri. III. 389. Draconem saxo transverberans. *ibid.*

Caesarea ludi. IV. 437.

Caesennius Paetus procos in numis Ephesi II. 519. Smyrnae. II. 557.

Callinicus variorum regum nomen. IV. 461.

Callirhoe fons. III. 306.

Digitized by Google

Calycadnus fl. Ciliciae. III. 65.
Camarites idem, qui Mensis. II. 587.
Camelus symbolum Arabiae. III. 499.
Campani Entellam Siciliae invadunt. I. 207.
Campestris, sic vocata Babba Mauretaniae. IV. 153.
Cancer marinus Hydrae in pugna cum Hercule suppetias venit admorso hujus pede. II. 317.
Canis comes Aesculapii. II. 290. Mercurii. IV. 68. Piscem depascens in numis Phocaeae. II. 534. Purpuram admordens in numis Tyri. III. 391. Canes Adrano, et Vulcano sacri. I. 190.
Canis in numo Panormi. I. 230. Segestae, 234. Selinuntis, 241.
Canis, vide *Sirius*.
Canopi numinis Aegyptii lepida origo. IV. 105.
Capella Thermitanorum insignis artificii. I. 215.
Capella aenea ab Elyriis Apollini dono data. II. 312.
Caper Aesculapii comes. II. 289. Mercurii, 23. Palladis, 282.
Capra in numis Aegirae. II. 234. Elyri, 312. Parii, 459, regum Macedoniae, et cur? 82. 84.
Caper fl. Phrygiae. III. 166.
Capita in circulum disposita in variis urbium numis. III. 74.
Capitolina ludi. IV. 437.
Capricornus in numo Pythodoridos. II. 376, regum Commagenes, III. 256.
Caracallae in Alexandrum M. insanus adfectus. II. 111.
Carpenta, in quibus vehebantur deorum simulacra. III. 369.
Carystii bovem aeneum Apollini dedicarunt. II. 322.
Cassius Longinus propr. III. 280.
Cato (S.) procos. IV. 126.
Caus fl. Cariae. II. 581.
Causia Macedonum. II. 126.
Cayster fl. Ioniae. II. 513. 522.
Cenchrius fl. Ioniae. II. 522.
Cendresia ludi. IV. 437.
Centaurus mulierem rapiens. II. 500. arcum tendens in numis Rhesaenae. III. 518. Centauri Bacchum vehunt. III. 94.
Cephalus Cephalleniae nomen dat. II. 270.
Cepheus Tegeae rex Herculis in bello socius. II. 299.
Cerberus in numis Pisauri. I. 97.
Ceres ovifera. II. 225. juncta cum hirco I. 206. 207. a Neptuno equum mentito vitiata. II. 148. Ejus et Proserpinae summi honores apud Ennam. I. 206. Panachaea. II. 231.
Ceres in numis Atheniensium. II. 217. Eleusinis, 222. Nicaeae, 425. Parii, 459.
Cerva puero ubera praebens in numis Damasci. III. 332. Idem praestat Telepho. II. 468.
Cervae cornutae. I. 169.
Cervus pascens in numis Mithridatis VI. II. 365.
Cervus frequens in numis Cauloniae. I. 168. Ephesi, II. 513. Aradi, III. 393.
Cestius Gallus propr. III. 281.
Cestrus fl. Pisidiae. III. 23.
Cetius fl. Mysiae. II. 472.
Chalcus oboli pars, et numus aeneus. P. XLIII. inscriptus numis Antiochiae Syriae. III. 286.

Digitized by Google

Chimaera obvia in numis Seriphi, et Siphni. II. 334. 335.
Chrysanthina ludi. IV. 438.
Chrysas fl. Siciliae. I. 198.
Chrysippus Stoicus. III. 69.
Chrysorhoas fl. Phrygiae. III. 155, et Coelesyriae, 337.
Cibotus vetus Apameae Phrygiae nomen. III. 140.
Cistophori numi. IV. 352. Eorum natura, patria, typi, catalogus. *ibid. seq.* Cistophori improprii. IV. 367.
Claudia ludi. IV. 438.
Claudiopolis. Vrbium hujus nominis ingens confusio. II. 406.
Clodius Rufus procos. I. 194.
Clypei Boeotici. II. 195. Macedonici. 61. qui etiam reperiuntur in numis extra Macedoniam signatis. *ibid.*
Clypeis veteres aut literas, aut alia discrimina inscripsere. II. 202.
Cnemis mons, a quo Locris nomen. II. 191.
Coelius Balbus procos. II. 401.
Colonias Graeci frequentes emittunt. IV. 276. Earum in metropoles suas officia. *ibid.*
Coloniarum Rom. numi, et de his observata. IV. 464. Earum catalogus. 465. Eas condendi ritus apud Romanos. 489. Earum numi quando feriri desiverint? 500.
Columba in numis Ascalonis, et cur? III. 445. Ea Syris sacrosancta. *ibid.*
Columbae Venerem in Africam comitantur. I. 208.
Cominius Proclus procos. III. 84.
Commodiana ludi. IV. 438.
Commune Graecis Κοινον. Ejus significatio. IV. 430. Catalogus regionum hoc vocabulo in moneta usarum. 428.
Conchylia Mogolitanorum moneta. P. XXI.
Concordia Graecis ὁμονοια. Ejus varia in numis significatio. IV. 332. Catalogus urbium cum mentione concordiae. 333. Typi in his. 335. Concordia typorum in numis diversarum urbium. 339.
Concordia dicta Apamea Bith. II. 406. IV. 472.
Conditores urbium. IV. 342. Eorum apud veteres celebritas et honores. 344. Ex numis catalogus. 347.
Congiorum festum apud Athenienses. II. 213.
Consules Rom. in moneta peregrina nominati. IV. 228.
Coraea ludi. IV. 438.
Corallia in numo Aphrodisiadis. II. 576.
Corbulo (Domitius) in numo Dioshieritarum. III. 100.
Cori conchylia, Mogolitanorum moneta. P. XXI.
Corinthus Veneri eximie devota. II. 242. Ejus coloniae ex numis. 249.
Corinthium aes materia numorum olim creditum. P. XXIX.
Corium, ex hoc numi. P. XX.
Cornelius Dolabella procos. IV. 139.
Cornelius Lupus procos. II. 302.
Cornu regum insigne. IV. 464. Hircinum additum regibus Macedoniae. II. 124. Taurinum Seleuco I. III. 211. Bovinum in numo Salaminis. III. 87.
Corona radiata divinitatis nota. III. 223.
Coronis Aesculapii mater. II. 465.
Corsymus fons Cariae. II. 576.
Cortina Apollinis ex qua materia, et cujus formae. I. 224.

Digitized by Google

Corvi duo super curru, Crannonis Thessalicae insigne. II. 136.
Cretensium cum Iudaeis nexus. III. 451.
Crimissus fl. Siciliae. I. 234. Sub canis specie Aegestem gignit. I. 208. 234.
Crocodilus Nili assecla. IV. 37. Ejus cum tauro pugna. 107. Crocodilus in numis Nemausi. I. 70. Ei inimici Tentyritae. IV. 102. Crocodilorum urbs Arsinoe. IV. 103.
Cubita XVI. exundantis Nili numis inscripta. IV. 38. Eorum vicem saepe obeunt totidem puelli. *ibid.*
Cubitus Nemesis quid notet? II. 549.
Cuniculus Hispaniae symbolum. I. 8.
Cupido in leone eques. II. 109.
Cupressus Soli sacra. III. 331.
Curatores, ἐπιμεληται, ἐπιστατται, quid? et quibus in numis? IV. 220.
Cyane fons Siciliae. I. 245. 261.
Cybele frequens in numis Cyzici. II. 453, et Metropolis Ioniae, 530.
Cychreus heros in numis Athenarum. II. 218.
Cycnus Apollinis comes. II. 412. Frequens in numis Clazomenarum. 510.
Cydnus fl. Ciliciae. III. 76.
Cydoniatarum solertia in parandis arcubus. II. 309.
Cyrene nympha Apollini amata. IV. 120.
Cyzicus Cyzici conditor. II. 453.

Daedalus et Icarus volantes in numo Pessinuntis. III. 179.
Damareta Gelonis uxor. I. 250. Ab hac numi Damaretii. *ibid.*
Damascus Arcas Damasci conditor. III. 332.
Daphne lucus prope Antiochiam Syriae. III. 267. 270. 305.
Dardanus Trojanus in numo Ilii. II. 485. Darici numi, eorum origo, et natura. III. 551. Dicti etiam Sagittarii. *ibid.*
Decuriones in coloniis. IV. 482. Cum senatoribus Rom. comparati. *ibid.*
Delphi umbilicus terrae. II. 194.
Delphini mirabilis in puerum adfectus. II. 584.
Demetria ludi. IV. 439.
Demetrius potens Pompeji M. libertus. III. 350.
Demonax Cyrenaicus. IV. 121.
Derceto in numis Ascalonis. III. 445. Ejus mira fortuna, et forma. *ibid.*
Deus. Hoc nomine vocati reges, et qui? IV. 461.
Diadema insigne regium. IV. 463. Ejus forma. II. 86. Eo abstinent vetustiores Syracusarum reges. I. 253.
Diadema tributum Baccho. I. 226. etiam Indico, 148. Neptuno, 166. Herculi, Victoriae, *ibid.* Acraganti fluvio. 193.
Dialecti in numis. P. XCVI. Graecae Siculorum. I. 186.
Diana dicta Boritene. III. 121. Britomartis in Creta. II. 307. Ibidem Dictynnae nomine culta infantem tenet, quia eadem cum Lucina. 303. Ephesia dicta multimammia, 512. ejusque late diditus cultus. 514. Ευριππη (equarum inventrix) 296. Laphria, 257. Leucophryne, 526. Lucifera in bigis boum. III. 126. Myndias. II. 579. Perasia Tauride advecta, et culta Castabalis. III. 193. Pergensis, 13. Persica, 103. Taurica. II. 2. Tauropola, 67. Ejus Tauropolium in Icaria ins. 567. Tauricae simulacrum apud Laodiceam Syriae. III. 317. Thracia,

Digitized by Google

dicta Bendis, et Διλογχος. II. 440. Tifatena. I. 110.
Diana inter principes Syracusarum deos. I. 245, in bigis serpentum. III. 94.
Dido in numis Tyri. III. 388.
Didymea ludi. IV. 439.
Digamma Aeolicum. Ejus origo, potentia, forma, usus. IV. 384. II. 265.
Diodori Siculi locus, ut videtur, corruptus, et sanatus. II. 142.
Diomedes Arporum conditor. I. 140. In numis Argorum. II. 287.
Dion Syracusanus in numis Zacynthi. II. 274.
Dionysia ludi. IV. 439.
Dionysius rhetor aeneae Athenis monetae patronus. II. 213.
Dionysos, (Bacchus) vocatus Mithridates VI. Ponti. II. 366, et qui alii reges in numis. IV. 461.
Dioscuri in Ponto et Bosporo eximie culti. II. 340. Locris Epizephyriis salutares. I. 75. domo Argivi. II. 287. Iidem cum Cabiris. III. 374. Frequentes in numis Istri Moesiae. II. 14. Lacedaemonis, 280. Phocaeae, 533. 535. Tyndaridis. I. 249. Tyri. III. 385.
Diota in cuspidem desinens in numis Chii. II. 564.
Dirce tauro raptata. III. 91. 122.
Docimus Docimei conditor. III. 151.
Domna dicta Proserpina. II. 452.
Drachma, moneta argentea, serius et aenea. P. XL. Ex hac composita didrachma etc. *ibid.*
Dusares Arabum Bacchus. III. 502.
Dusaria ludi. IV. 440.
Duumviri in coloniis. IV. 474. cum consulibus comparati. 475. Quinquennales. 476.
Duumviratu honorario etiam Caesares, et reges functi. IV. 487.
Dynamis Polemonis I. uxor, Asandri et Scribonii vidua. II. 369.
Dynasta in numis. IV. 460.

Echidna ab Hercule impetita. II. 41.
Egesta Trojana in Siciliam delata ex Crimisso fl. Egestum parit. I. 234.
Elagabalus Emisenorum Syriae deus, et idem cum Sole. III. 311. Ejus simulacrum lapis conoidicus. *ibid.*
Elates fl. Phrygiae. III. 168.
Electrum, metallum compositum. P. XXIV. Ex eo numi. *ibid.*
Elephas in numis Pyrrhi. II. 172. Seleuci I. III. 212. Apameae Syriae. 308. Facem praeferens. 233.
Elephantis exuviis tegitur caput Africae. I. 261, et Alexandriae Aegypti. IV. 41.
Elidi restituendi numi hactenus Faliscis tributi. II. 264.
Elyrii Cretae Apollini capellam aeneam dedicant. II. 312.
Empedocles a Selinuntiis cultus. I. 239.
Enmonidea ludi forte. IV. 440.
Epeus conditor Lagariae. I. 160, et Metaponti. 154.
Ephesus Caystri filius, a quo urbs ejusdem nominis. II. 516.
Ephori Spartanorum in numis. IV. 199.
Epidamnus, serius Dyrrhachium. II. 155. Causa mutati nominis controvertitur. *ibid.*
Epidemia ludi. IV. 440.
Epinicia ludi. IV. 441.
Epiphanes, sic vocati reges, et qui?

Digitized by Google

IV. 461. Ejus nominis significatio. III. 225.
Episemon Vau, ejusque variae formae. IV. 383. Ejus origo, et natura. 384.
Episemon Koppa. Ejus variae formae, origo, potentia. IV. 390.
Episemon Sanpi. IV. 393.
Epocha quid? IV. 375. Quibus usi Graeci, Romanique? 376. Catalogus urbium, quae epochas inscripsere. 377. Modi, quibus notare epochas Graeci consuevere. 381. Duplex in uno eodemque numo. 403. Vetus ab adventitia saepe extrusa. 402.
Epocha Actiaca, seu victoriae, IV. 401. Caesariana, 400. Christi ex numis. Herodis Antipae, III. 486. Graecorum, quo differat ab aera Seleucidarum, III. 547. IV. 399. Eadem hodieque per Mesopotamiae urbes in usu. III. 547. Pompejana. IV. 399. Seleucidarum late patens per Orientem. Ejus initium, et causa. IV. 396. Vrbis conditae. 376.
Epocharum exordia eruendi modus. IV. 405.
Epochae variae ex fabrica sumptae ad eruendam numorum aetatem. P. CXXXII.
Eprius Marcellus procos. II. 493.
Equi caput in numis Punicis. I. 229.
Equi Agrigentini laudati. I. 292, item Cilices. III. 47. Frequentes in numis Thessalorum, et cur? II. 132.
Equus cum pede humano. II. 425.
Equus gradiens sublato altius pede anteriore, typus characteristicus Cymes Aeolidis. II. 492.
Equus marinus alatus. II. 456. 487.
Equus Solis victima. II. 480. III. 331.
Equites Rom. dicti in numis ἱππικοι. IV. 226.
Eretrienses bovem aeneum Iovi dedicant. II. 324.
Eryx Veneris F. Erycis conditor. I. 208.
Ethnarcha in numis. IV. 460.
Euclides mathematicus. IV. 349.
Evergetes, ejus tituli significatio, et in quos collatus. IV. 461.
Eugamia ludi. IV. 442.
Eupator, qui reges sic vocati? IV. 462.
Euphrates fl. Mesopotamiae. III. 250.
Europa flores legens, juxta taurus in insidiis. III. 389. Tauro vecta. II. 67. 68. 313. III. 370.
Europae cum aquila sub platano commercium in numis Gortynae. II. 312.
Eurycles imperante Augusto apud Spartanos princeps. II. 281.
Eurypylus Mysiae rex. II. 463.
Eurystheus ex dolio prospectans. II. 40.
Eusebes, qui reges sic vocati? IV. 462.

F in numis Graecis. V. *Digamma.*
Fabius Maximus procos. IV. 134.
Faliscis hactenus tributi numi restituendi Elidi. II. 264.
Fama dea. Ejus attributa, et character. II. 120.
Fannius (C.) in cistophoris. IV. 361.
Fata eadem cum Nemesi. II. 552.
Ferox (Iulius) procos. III. 103.
Filius urbis. 577. III. 148. 162.
Flaccus (Pomponius) propr. III. 279.
Flavius procos. II. 314.

Digitized by Google

Florus procos. II. 557.
Fluctus aquarum uncis recurrentibus indicari soliti. I. 200. 270. II. 272.
Fluviorum ex numis catalogus. IV. 317. Vario modo efficti, 315. I. 132. Veteribus honorati, et saepe sacri. IV. 313.
Fodinae auri et argenti Philippi II. in Thracia. II. 89. 90. Damastii Epiri, 164. Thasiorum, 53.
Foederatae urbes. V. *amicae*.
Fontium ex numis catalogus. IV. 317. apud veteres magno in honore, 314. Quo modo propositi? 316. Fontes ignoti saepe in numis memorati. II. 535.
Forceps Iunoni addita. III. 230.
Forma numorum vel rotunda, vel conica, vel quadrilatera. P. LXIV.
Formae numorum spectato volumine. P. XLVI.
Fortunae attributa. I. 164. Fortuna infantem gestans. II. 332. Fortuna urbis, Τυχη, vide indicem III. sub TTXH. Fortuna eadem cum Nemesi. II. 552.
Fortunae fanum Syracusis. I. 246.
Fratres populi vocatae quatuor urbes Syriae. III. 266.
Fratres pii Catanenses. I. 203.
Fraxini ramus Nemesi tributus. II. 551.
Frenum Nemesis attributum. II. 550.
Fulmen instar dei a Seleucensibus cultum. III. 326. Tributum Palladi. I. 245. II. 191. Victoriae. I. 166. II. 197.
Funda Nemesis attributum. II. 550.
Fuscus procos. II. 558.
Galea cum cornibus hircinis regum Macedoniae. II. 124. III. 234. Galea Orci, Persei gestamen. II. 129.
Gallus Apollini sacer. I. 201. 212. Obvius in numis Himerae, et cur? I. 212. item Selinuntis, et cur? I. 240. In numis Carysti, et cur? II. 322. In clypeo Idomenei. 317.
Gallus Palladi sociatus in numis obviis Italiae. I. 100. 101. Animal pugnax. II. 323. Gallorum certamen apud Athenienses. 213.
Ganymedes ab aquila elatus. II. 483. 484. Varie effictus in numis Iliī. II. 486.
Gaurus mons. III. 433.
Garizim mons. I. 114.
Gelo Poenos ad Himeram ingenti clade adficit. I. 213.
Gemina, Gemella, sic vocatae quaedam coloniae, et cur? IV. 472.
Gerusia urbium Graecarum senatus. IV. 190. In quibus numis memoretur? 191. Quomodo efficta. *ibid.*
Glaucus fl. Phrygiae. III. 158.
Gliris quaedam species in numis Cyrenaicis. IV. 120.
Glycon serpens, et oraculum. II. 383.
Goltzius (Hubertus) Ejus operum censura. P. CXLI.
Gordiana ludi. IV. 442.
Gorgias Leontinus sophista forte in numo memoratus. I. 217.
Gryphus Nemesis comes. II. 552. Apollinis jugalis. III. 94. in galea Palladis. II. 210. Ejus domicilium. II. 2. Frequens in numis Abderae. II. 21. Assi, 450. Phocaeae, 533. Tauridis. 2. 3. Tei, 562.

Digitized by Google

Gymnasiarcha. Quae hujus potestas? IV. 215.
Gymnasiarchia. Hujus vocabuli explicatio. IV. 442.

H aspiratio Graecorum. P. XCIX. a Latinis medio vocabulo inserta. I. 232.
Hadriani templum in numo Alexandrino. IV. 64.
Hadrianus I. papa plagii numismatici reus. IV. 181.
Hamus in numo Byzantii. II. 27.
Hancarvillii judicium de antiquitate numorum Oscorum impugnatur. I. 121.
Hannibal Poenus. IV. 349.
Harpocrates. Ejus numi, effigies, attributa. IV. 33.
Hebraicorum numorum character. III. 456. Eorum fides defensa, 458. Eorum aetas, pondus, materia. 463. seq.
Hecate tergemina in numis Aspendi. III. 9. Aezanis, 129. Apameae Phryg. 132. Ejus insignis cultus Stratoniceae. II. 590.
Hector in numis Ilii. II. 486. Ophrynii, *ibid.*
Hegemones magistratus Rom. in Thracia. IV. 247.
Helia ludi Soli sacra. IV. 242.
Heraclea Bithyniae plurium coloniarum mater. II. 418.
Heraclea ludi. IV. 442.
Heracleum dictum sacellum quadrigis vectum. III. 351.
Heraea ludi Iunoni sacra. IV. 242.
Hercules bibax. I. 171. Οπλοφυλαξ. II. 543. Thasius, 53. Tyrius, III. 385. 294. Musarum, II. 186 consecratus, in numis Oetaeorum. 144.
Hercules angues elidens. I. 171. II. 513. 603. III. 359. cum Echnida pugna. II. 41. Aprum Erymanthium gestans, 40. 468. Cum Hydra pugna, I. 173. 194. Stymphalidas conficit. II. 40. 297. Taurum subigit. I. 240. Feras e Creta ejicit. II. 307. Ejus labores varii, II. 40. 317, 416 seq. 424. 468. III. 73. IV. 66. 67.
Hercules Telephum gestans. III. 168. V. etiam *Telephus.*
Hercules impensius cultus ab Agyrinensibus, I. 95. Thermitanis, 214. Thasiis, II. 53. regibus Macedoniae, 82 seq. Boeotis, 197. Spartanis, 279. Cleonaeis, 289. Paestiis, 317. Erythraeis Ioniae, 522. Cois, 598. Tarsensibus, III. 73. Bactrianis, 557. Mauretanis, IV. 157.
Hercules conditor Crotonis, I. 172. Abderae, II. 21. Perinthi, 39. Dyrrhachii, 156. 157. Nicaeae, 424. Cii, 436. Prienes, 536. Multarum urbium generatim. IV. 345.
Hercules hydrae morsu saucius herba salutem recuperat. III. 423.
Herculis attributum tripus. II. 75.
Hercules cum corona querna. II. 106.
Herculis sacerdos apud Coos cur stolatus? II. 599.
Herculi Ambracia adjudicatur. II. 169.
Herma super navi, obvius Mytilenes typus. II. 503.
Hermus fl. Asiae mineris. IV. 318.
Hero Sestia. IV. 349.
Herodum stemma. III. 481.
Heroes et Heroides in numis. IV. 342. Quae eorum origo, et natura? *ibid.* Eorum ex numis catalogus. 347.
Herophile Sibylla in numo. II. 195.

Digitized by Google

Hesperus astrum in numis Locrorum. II. 192.
Hiatus in centro numorum. P. LXV.
Hibera, sic vocata Hercavonia. I. 51.
Hieromnemon quis? IV. 217.
Himera fl. Siciliae. I. 212.
Hipparchus M. Antonii libertus. II. 243.
Hipparis fl. Siciliae. I. 200.
Hippocrates medicorum princeps, in numo suspecto Coorum. II. 599.
Hippopotamus Nili alumnus, et comes, IV. 37.
Hippurius fl. Lydiae. III. 95.
Hircus junctus cum Cerere. I. 206. 207.
Hircus Mendesiis sacer, iisque dictus Mendes. IV. 110.
Hircus in numis Celenderis. III. 51.
Hirci duo luctantes in numis Amphipolis, et Thessalonicae, II. 67. 68. Meli ins. 332. Sagalassi. III. 21.
Histiaea herois. II. 325.
Homerea moneta. II. 541.
Homerus quorum in numis signatus? IV. 349.
Homerus Smyrnae natus, summi ejus ibi honores. II. 541. Sepultus in insula Io. III. 329.
Homeri signa. II. 541. 542.
Horatius poeta in numis. IV. 349.
Hybreas illustris Mylasae civis. II. 585.
Hygia in numis Amastrios, II. 385. Nicaeae, 425. Pergami, 468.
Hyllus fl. Lydiae. III. 112.
Hyperea fons Pherarum Thessaliae. II. 148.
Hypius fl. Bithyniae. II. 433.
Hypsas fl. Siciliae. I. 238. seq.

Ianus monetae inventor. P. VI. Vario cultu propositus in numis Volaterrarum. I. 94. Comparet in numis Catanae, I. 204. Panormi, 231. Amphipolis, II. 66. Thessalonicae, 78. Iani more conjuncta duo capita in numis Athenarum. II. 209. Tenedi, ejusque in hujus numis significatio. II. 488. 489.
Iberus fl. Tarraconensis. I. 51.
Ibis Mercurii comes, et cur? III. 391.
Iconii nomen ἀπο ἰκονος. III. 31.
Iconologia vetus unis numis veteribus nititur. P. XC.
Ida mons, et in hoc Paridis judicium. II. 487.
Idomeneus forte in numo Phaesti. II. 317.
Ignis sacer in numis Sasanidarum. III. 555.
Ilium serius restitutum. II. 483.
Ἰμερα antiquitus scriptum pro Ημερα. I. 212.
Immunes urbes, ἀτελεις. IV. 263.
Immunitas vocabulo ἀτελειας indicata. II. 571.
Imperatoria dicta Salacia Lusitanicae. I. 13.
Imperatorum nomina urbibus addita. IV. 325.
Indica vocata Stratonicea. II. 590.
Indus fl. Cariae. II. 590.
Inscriptiones numorum. P. LXXXVII. Earum varius situs. P. XCII. In numis antiquissimis abesse solent. P. LXXXVIII. etiam recentioribus ob certas causas. *ibid.*
Invicta, sic vocata Sagantus. I. 56.
Io Argiva Gazae culta. III. 449.
Iolaus in numis Agyrii. I. 194. Herculem in debellanda hydra juvat. *ibid.*

Digitized by Google

Iones Alexandro M. devoti. II. 103.
Ioniae urbes tredecim. II. 507. seq.
Iselasticum certamen, ejusque significatio. IV. 443.
Isis in numis Catanae. I. 204. Cymes Aeolidis. II. 492. Magnesiae Ioniae. 526. Saepe in numis Aegyptiis, et vario cultu. IV. 32. Ejus per Aegyptum summi honores. *ibid.*
Isis Pharia. IV. 32. Velum explicat in numis Bybli, et cur? III. 359. Idem saepe praestat in numis Aegyptiis. IV. 32. Cane vecta. IV. 66. Caput Osiridis gestat in variarum urbium numis. III. 426.
Ismenias inter Boeotos clarus. II. 196.
Isolympia ludi. IV. 424.
Issus sinus, et urbs, cujus mentio in numo Alexandriae Ciliciae. III. 40. 41.
Ister fluvius. II. 18.
Isthmia ludi. IV. 444.
Isthmus Neptuno adjudicatur. II. 239.
Italicus (Silius) procos. II. 557.
Itius Rufus legatus. II. 26.
Iudaeorum cum Cretensibus nexus. III. 451.
Iulius Caesar. Ab hoc multis Hispaniae oppidis nomen datum. IV. 472.
Iulius Celis - - legatus. II. 41.
Iulius Cletus vel Castus. II. 33.
Iulius Commodus praeses. II. 41.
Iulius Cordolus praeses. II. 47.
Iuno Ἀργεία Argis culta. II. 287. Lacinia in numis Crotonis. I. 171. Sponsa, in numis Plataearum. II. 201.
Iuno in numis Chalcidis. II. 323. seq. Amastrios. II. 385.
Iunonis cultus praecipuus Sami. II. 569.
Iuno Pronuba eadem cum Lucina. II. 569. Ejus signum, *ibid.*
Iuppiter Acraeus. II. 497. 508. 543. Agoraeus. 424. Ammon, V. *Ammon.* Bulaeus. 504. Capitolinus. 574. idem Graecis Κορυφαιος. III. 110. idem sedens inter Palladem et Iunonem. 443. Casius. II. 180. III. 326. Cataebates, 260. Ceraunius, 326. Cretagenes, II. 301. Dodonaeus. 582. Ephesius. 514. Euromensis. 581. Heliopolitanus, idem cum Sole. III. 334. Hellenius Apollinis specie propositus. I. 244. Homagyrius. II. 231. Idaeus. 485. III. 158. Ithomates. II. 275. Labrandensis. 585. 596. Larasius. III. 124. Liberator. I. 243. III. 107. Lyceus II. 293. Lydius. III. 112. Melius. II. 424. Nemeus. II. 288. IV. 53. Nicephorus. III. 269. Olympius. 105. IV. 53. Pandemus. III. 173. Philaletes male intrusus. 159. Philius. II. 465. Pius. *ibid.* Pluvius. 514. seq. Poteus. III. 150. Salaminius. 88. Strategus. II. 385. Syrgastes. 438. Tersius. III. 72. Tifatenus. I. 110.
Iuppiter et Iuno dicti *dei Syriae.* III. 262.
Iuppiter in quadrigis elephantorum. IV. 6. Infans in choro Corybantum. III. 160. Ipse taurus in numis Gortynae. II. 312. Cum infante Baccho in ulnis, et adstante capra. III. 159. Botrum, vel cantharum tenens. 61. 413. Aegiensibus suppositicius creditus. II. 235.
Iuppiter vitiat Cererem sub tauri specie. I. 138. Nemesin sub cycni specie. 200. Proserpinam sub draconis

Digitized by Google

specie. 138. 241. Europam sub aquilae specie. II. 312. Phthiam sub columbi specie. 236.
Iusti vocati reges, et qui? IV. 461.

Koppa, vide *Episemon.*

Labyrinthus in numis Cnossi. II. 308.
Laelaps Cephali canis. II. 273.
Lairbenus dictus sol. III. 154.
Lais meretrix. II. 239.
Laocoon serpentibus constrictus. II. 456.
Lapicidinae Docimenses. III. 151.
Lapis percussus lyrae sonum imitatur. II. 224.
Latona apud Tripolin Cariae insigniter culta. II. 593. Ejus signa, *ibid.* A partu se in Cenchrio fl. abluit. 522.
Latonia ludi. IV. 444.
Laus Iulia, sic vocata Corinthus. II. 241.
Leander Abydenus. II. 51. 479.
Legati. Eorum varia significatio. IV. 238. Legati propraetore a quo instituti, et quod eorum munus. *Ibid.* Eorum ex numis catalogus. 232.
Lentulus (P.) in cistophoris. IV. 360.
Leo obvius in numis Rhegii, I. 181. Veliae, 165. Leontinorum, 216. Lysimachi regis, II. 57. Lysimachiae, 50. Sami, 568. Smyrnae, 538. Samosatorum. III. 251.
Leo astrum respiciens. II. 531.
Leones olim circa Macedoniam reperti. II. 5.
Leopardus in numis Smyrnae. II. 538.
Lepus obvius in numis Messanae. I. 222.
Leucadius saltus. II. 186.
Leucaspis heros. I. 246.
Libanus mons. IV. 313.
Liberae urbes. Earum catalogus. IV. 263. Privilegia, *ibid. seq.*
Liberalitas Iulia, sic dicta Ebora. I. 11.
Libra in numis Pythodorides. II. 371. Palmyrae. III. 265.
Lichas Spartanus. II. 280. Orestis reliquias Spartam transfert. *ibid.* Aurigam victorem coronat. I. 185.
Ligea Siren. I. 182.
Limyrus fl. Lyciae. III. 4.
Linguae in numis. P. XCII.
Literarum Graecarum forma. P. XCVII.
Literae Etruscae, Samniticae, Oscae. I. 119. de his dissertatio, *ibid.* Earum alphabetum. 122.
Literae solitariae. P. XCIII.
Literae arithmeticae solitariae in numis Pamphyliae. III. 7.
Literae incusae. P. XCV.
Livineius Gallus propr. IV. 134.
Locris ob vitiatam ab Ajace Cassandram virginum tributum imperatum. II. 253.
Locri Epizephyrii a Locris Graeciae oriundi. II 251.
Luctatores duo in numis Selges. III. 25.
Lucrius Arvernorum rex dives. I. 64.
Ludi. Eorum apud veteres licentia. IV. 421. Varia nomina, et causae. 427. Ludi quatuor in Graecia celeberrimi. 423. Eorum nomina in A exeunt. 425. Typi soliti. 426. Catalogus ex numis. 432.
Luna mas, et femina, Luni nomine culta. III. 507.
Lupa cum gemellis coloniae typus. IV. 492.
Lupus in numis Argorum. II. 286.

Digitized by Google

Lycabas Graecis annus. IV. 394.
Lycurgus Spartanus. II. 280.
Lycus fl. Phrygiae. III. 166.

Ma, vide *Rhea*.
Maeander fl. Apamenis sacer. III. 140. Ejus natura, et significatio. IV. 318.
Maecius Rufus procos. II. 403.
Magistratus numis inscripti. De his in genere. IV. 187. Magistratus urbium Graecarum domestici. 188. Romani in numis urbium peregrinarum. 224. Magistratus eponymi. 255. Enunciantur praefixo ἐπι, ὑπο, δια, παρα. 187. Magistratus in coloniis. 474. Magistratus municipales an ingenui, an liberti? 482.
Magni ludi. IV. 444.
Magnitudo urbium in numis discriminis causa addita. IV. 320.
Magnitudo, et pulchritudo. Ab utraque laudata Smyrna. II. 559.
Mala, in Pythiis victorum praemia. IV. 452.
Malum Punicum character numorum Sidae. III. 15. frequens in numis Meli ins. II. 331.
Mamers in Oscorum lingua Mars. I. 224.
Mamertini Campani Messanam occupant. I. 222.
Mandibula apri Calydonii passim in numis Aetolorum. — Nicopolin translata. II. 166.
Marinus (deus) in numo Philippopolis. II. 44.
Marna deus Gazensium, idem cum Iove Cretagene, dominus imbrium. III. 450.
Marnas fons Ephesi. II. 522.
Maron Bacchi comes Maroneam condit. II. 34.
Mars instar Apollinis, juvenilis, et imberbis. I. 224. Oscis Mamers, *ibid.* Scalam gestans. II. 26.
Marsyas in numis Apameae Phrygiae. III. 139. Ejus supplicium. IV. 69.
Marsyas fl. Phrygiae. III. 140.
Martialis (App. Claudius) praeses. II. 24.
Materia numorum veterum. P. XIX.
Matrix numorum. Quid hoc vocabulo significemus? P. LXII. Saepe majoris voluminis, quam metallum signandum. P. LII. Ex terra cocta numorum fusioni destinata. P. LIV.
Meadii Angli de medicorum numis sententia. II. 539.
Mechanica numorum veterum. P. LXIII.
Medicorum nomina in numis Smyrnae. II. 539. Eorum illustris schola apud Smyrnam, *ibid.* et Laodiceam Phrygiae. III. 161.
Medusa in numis Larissae. II. 140. Rhodi. 602.
Meleager venator in numis Sami. II. 569.
Meles fl. Ioniae. II. 385. 560.
Melicerta variis modis propositus in numis Corinthi. II. 241.
Menecles Alabandensis clarus orator. II. 572.
Menestheus Athenarum rex. II. 494.
Mensis (deus) perperam dictus Lunus. III. 19. Frequens in numis Comanorum, II. 354. Nysae Cariae, 586. 587. Sami, 569. Tabae et Trapezopolis Cariae urbium, 592. Trapezuntis, 358. Antiochiae Pisidiae, III. 19. Parlaidis, 34. Hierapolis

Digitized by Google

Phryg. 155. Laodiceae ad Libanum, 336. Gabae Trachonit. 344. Tiberiadis, 428. Carrharum. 507.
Mensis dictus Ασωρος in numo Sardium. III. 112. Ejus ara Gadibus. IV. 417.
Menses in numis veteribus. IV. 420. Macedonici in numis regum Parthiae. III. 548.
Mercurius barbatus. I. 268. comite cane. IV. 68. Amasiae conditor. II. 344. Bacchum infantem gestans, 283. 587. Arcadem Iovis F. gestans. 296. in ibidem mutatus metu Gigantum. III. 391. Ejus cultus apud Corycum. 53.
Messeis Larissae fons. II. 148.
Mestus fl. Thraciae. II. 36.
Meta frequens in numis urbium Illyrici, et Epiri, quas vide.
Metabus Metaponti conditor. I. 156.
Metellus Pius Scipio in ciatophoris. IV. 361.
Metropolis. Catalogus urbium hoc honore insignium, IV. 273. Ejus varia significatio. 275.
Metroum Matris Magnae fanum. II. 422.
Micythus Buxenti conditor. I. 152.
Midas Phrygiae rex. III. 143. 168.
Miletus Apollinis F. a lupa lactatus. II. 310.
Milo Crotoniates in numo spurio. I. 173.
Mina, pondus monetae Graecae. P. XXXIX.
Mindius Balbus procos. II. 401.
Mindius Pollio procos. II. 401.
Minerva, vide *Pallas*.
Minos Cretae rex in numis Cnossi, II. 308. Gazae. III. 451. Heracleam Minoam condit. I. 240.
Minotaurus in numo Metaponti. I. 154. Cnossi. II. 308. In quibusdam numis inique creditus. I. 130.
Mithradates Graecorum Latinis Mithridates, et cur? II. 363.
Mitraetes, sic dictus Arsaces. IV. 536.
Moesia etiam vocata Mysia. II. 6.
Moneta unde dicta, et quae ejus significatio? P. III. Ejus effigies ex numis. *ibid.* Ejus constitutae causa. P. IV. Quomodo ad barbaros propagata. P. V. Ejus inventores. P. VI. Moneta Rom. per totum orbem diffusa. *ibid.* Monetae antiquitas. P. VIII. Ejus duratio pro variis regionibus. P. IX. fines geographici. P. X. Ejus nomina ab auctore, imagine, loco, modo fabricae, pondere, valore. P. XI. Materia. P. XIX. Monetae verae characteres. P. XIII. Monetae veteris valor comparate ad nostram. P. XLV. Monetae externae inter urbes Graecas valor. P. LXXXIV. Moneta principum etiam post horum mortem valida. P. LXXXVII. Monetae feriundae jus penes quem? P. LXX. Ejus praefecti, et ministri. P. LXXVIII. Moneta in coloniis cujus permissu signata? IV. 497. Monetae vet. adulterandae varii modi. P. CXX. seq. Ejus adulteratores insigniores. P. CXIX.
Moneta ferrea Byzantiorum, II. 26. et Spartanorum. 278.
Monetae duplex forum Antiochiae Syr. III. 299.
Moneta foederis Achaici. II. 231.
Vide huc pertinentia etiam sub: Numi.
Monogrammata in numis. P. XCIV. Illis Peloponnesii monetam suam insignire soliti. II. 229. 230.
Mons Panachaicus in numis Patrarum. II. 255.

Digitized by Google

Montium in numis mentio, eorumque catalogus. IV. 312.
Mopsus Lapitha in numis Mopsii a se conditi. II. 144. Cum Centauris pugnat. *ibid.*
Mopsi ara in numis Mopsuestiae. III. 60.
Mucianus propr. III. 282.
Municipia quid? IV. 469.
Mures in numis Tenedi, et cur? II. 489.
Musae Sirenes cantu vincunt. II. 304.
Musea numorum vet. per Europam illustriora. P. CLXXIII. Quomodo utiliter ordinanda? P. CLXXVIII.
Mutilus (C. Papius). I. 103.
Myscellus Crotonis conditor. I. 170.
Mysiae nomen etiam datum Moesiae. II. 6.
Mysticus ludus. IV. 445.

Nassica, sic vocata Calagurris. I. 39.
Navarchides urbes. Earum ex numis catalogus. IV. 309.
Navis in numis Smyrnae. II. 553. et Phaselidis. III. 6.
Navium prorae variis animalium capitibus ornatae. III. 6. 414.
Naumachia ludus navalis. IV. 445. in numis Gadarorum. III. 348.
Nausicae herois. II. 504.
Nemea ludi. IV. 445.
Nemesis una vel duae, frequentes in numis Smyrnae. II. 548. Earum Smyrnae insignis cultus, et cur? *ibid.* Nemesis attributa enarrantur, et explicantur. *ibid.* 549. Eadem cum Fortuna et Fato. 52.
Nemesis in numis Camarinae. I. 200. Tii, II. 438. 439. Sides, III. 16. Attaliae, 10. 11. Tripolis Phoen. 372.
Nemeses duae in numis Temni, II. 497, et Aegyptio. IV. 67.
Neocori. Quae hujus muneris origo, et varia conditio? IV. 288. Neocori viri et feminae, eorumque ex numis catalogus. 291. Neocori populi et urbes, horumque catalogus. *ibid.* Variae eruditorum de neocoratu urbium sententiae. 295. seq.
Neptunus in numis Posidoniae. I. 157. Boeotorum, II. 197. Priansi, 319. Teni, 337. Nisyri, 601.
Neptunus Isthmius in Aegyptiis. IV. 53. Stabiliens, (Ασφαλιος) in numis Rhodi. II. 605.
Neptuno Isthmus adjudicatur. II. 239.
Neptunus in commercio cum muliere. II. 448. Equum retinens. 320. Equum mentitus Cererem vitiat. 148. Hippocampis vectus. III. 354. 358.
Nevantus scalptor monetarius. P. LXXX. II. 309.
Nicator, qui reges sic vocati? IV. 462.
Nicephorus, qui reges sic vocati? *ibid.*
Nicoclia herois male ex numis stabilita. III. 87.
Nilus frequens in numis Aegyptiis. Ejus natura, cultus, effigies, beneficia, attributa, horumque explicatio. IV. 36. Nili varia olim nomina. 39.
NO. De terminatione vocabulorum in has literas. I. 124.
Nobilis, sic vocata Obuleo Hispaniae. I. 26.
Noctuae duae in unum caput coalescentes. II. 209. 458. 488.
Noemi diluvium in numis Apameae. III. 132.

Digitized by Google

Nomina Romanorum adoptarant homines peregrini, et qua de causa? IV. 485.
Νομισμα Graecis et institutum, et numus. P. II.
Nomorum Aegypti numi. IV. 99.
Numeralium notarum apud Graecos modus. IV. 393.
Numus, numisma. Vtriusque significatio. P. III.
Numi aurei, argentei, aenei varii voluminis, et ponderis. P. XLVII. seq. Stannei. P. XIX. Ferrei. *ibid.* Plumbei. *ibid.* Lignei. P. XX. Scortei. *ibid.* Numi Gallis *Potin.* P. XXVII. Aerosi, vel incoctiles, *ibid.* Tincti, *ibid.*
Numi serrati. P. LXVI. Recusi. *ibid.* Incusi ex instituto. P. LXV. I. 149. Incusi temere. P. LXVI. Subaerati, vel pelliculati. P. CXV. Bracteati. *ibid.* Scyphati. P. LXIV. Numi, in quorum centro foramen. P. LXV. Numi geminatis typis. P. LXVII. Numi recusi. P. LXVI. Numi veteres partim fusi, partim percussi. P. LIII. Numi monetariorum veterum culpa vitiosi. P. CXXVII.
Numi aurei maximae formae insoliti ponderis. P. LI. Numi aenei maximae formae. P. XLVII. Alii cum late porrecto orbe. *ibid.* Alii cum variis ornamentis parergis. P. LXVIII. Numi duplicis metalli. P. LXVII. Numi plus quam ordinariae formae utrum vera moneta? P. XIV. et quem illi usum praestitere? P. XVI.
Numi aenei vernice naturali vestiti. P. LXIX.
Numi autonomi. P. XII. Officiosi, *ibid.* Bilingues. P. XCIII.
Numi veteres generatim utrum moneta? P. XII.
Numorum ingens numerus nonnunquam eodem loco repertus. P. LXXXII.
Numorum aetas quibus modis indaganda? P. CXXXI.
Numi adulterini. De his diatribe. P. CXIII.
Vide etiam generatim ad numos pertinentia sub: Moneta.
Nymphae tres stantes in numis Thermarum, I. 214. Anchiali, II. 24. Apolloniae Thraciae, *ibid.* Apolloniae Illyrici. 154. Herculi calidas aquas aperiunt. I. 214.
Nymphaeum ardens. II. 154.

O pro OT archaismus Graecus. II. 83.
Oaxus eadem cum Axo Cretae. II. 305.
Obolus pondus, et moneta, ejusque partes. P. XLIII. Olim argenteus, serius et aeneus. *ibid.*
Obryzum aurum. P. XXII.
Oceani imago. III. 390. IV. 36. 39.
Oceanus dictus Nilus. IV. 39.
Oecumenici ludi. IV. 445.
Officinae monetariae. P. LXXX.
Olympia ludi. IV. 447. Etiam extra Elidem celebrati. *ibid.*
Olympus mons Arcadiae, II. 292. Bithyniae, 414.
OM. De terminatione vocabulorum in has literas. I. 124.
Omphale gradiens cum Herculis cultu. III. 105. 113.
On Aegypti, serius Heliopolis. IV. 106.
Ordines Graecorum. IV. 189. Romanorum in numis peregrinis. 224.
Orpheus in choro animalium. IV. 68. 74. Ejus caput in numo Antissae. II. 501.

Digitized by Google

Oscense argentum. I. 4.
Osculum manus observantiae, et reverentiae argumentum. IV. 64.
Ovidius Naso ex numo vitiato intrusus. IV. 351.

Pacensis, sic vocata col. Deultum. II. 32.
Pagurus frequens in numis Coorum. II. 598.
Palici dei in numis Catanae. I. 204.
Palladium quibus in urbibus adservari creditum? II. 484.
Pallas, seu Minerva. Cognomine Alea. II. 298. Ilias. Ejus forma, et late propagata religio. 484. Pallas Alcidae, 97. Pallas Area, seu Martia, 215. Χαλινιτις, (frenatrix) 244. Apud Athenienses eadem cum luna. 209. Cognomine Αἰθω perperam ex numo adserta, 310. Megarsis, III. 60. Sais Aegyptiis. IV. 114. Pallas Victoria, I. 261. II. 214. III. 36. 230. Eadem dextera malum Punicum gestat. III. 15.
Pallas cum Gigante pugnat. III. 66. Calculum in vas mittit. III. 17. 42. 73. Pegasum domat. I. 245. Raptum Proserpinae inhibere nititur. III. 104. Oblato Medusae crine Tegeatas ab hostibus securos reddit. II. 299.
Palladis et Neptuni pro Athenis dimicatio. II. 216. Ejus cum Pegaso nexus. I. 245. Ei sociatus caper. II. 282. Pallas cum alis Thessalicis. II. 133. Frequens in moneta Alexandri M., et cur? II. 96. Alata. I. 261. Cum fulmine. III. 6. Ejus galea varie ornata. I. 163. Ejus clypeus. III. 26.
Pallas et Vulcanus in numo sociati. III. 122.
Palma in Augusti ara enata. I. 58.
Palmae ramus in numis Aegyptiis quid significet? IV. 86. 92.
Pan qua forma effictus? II. 293.
Pan in numis Messanae. I. 222. Panticapaei. II. 3. Pellae, 74. 75. Thessalonicae, 78. Antigoni I. Macedoniae regis. 123. Arcadum, 292. Megalopolis, 295. Caesareae Paniados, III. 339. 342.
Panos cultus per Aegyptum ditatus. IV. 112. Ejus ope Galli internecione in Graecia caesi. II. 124. 125. Ejus fistula cujus formae? 293.
Panicus terror cur sic vocatus. II. 124.
Panium a Pane, mons et specus. III. 339.
Panaristus, sic vocatus rex Parthus. IV. 535.
Panegyriarchae quid? et quibus in numis? IV. 214. Male Vaillantio dicti panegyristae. 215.
Panionia ludi. IV. 449.
Panoplia victorum in bello praemium. I. 243.
Pansa (M. Neratius) propr. III. 190.
Papirius Carbo. II. 396.
Papius Mutilus. I. 103.
Parens, V. *Patronus*.
Paridis judicium. IV. 69.
Parius Iasionis F. Parii conditor. II. 460.
Parthenius fl. Paphlagoniae. II. 386.
Parthenope Siren. I. 111. 113. Ejus apud Neapolin cultus, *ibid.*
Pasidienus Firmus procos. II. 491.

Digitized by Google

Patria duplex in numis memorata. III. 164.
Patris, et avi mentio nonnunquam nominibus adjecta. IV. 188.
Patronus, vel Parens. IV. 252. Quae hujus tituli origo, et significatio? 253.
Pavo in numis Sami. II. 568.
Pecunia unde dicta? P. II. Graecis χρηματα. P. I.
Pedum in numis Cii Cariae. II. 581. Caesareae Paniados. III. 342.
Pegasi natales. II. 346. Secundum alios Neptuni filius. 457. Frequens in numis Corinthi, 245. Alabandae, 572, Antiochiae Cariae, *ibid.* Bargyliae, 578. Stratoniceae, 590. Damasci, III. 333. Idem pascens in numis Amisi, et Mithridatis VI. II. 346. ac propterea insertus tetradrachmo Attico. II. 219. 220.
Pelorum promontoriam in numis. I. 122.
Pentagonum in numis Gallorum, ejusque causa probabilis. I. 63. Idem in numis Pitanes. II. 476.
Penthesilea Amazon. IV. 350.
Pergamus Pergami conditor. II. 463.
Permissus monetae in coloniis signandae. IV. 497.
Periodica ludi. IV. 449. Periodonica a nonnullis perperam dicti. *ibid.*
Perseus obvius in numis Macedonum. II. 62. Amphipolis, 66. postremorum Macedoniae regum. 128. seq. Seriphi, 334. Sinopes, 390. Iconii, III. 30. Aegarum, 36. Anemurii, 46. Argorum Ciliciae. 50.
Perseus Argis Argolidis eximie cultus, II. 287. 288. item Tarsensibus. III. 74. et Larissaeis. II. 140. Ab eo oriundi reges Macedoniae. 129. seq.
Perseus in mare abjectus, et Seriphum appulsus. II. 335.
Perseus Medusae caput amputans, typus obvius in numis urbium Ponti. II. 341. Ope Palladis Medusam interimit. III. 182, Andromedam liberat. IV. 68.
Persei harpam gestavit Alexander pseudomantis. II. 384.
Persona Panos. I. 12.
Persona ejecta lingua. I. 93. II. 72. 459. 478.
Personae illustres in numis. IV. 372. Earum catalogus, 347. Confer etiam indicem III.
Pes humanus praefixo annulo. III. 424.
Petronius procos. II. 555. Propraetor. III. 280.
Phalanthus Parthenius Tarentum condit. I. 146.
Phalaridis taurus. I. 134.
Phalli utrinque ex mulieris signo prostantes. III. 59. 230.
Pharetra frequens in numis Ponticis. III. 342.
Pharsalicae pugnae tempus. IV. 400.
Phaselus, navis genus, unde sic vocatus. III. 6.
Pheraemon heros. I. 222.
Phidon Argivus monetae inventor. P. VII. Perperam in numos vocatus, II. 196.
Philadelphia ludi. IV. 450.
Philadelphus. Qui reges sic vocati? IV. 462.
Philellen. Qui reges sic vocati? *ibid.*
Philippi, moneta aurea Philippi Amyntae. II. 90. Eorum ingens copia a Romania capta. *ibid.*
Philippi Amyntae numos imitantur Galli. I. 63.

Digitized by Google

Philippus Butacidae F. Olympionica. in numo Segestae. I. 237.
Philocaesar Agrippa I. Iudaeus. III. 492.
Philoclaudius Herodes. *ibid.*
Philometor. Qui reges sic vocati. IV. 462.
Philopator. Qui reges sic vocati? *ibid.*
Philopatris. Qui sic vocati? *ibid.*
Philoromaeus. Qui reges sic vocati? *ibid.* Philoromaei Carrheni. III. 509.
Phoenicia lingua inscripti nami. Vide singularem de his dissertationem. III. 396. Eorum distributio, et catalogus. 404. Ejus linguae interpretatio cur tam ardua. 399.
Phthia a Iove columbo adamata. II. 236.
Pia, sic vocata Sidon. III. 371.
Pilei Thessalici. II. 140.
Piscibus abstinent Syri. III. 445.
Pitnaeus fons Aeolidis. II. 492.
Pittacus philosophus. II. 504.
Plagia barbarorum numismatica. IV. 176.
Plancius Varus procos. II. 402. III. 140.
Plato philosophus. IV. 350.
Plautius (A.) procos. III. 84.
Plutonis victima taurus. II. 588. Ejus et Proserpinae capita in numis Nysae Cariae. II. 586.
Plutologus in numis Nysae significatione dubia. II. 587.
Plutonium apud Nysam Cariae. II. 586.
Polemon vir illustris Laodiceae. III. 162. 163.
Pompejus M. Solorum conditor. III. 68. 69.
Pomponius Bassus propr. III. 190.
Pondus monetae veteris. P. XXXIV. Ejus ingens confusio, *ibid.* Ponderis varia nomina, aut notae numis insertae. P. XXXVIII. seq.
Pons in numis Segoviae, I. 57. Buthroti, II. 163. Antiochiae Cariae, 575.
Pontifices summi, et inferiores utriusque sexus. IV. 203. Eorum catalogus, *ibid.*
Pontius Sabinus praeses. II. 33.
Populus urbium Graecarum dictus δημος. IV. 190. Quomodo in numis fictus? *ibid.*
Porcus, porca. Cereri sociata. II. 217. 222. Victima foederis. I. 106. 109. Priapi, II. 457. Veneris. III. 26.
Portus Augustus. III. 428. 492.
Possessivum non raro pro gentili in urbium numis positum. P. XCVI.
Praefecti IIviri in coloniis. IV. 477.
Praeses, ἡγεμων. Hujus nominis significatio. IV. 242. Ejus munus. 243. In solis Thraciae numis occurrit, *ibid.* Praesidum catalogus. 233.
Praetor, magistratus urbium Graecarum, dictus στρατηγος. Ejus potestas. IV. 195. Praetorum catalogus. 193.
Priapus familiare Lampsaci numen, II. 457. Ei sacer porcus. *ibid.*
Primae urbes, πρωται. Variae de urbium primatu sententiae. IV. 282. seq.
Probare, vox in operibus publicis usitata. IV. 150.
Procla (Iulia) herois. II. 504.
Proconsul. Quod ejus vario tempore jus in provinciis? IV. 234. 241. Proconsulum catalogus. 229.
Procurator, ἐπιτροπος, magistratus Rom. in provinciis. IV. 249.

Digitized by Google

Propraetor. Ejus vario tempore in provinciis potestas. IV. 234. 241. Propraetorum catalogus. 230.
Proserpina eximie culta apud Locros Epizeph. I. 175. 176. Syracusas, 244. 261. Cyzicum, II. 451. 452. Sardes. III. 113. A Iove sub draconis specie vitiata. I. 138. 421. Ejus victima bos. II. 452.
Proserpinae raptus, I. 207. II. 507. 586. 589. III. 103. 104. 155. IV. 61.
Prota ludi. IV. 451.
Prytanes quid? et in quibus numis? IV. 200.
Publilius Graecis Ποπλιλιος. II. 62.
Puelli sedecim pro numero cubitorum exundantis Nili. IV. 38.
Pulcher Appius, et alter C. Clodius in cistophoris. IV. 360.
Pulchra, sic vocata Neapolis Samar. III. 438.
Pulchritudo. Ab hac laudata Smyrna. II. 559.
Pupius (Aulus) propr. IV. 126.
Purpura, qua Tyrii lanam tinxere. III. 391.
Pyramus fl. Ciliciae. IV. 319.
Pyrrhi regis effigies hactenus incerta. II. 173.
Pythagoras philosophus in numis Nicaeae, II. 426. et Sami. 570.
Pythagorae nomen Darico inscriptum. III. 552.
Pythia ludi. IV. 451.

Quadratum incusum. P. LXIV.
Quadratus (C. Vmmidius Durmius) propr. III. 280.
Quaestores, ταμιαι, Graecorum magistratus. Eorum ex numis catalogus. IV. 202.
Quaesteres Romani, proquaestores, quaestores procos., propr. IV. 245. Eorum catalogus. *ibid.*
Quatuorviri in coloniis. IV. 480.
Quinctilius Varus procos. IV. 133.
Quinquennales in coloniis. IV. 476.

R. De terminatione vocabulorum in R. I. 124.
Regia dicta Asta Baeticae. I. 15.
Regiones Phrygia, et Caria memoratae in numo Laodiceae. III. 160. Isauria, Caria, Lycaonia memoratae in uno eodemque numo. III. 75.
Regum numi. De his quae generatim observanda. IV. 454. Catalogus regionum, et urbium, quae eos signavere. 455. Regum ac principum tituli honorifici. IV. 459. insignia, 463.
Reges regum qui vocati. IV. 459. Reges magni, *ibid.* Reges ejus, qui regnum fundavit, nomen retinentes. 458.
Rhea eadem cum Ma, a qua Mastaurae nomen. III. 108. Ei sacrificatus taurus. *ibid.*
Rhegma in numo Limyrae. III. 4.
Rhodii Tiberium observant. II. 604. Eis libertatem restituit Nero. 605. Propterea ab iis sub solis specie restitutus. *ibid.*
Rhodius fl. Troadis. II. 483.
Rhodope mons. II. 44.
Rhyndacus fl. Mysiae. II. 450.
Rhyton poculi genus. IV. 13.
Roche (la) celebris nuper in Gallia monetae veteris imitator. P. CXIX.

Digitized by Google

Romae signum in numis Edessae Macedoniae. II. 71. a Fide Locrorum Epizephyriorum coronatur. I. 176.
Roma συμβολικως ut terrae, marisque domina proposita. IV. 53.
Romae nomen datum Alexandriae Aegypti. IV. 44.
Romae, et Augusti templum Pergami. II. 466.
Rosa in numis Rhodi. II. 602.
Rota Nemesis attributum. II. 551. Frequens in numis Cyrenes. IV. 119.

Sabini dicti in numis Safinim. I. 105. Sabinorum colonia duce tauro. I. 106.
Sacrae urbes. Earum ex numis catalogus. IV. 306. seq.
Sagaris, Sangarius fl. Bithyniae. II. 422. 425.
Sagittarii Persarum numi, qui et Darici. III. 551.
Sallustius historicus. IV. 350.
Samaritanae, et Hebraicae literae, et inter utrasque discrimen. III. 456. Vtrarumque alphabetum. 404.
Sanpi episemon. IV. 393.
Sappho poetria. II. 503. 504.
Sarapis ex Ponto in Aegyptum advena. II. 343. 344. IV. 29. Ei summa ab Aegyptiis tributa potestas. IV. 30. Insigne Alexandriae templum, *ibid.* Idem cum Sole. *ibid.* Nuptiarum praeses, 31. Ejus variae effigies, et attributa. *ibid.* Frequens in numis Sinopes. II. 391. Est etiam in numis Epiphaneae Ciliciae, et Flaviopolis Ciliciae. III. 56.
Sardo fl. Bithyniae. II. 439.
Sardus heros coloniam in Sardiniam ducit. I. 271.
Sarus fl. Ciliciae. III. 47.
Sasanidarum Persiae regum numi. III. 554.
Saturninus (Volusius) propr. III. 275.
Saturnus monetae inventor. P. VI. In numo nomi Coptitae. IV. 105.
Satyrus mulierem rapiens. II. 500. Satyrus in numis Corcyrae. 180.
S. C. Harum literarum in moneta Rom. significatio. P. LXXIII. Eaedem literae in numis coloniarum. IV. 498.
Scamander fl. Troadis. II. 481. 486.
Scopas fl. Bithyniae. II. 422.
Scorpius frequens in numis Commagenes. III. 256.
Scribae quid, et quod eorum munus? IV. 196. In quarum urbium numis memorentur? 196.
Scrinia continendis numis cujusmodi esse debeant? P. CLXXXII.
Scriptura retrograda. P. XC. βυστροφηδον. P. XCI. Scripturae compendia. P. XCIV.
Scylla in numo Tarsi. III. 74.
Sebasmia, vel Sebasta ludi. IV. 453.
Secundus procos. III. 142.
Sejanus (L. Aelius.) cos. I. 36.
Selinus fl. Achaiae. II. 236. Mysiae. 472.
Sella aurea regum Parthiae. III. 545.
Sella curulis. II. 58. 374. IV. 160.
Semiramidis genus, et fortuna. III. 445. Eadem in numis Ascalonis. *ibid.*
Senatus Rom. mentio in numis urbium Graecarum. IV. 224. Ejus effigies, *ibid.* Nomen Συγκλητος tantum Senatui Rom. a Graecis datum. 225.
Senatus urbium Graecarum dictus Βουλη. IV. 189. Quomodo in numis effictus? 190.
Septemvir epulonum. IV. 252.

Digitized by Google

Sericum quo tempore Graecis innotescere coeperit. II. 565.
Serpens mas et femina, utriusque varia natura. IV. 35. Serpens super equo. 30. Ejus ἐπιφανεια boni ominis. 35.
Sertorius Broclus procos. IV. 231.
Severea ludi. IV. 453.
Sextus heros. IV. 350.
Sibylla Herophile. II. 195.
Siclus Hebraeorum, ejusque partes. III. 464. seq.
Signa incusa, eorum modi, et causae. P. CVII.
Signa monetariorum. P. CVI.
Signa militaria frequens coloniarum typus. IV. 491.
Silanus (Caecilius Metellus Creticus) propr. III. 276. 278.
Silenus a Mida astu captus. III. 168. Silenus sub philosophi habitu. II. 40.
Silenus frequens in numis Macedonum. II. 61. 72. Ancyrae Galatiae. III. 177. Idem frequens coloniarum typus, et cur? IV. 493.
Silenorum capita instar Iani conjuncta. II. 54.
Silo procos. IV. 231.
Silphium Cyrenensium proprius typus. IV. 119. Ejus excellentia. *ibid.*
Silvanus, incertum quis, in numo Pergami. II. 467.
Sipylene mater in numis Smyrnae. II. 542. 543.
Sipylus heros. III. 106. et mons. *ibid.*
Sirenes cantu a Musis victae alas abjiciunt. II. 304.
Sirius in numis Ceae. II. 326.
Situs urbium in numis mentio. IV. 310. Catalogus urbium, quae variis modis situm in numis eloquuntur. 311.
Socrates philosophus. IV. 360.
Sol Acrocorinthi dominus. II. 239. inter praecipua Damasci numina. III. 331. et Emisae, 311. Heliopolis, 334. Aetnaeorum. I. 191. Rhodi. II. 602.
Sol et luna frequentes in numis regum Parthiae. III. 545, et Persarum, 555. item in numis regum Ponti. II. 363. ac propterea inserti tetradrachmo Attico Mithridatis VI. II. 219. 220.
Solon in numo Metropolis Ioniae. II. 529.
Solymus heros. III. 27.
Sophistae quibus in numis? IV. 221. Eorum origo, dignitas, munus, *ibid.*
Soteris nomen quid significet. IV. 6. Qui reges sic vocati? IV. 462. Soteres dei dicti Ptolemaeus I. et Berenice. IV. 9.
Soteria ludi. IV. 453.
Spartanis vetita omnis pecunia praeter ferream. II. 278. tamen abundabant moneta aurea et argentea. *ibid.*
Sphinx. Ejus forma, et census mysticus. IV. 40. Sphingis allegoria. I. 139. Obvia in numis urbium Baeticae. I. 7. Chii. II. 564. Gabalorum. III. 313. Sphinx in galea Palladis. II. 210. 216.
Spicae obvius Metaponti typus. I. 155.
Spiritus asper et lenis quo modo scribi soliti? P. XCIX.
S. R. in numis coloniarum. IV. 498.
Stagira eadem cum Orthagoria. II. 73.
Stater numus Graecorum argenteus, et aureus. P. XL. seq. Stateres vario nomine. P. XLI. Stateres Attici, Corinthii, Cyziceni etc. an vera moneta, et non potius imaginaria. P. XLI.

Digitized by Google

Stateres Cyziceni, II. 451. Phocaenses. 535.
Statuae Augusti et Iul. Caesaris in numis Philipporum Macedoniae. II. 76.
Stephanephori, et quae eorum dignitas. IV. 212.
Sterope Cephei F. a Pallade Medusae crinem accipit. II. 299.
Stesichorus poeta. I. 215.
Strymon fl. Thraciae. II. 39.
Stymphalis avis. II. 297.
Suffetes Carthaginiensium. IV. 138.
Suillius Nerulinus procos. II. 556.
Suillius (M.) III. 156.
Sulpicius Marcianus praeses. II. 33.
Sulpicius Proclus procos. II. 403.
Sunias fons Ciliciae. III. 69.
Synarchia. Quis hujus vocabuli sensus? II. 574.
Syria dea. III. 262.

Talentum, maximum Graecis pondus. P. XXXIX.
Taras delphino vectus. I. 143. 144. 146.
Tarentini equitatu clari. I. 146.
Tarquitius Priscus procos. II. 402.
Tatianus praeses. II. 33.
Taurica a tauro nomen traxit. II. 2.
Taurus frequens in numis Thurii, I. 160. Syracusarum, 244. Tauromenii, 243. Thessalorum, II. 133. Germanicopolis. 387.
Taurus victima Bacchi. II. 470. Plutonis, 588.
Taurus a pueris ad sacrificium effertur. II. 588.
Taurus frequens coloniarum typus IV. 496.
Taurus cum facie humana, quae ejus significatio? I. 129.
Taurus mons. III. 313.
Telephi a cerva lactati fabula in copiosis numis. II. 468. 298. Pergamum coloniam ducit. 463. 468.
Telesphorus in numis Hadrianorum, II. 413. Nicaeae, 425. Gargarorum, 455. Pergami, 463. 468. Pitanes, 476.
Templum Tiberio, Iuliae, Senatui Smyrnae erectum. II. 547. 560. Venus Paphia saepe in numis, ejusque forma. II. 463. III. 86. 113. Dianae Myndiadis pluviis impervium. II. 579.
Tera fl. Ioniae. II. 535.
Terebentinus praeses. II. 15.
Terentius poeta. IV. 351.
Testae pro numis. P. XX.
Testudo, moneta Peloponnesia. II. 228.
Tetrarchae in numis qui? IV. 460.
Thebe Aegypti, serius Diospolis. IV. 105.
Theodorus Tripolim Cariae vallo cingit. II. 595.
Theogamia ludi. IV. 454.
Theologus quid? et quibus in numis? IV. 217.
Theopator, qui reges sic vocati? IV. 462.
Theophanes (deus) Mytilenaeus. II. 504.
Theosebes vocatus Sames rex. III. 205.
Thermae Himerenses. I. 214. Selinuntiae. 239.
Theseus in numis Metaponti. I. 154. Nicaeae. II. 425. Herculis imitator. I. 130. 154. Cum Minotauro pugna. II. 217. Calceos, et gladium patris in-

Digitized by Google

vestigans. *ibid.* Ejus cum Minotauro conflictus saepe cum Herculis et Acheloi pugna confusa. I. 130.
Thetis in numo spurio. IV. 351.
Thorius Flaccus procos. II. 400.
Thracia in provinciam redacta, et ejus subinde regimen politicum. II. 20.
Thuria fons prope Sybarin. I. 162.
Tigris fl. Mesopotamiae. III. 519.
Timeles Fons Cariae. II. 576.
Timesius Clazomenius Abderae conditor. II. 22.
Tmolus mons vocatus sic a Tmolo Martis F. III. 113. 123.
Togata, sic vocata Tarraco. I. 57.
Tomus heros. II. 18.
Toparcha in numis. IV. 460.
Trajanus propr. III. 282.
Tribus Sergia memorata in numo Hispaniensi. IV. 228.
Tridens in numis Troezenis. II. 292. et Halicarnassi, 581, et cur?
Trinacria dicta Sicilia. I. 184.
Triopas Cnidi conditor. II. 588.
Triptolemus in numis Ennae. I. 207. Athenarum. II. 217. item IV. 61.
Tripus obvius in numis Crotonis. I. 170. Iungitur cum Baccho. II. 42. et Hercule. 75.
Triquetra symbolum Siciliae. I. 184. Etiam in aliarum extra Siciliam urbium numis comparet. *ibid.*
Triumviri monetales. P. LXXIX.
Tropaeum reges Macedoniae de hostibus victis non statuerunt. II. 126.
Tullius (M.) in cistophoris. IV. 360.
Tullius Maximus praeses. II. 33.
Tullus procos. III. 114.
Tycha pars Syracusarum. I. 246.
Typi in numis vet. generatim. P. CIV. Singularum urbium proprii et privati. P. CV. seq. Typi numorum in partibus aversis. P. CV. iis in parte aversa nonnulli numi omnino carent. P. CIV. Typi in numis coloniarum. IV. 488.

Valeriana ludi. IV. 454.
Valerius procos. III. 174.
Varus (P. Quinctilius) propr. III. 275.
Vas monotum typus characteristicus Cymes Aeolidis. II. 492.
Vau, V. *Episemon.*
Veidius Pollio Augusti amicus. II. 409.
Venus Erycina. I. 208. Paphi princeps numen. III. 86. Venus Paphia culta etiam Pergami. II. 463. et Sardibus III. 113. Venus Nephtys in Aegypto. IV. 102. Venus Urania. II. 81. Venus eximie culta Anconae. I. 98. et Corinthi. II. 242. Venus Coorum, opus Praxitelis. II. 599. Veneris nobile signum in numis Cnidi. II. 580. Venus Adonidem lugens. III. 362. Veneris insolens forma in numis Aphrodisiadis. II. 576. Veneris Victima porcus. III. 26.
Vernix naturalis numorum aeneorum. P. LXIX.
Vespertilio in numis Helenae ins. II. 226.
Vesta, ejus signa et attributa. II. 538.
Vettius Niger procos. III. 140.
Viarus mons Pisidiae. III. 21.
Vibius Marsus procos. IV. 148.
Vibius Pansa. II. 396. 519.
Victrix, sic vocatae variae coloniae. IV. 472.
Vinum Methymnaeum nobile. II. 502. et Mendesium, 72.
Virgilius Maro in numis non antiquis. IV. 351.

Digitized by Google

Virgo φιαλοφορος in numis Locrorum Epizeph. I. 175.
Virtus Graecis κρατησις. IV. 55.
Vitellius in Samniticis. I. 103.
Vitellius (P.) procos. II. 400.
Vlysses in numis Ithacae. II. 274.
Volasenna procos. III. 131.
Volusius Saturninus propr. III. 275. procos. IV. 134.
Vopiscus (Pomp.) praeses in numis variarum Thraciae urbium.
Vota Graecis βωτα. II. 517.
Vrbes et populi quo modo in numis scripti? P. XCV. Vrbium varia nomina. IV. 320. Vrbes vetus ac novum nomen in moneta enunciantes, 321. nonnunquam in eodem numo. 322. Vrbes originem suam in numis professae. 323. Earum catalogus. 325. Vrbes cum additis imperatorum nominibus, *ibid.* Earum catalogus. 326. Vrbium epitheta varia, 330. Vrbium excellentia numeris definita. II. 527. Vocabulum *Vrbs* variis coloniis additum. IV. 471.
Vulcanus in numis Arimini, I. 95. Aeserniae, 101. Liparae, 270. Athenarum. II. 116. in ferculo a quatuor viris gestatus. 528.
Vulcanalia Athenis celebrata. II. 217.

X in numis Gallicis non est *Chi* Graecorum, sed ξ Latinorum. I. 75. 76.
Xanthus fl. Troadis. II. 387.
Xenius, sic vocatus Arsaces. III. 527.
Xenophon medicus. II. 599.

Z pro Σ in numis Smyrnae, II. 545.
Zacynthus cognomini insulae nomen dat. II. 273.
Zenon Rhetor Laodicenus insignis famae. II. 369. III. 162.
Zodiacus in numo Perinthi. II. Aegarum Ciliciae. III. 37. Ejus signorum, et planetarum societas. IV. 70. Ejus signa a Sultano Gehan-ghir Indiae rege insculpta numis, dictis *roupies*. III. 285.

DEPT OF CLASS ARCHAEOLOGY OXFORD

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google